



PETER
SEABY
B







THESAURI REGII ET ELECTORALIS BRANDENBURGICI VOLUMEN TERTIUM.



THESAURI
REGII ET ELECTORALIS
BRANDENBURGICI
VOLUMEN TERTIUM:
CONTINENS
ANTIQUORUM
NUMISMATUM
ET
GEMMARUM,
Quæ
Cimeliarchio Regio-Electorali Brandenburgico
nuper accessére,
RARIORA:
Ut &
SUPELLECTILEM ANTIQUARIAM
UBERRIMAM,
id est
Statuas, Thoraces, Clypeos, Imagines tàm Deorum, quàm Regum & Illustrium: Item Vasa & Instrumenta varia, eaque inter, fibulas, Lampades, Urnas: quorum pleraque cum MUSEO BELLORIANO, quædam & aliunde coëmta sunt,
Dialogo illustrata
à
LAURENTIO BEGERO,
Serenissimi & Potentissimi REGIS PRUSSIÆ & ELECTORIS BRANDENBURGICI Consiliario ab Antiquitatibus & Bibliotheca.



COLONIÆ MARCHICÆ,
Impressit ULRICUS LIEBPERTUS, Typographus Regius & Electoralis Brandenburgicus.
MDCCI.



LECTORI BENEVOLO.



TAndem promiſſis ſatisfacio: Tandem THESAURI ELECTORALIS BRANDENBURGICI Tibi Supplementum ſiſto: Supplementum, ſi ad priora reſpicias: Si in ſe conſideres, Theſaurum pretioſiſſimum, rariſſimum; Hic enim continet NUMISMATA non *Græcorum* tantùm & *Regum* & *Urbium*; Sed & *Romanorum*, tàm *Illuſtrium*, quàm *Imperatorum*: Continet GEMMAS quasdam Selectiores: Continet *Deorum* & *Hominum Illuſtriſſimorum* STATUAS, CLYPEOS, IMAGINES: tandemque & INSTRUMENTA, tàm *ſacra* quàm *profana*: Pleraque omninò hactenus incognita, quædam novo Commentario conſpicua, in univerſum omnia indubio genuinæ antiquitatis fulcro innixa, eô numerô, eâ raritate, quâ, neſcio, an alibi prodierint unquam: Jactantius hoc à me dici, ubi rem inſpexeris, non arbitror Te Judicaturum; Quis enim *Amyntæ* Antiquiſſimi ſub ætatem Cyri Macedonum Regis Numiſma unquam protulit? Quis *Bitucum* & *Bitovium* Reges Arvernorum? Quis *Mithridatem Philo-Romæum*, Magni Parentem, Tiarâ Ponticâ inſignem? *Tryphænam* Antiochi Epiphanis Syriæ Regis uxorem? *Cleopatram* Ptolemæi Evergetæ Regis Ægypti Conjugem? *Ptolemæum*, licet incertum, tamen cincinnis ornatum hactenus publicavit? Quis REGES CAPPADOCIÆ, *Ariarathem V.* & *Ariarathem IX.* tandemque & *Ariobarzanem* determinavit? Quis *Aquilam* κεραυνο-

φόρον

φόρον & *Jovem* in Nummis Antiochi Dei Epiphanis propoſuit? Quis *Iſidis Mithram* ſub Antiocho Evergete agnovit?

Sed hæc aliaque de Regibus. Si ad Urbes deſcendas, vix minor exſurget raritatis gloria. Ubi quæſo, quæ hîc producimus, Numiſmata ΑΙΝΙΑΝΩΝ & ΑΙΝΙΩΝ? ubi ΙΑΙΕΩΝ, ΜΑΙΟΝΩΝ, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, & ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ? Quis *Herculem Aſtrochitonem* in Nummo Chiorum? *Apollinem* Αγυιέα in Apolloniatarum?. *Minervam cum Olea, Theſeumque advenientem* in Athenienſium? *Aſiaticorum originem à ſerpentibus* in Pergamenorum? *Jovem Terſium* in Tarſenſium? *Thyrſum duplicem* in Apamenorum Nummis hactenus oſtendit? Quis ſub Romanis *Numiſmata* noſtra *ex ære gravi?* Quis *Familiarum Imperatorumque decora* vel recens producta, vel novis luminibus donata? Quis *Liviam* cum Corona quercea & anno Auguſti Trigeſimo nono? *Tiberium* cum Mercurio in Promontorio ſedente? *Claudium* cum εὐτοκίᾳ ſive fertilitate? *Neronem* cum capite Africæ & nomine Acroſiatarum Libyæ? *Veſpaſianum* cum Victoria Palladium Imperatori tradente? *Domitianum* cum Bellona & Tropæo? *Hadrianum* cum Apide invento? *Commodum* cum Victoria Orbis Britanici in Græcia percuſſum? *Peſcennium Nigrum* cum Fortuna reduce ſedente? *Septimium Severum* cum Boſtra in Templo & literis Numeralibus? *Juliam Domnam* cum Venere Victoria? *Caracallam* & *Getam* cum Centauris Æſculapium extollentibus? *Getam* cum Lampteriis Coloniæ Juliæ? *Macrinum* & *Diadumenianum* cum Mercurio Marcianopolitarum? *Elagabalum* & *Mæſam* cum Æquitate? *Gordianum Pium* cum Serapide & Fortuna? *Tranquillinam* cum Diana Venatrice Cervo inſidente? *Valerianum* cum Diana Epheſia & infantibus? *Gallienum* cum Jove & Pallade? *Saloninam* cum Fortuna inter caduceum & Victoriam? *Quietum* cum Apolline conſervatore? *Claudium Gothicum* cum Neptuno ſpicam præferente? *Aurelianum* cum *Vaballatho* ſub Laurea diademato? *Carum* cum Αφιερώσεως Ara & litera Numerali? *Diocletianum* cum Iſide? *Maximinum* cum Victoria Conſtantini? *Conſtantinopolin* cum Victoria ſedentem coronante? *Decentium* cum prænomine Magnentii? *Julianum* cum Virtute exercitûs Gallicani? Quis, inquam, hactenus hæc protulit? Quis ære & typis vulgavit? Taceo mantiſſam GEMMARUM undiquaque rariſſimarum: *Vas Murrhinum* cum figuris Ægyptiacis, magnitudine illuſtriſſimum: *Onychem cum Hercule Cerberum vinciente*, opus Dioſco-

Diofcoridis artificiofiffimum: *Cameum cum Apolline & Marſya* pretiofiffimum : *Jaſpidem cum Fauno Saltante* elegantiffimum: *Achatem cum Cupidine* ab Achiophilo ingeniosè cœlatum: *Sardonychen cum Alexandro M.* & *Matre Olympia* opere elevato ſplendidiffimum. Sed STATUÆ & IMAGINES, SIGNA & SIGILLA tacenda non ſunt. Multa hîc offendes, licet vulgò cognita, novo tamen ornatu, novis luminibus memoranda: Talis eſt ſplendidiffima *Dianæ Epheſiæ* ſtatua; nam differt à plerisque, quas Meneſtrier vulgavit: Talis ſtatua *Prætextati cum Bulla & Scrinio*: Tales *Dii Deæque, Reges & Illuſtres, Imperatores & Auguſtæ*, non jam in Numiſmatibus, ſed nativæ plerique, imò & Heroicæ magnitudinis in Thoracibus conſpicui; Licet ne ſic quidem gloriam eorum attingant, quæ paffim, tanquam inter ignes minores, omnigenâ raritate coruſcant. Quis unquam *Oraculi Ammonii Originem* in Antiquitatum reliquiis oſtendit? Quis *Mercurium inter Cornua-copiæ*, capite Cygni inſignitum? Quis *Eundem in Promontorio* ſedentem? Quis *Faunum* vel cum Tigride gradientem, vel cum crotalis ſaltantem? Quis *Satyrum* vel ridentem, vel hinnuli geſtatorem? Quis *Priapum* vel tintinnabulo inſtructum, vel Saltationis rudimenta exercentem? Quis *Triptolemum* in Statua? *Vertumnum* in Sigillo? *Oſiridem* & *Cynocephalum* in marmoribus? Et quod inſtar omnium eſt, quis *Iſidem* non humana tantùm, ſed & *Urnulæ* figurâ delineatam? Quis, inquam hæc protulit inter DEOS? Quis protulit inter ILLUSTRES *Actæonem?* Quis *Hippolyten Amazonem* fugientem? *Battum* & *Pheretimam* Cyrenarum Regem & Reginam? *Manlium Torquatum? Antonium Felicem* & *Druſillam?* Quis *Trajani Statuam* Tripedaneam habitu Gladiatoris? Quis *Thoracem Scipionis Africani* magnificentiffimum? Quis *Clypeos Probi* & *Conjugis*, non magnitudine tantùm & opere, ſed & ideò rariffimos, quod Conjugis Probi ne nomen quidem in Hiſtoria ſupereſt? Quis, inquam hæc protulit? Quis Antiquorum *Inſtrumenta* varia eô numerô, eâque raritate, quâ hîc ſe ſiſtunt? Non meæ laudi hæc dico. Potentiffimi Poffefforis Gloriam Jacto. FRIDERICUM REGEM PRUSSIÆ veneror, qui Gazam Antiquariam, à DIVO PARENTE ſibi relictam, non modò ſplendidiffimis undique acceffionibus, eam extulit in magnificentiam, ut Selecta Rariora DUOBUS, quæ hactenus publicavi, VOLUMINIBUS ſuffecerint; ſed & novâ poſt hæc tam nobilis ſupellectilis cupidine incen-

 ſus

ſus, quæ TERTIO hoc VOLUMINE exhibeo, *Numiſmata*, *Gemmas*, *SupelleEtilemque* reliquam *Antiquariam*, & inter eam *Muſeum Bellorianum*, *Statuasque* & *Thoraces* numeroſiſſimos, ex Italiæ viſceribus, ipſaque Roma, Terrarum olim Domina, ingenti ſumtu coëmit, tantaque per marium ſpatia, tantos per fluminum tractus Berolinum advexit, ut Augusto TANTI HEROIS in Palatio priſcam hodie & Græcorum & Romanorum potentiam cum voluptate intueamur. Sed hoc parum videbatur. Senſit animus TANTI PRINCIPIS verè divinus, Gazis intra parietes latitantibus colorem nullum eſſe: Senſit Antiquitatibus pretium notitia plurium conciliari, uſumque earum præcipuum in illuſtrandis Veterum Scriptoribus eſſe; indeque non ſibi, ſed Literatorum Orbi coëmtas ratus, munificentia haud minore mihi ſumtus indulſit, ut opus reſumere, eaque methodo, qua cœperam, abſolvere potuerim.

Vides, AMICE LECTOR, FRIDERICO REGI & ELECTORI deberi, quodcunque vel voluptatis vel commodi ex meo Labore ad Te redundat: Vides, Tui gratiâ ſuſceptum, Tui gratia ſumtibus verè Regiis adornatum eſſe, ut non tantùm in Palatio Electorali Brandenburgico tot Gemmulæ fulgeant; ſed ubique Terrarum, quocunque ſub Climate Tibi, delicias Priſcorum ubicunque rimanti, & vel intra Muſei Tui cancellos ſervire poſſint. Venerare igitur mecum JOVEM hunc verè BENEFICUM! Venerare FRIDERICUM undiquaque Glorioſiſſimum! Venerare merita, & metire, quid Muſis collaturus ſit REX, qui ELECTOR tantum contulit. Vale!





FRIDERICO, REGI PRUSSIÆ

GLORIOSISSIMO:

MARCHIONI BRANDENBURGICO: S.R.I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI: MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ DUCI: BURGGRAVIO NORIMBERGENSI: PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINÆ: COMITI HOHENZOLLERANO, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ: DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, DITIONUMQUE LAUENBURG ET BUTAV, &c. &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



REGI offero, quod auſpiciis Electoris *confeci. Tantum Tuis Virtutibus præmium contulit* Deus, *ut teſtaretur publicè, Tuam* Pietatem, *Tuam* Justitiam, *Tuam* Sapientiam, *Tuam* Fortitudinem *Sibi cordi fuiſſe. Inſignia* Regia *inſignibus* Electoralibus *addidit,* Coronam Coronæ, Sceptrum Sceptro, *ut digno Tua merita proſequeretur munere. Coruſcat*

 ubi-

ubique MAJESTATIS TUÆ ſplendor: Subditi Tui lætantur: Orbis Populi exultant: IMPERATORES & REGES applaudunt. Ita AQUILA jam verè REGIA facta eſt & TIBI, qui Jovis inſtar exſtructum à TE, & poſtliminiô quaſi reſtitutum, Glorioſiſſimum REGNI PRUSSICI Solium conſcendis, porrectamque TIBI cœlitùs Coronam Regiam, ſimul & PATRIÆ TUÆ imponis. Quid Ego inter plauſus publicos? ANTIQUITATES pedibus Tuis advolvo, AUGUSTE REX; Sed ex Tuo Cimeliarchio, ex Tuo Oceano depromtas. TUUM eſt, quodcunque Hîc Liber continet, & quidem verè TUUM; Tu enim Tuis ſumptibus non tantùm omnia, quæ hîc proponuntur, comparaſti; Sed & tantillo tempore comparaſti, ut dubitaretur, Magnificentiæ Tuæ, an Felicitati res adſcribenda foret? niſi REGIA Fortunæ TUÆ GLORIA pro utraque decerneret. Hanc ardenter hactenus vovebamus. Hanc (fatendum enim quod res eſt) etiam præſentiſcere poteramus. Ubi Aurora procedit, Solis jubar præ foribus eſt. Regias actiones Tuas hactenus ſtupuit Orbis: Et inde Regium Tibi nomen deſtinari, quis non vaticinaretur? Id egi cum pluribus, AUGUSTE REX; Sed ne modeſtiam Tuam loquacitate intempeſtivâ violarem, hactenus tacui. Et hinc eſt, quòd totus Hic Liber potiſſimùm ELECTORIS nomine exultet, cùm REGIUS ſplendor jure meritò per omnes ejus paginas radiare deberet. Sed ne ſic quidem ſine omine res acta eſt. Si Regium nomen deeſt, non tamen deeſt dignitatis Regiæ augurium. URBEM TUO NOMINE INSIGNITAM in teſtimonium adducere poſſem: Poſſem PALATIUM ELECTORALE, THEATRUM VENATIONUM,

EQUI-

Equile Brandenburgicum, Academiam Artium, Societatem Scientiarum, aliaque plurima, quæ Rëgiâ planè Magnificentiâ, vel hac Tua in Urbe, ædificasti; nam & ipsa passim hoc in Volumine spectantur. Sed potiora se sistunt. Reges prodeunt, & prodeunt statim in limine: Reges ex Macedonia, ex Thracia, ex Ponto, ex Cappadocia, ex Syria, ex Ægypto: Reges, quos Tua Magnificentia ex vastis Temporum Antiquissimorum tenebris eduxit, gloriæque vindicavit, quantâ aliqui ne vivi quidem coruscârunt. Hercules olim Prometheum Caucaso solvit, Theseum ex inferno reduxit, Alcestidem in vitam restituit, Hesionem à Ceto liberavit: Et ut Hi gloriam Servatoris Sui in immensum evexerunt, ita & Illi per universum Terrarum Orbem beneficium Tuâ magnanimitate Sibi collatum gloriosè deprædicant, Coronam Regiam Tibi Tuo meritô deberi, ubique publicant, frontique Tuæ nunc impositam, unanimi concentu gratulantur. Imò nec soli id agunt. Sequuntur Populi Græciæ, & quidem Tuô munere sequuntur, quoscunque Vetustas, vel per Insulas dispersit, vel Maris Mediterranei litoribus circumfudit: Sequitur Imperatorum Romanorum numerosissima series, quorum Majestatem hodie AUGUSTISSIMUS LEOPOLDUS *obtinet, indeque &* TE REGEM *agnoscendo, non tantûm fidelissimum, quo Imperium Romano-Germanicum constanter amplecteris, amorem declarasse; sed & vindicatam à Te, novoque splendore, & in hoc, & in superiore Volumine radiantem, tot ingentium Prædecessorum suorum gloriam videri potest respexisse. Et quid non? cùm & Semidei & Dii Tibi assurgant? Priscorum Heroes, & Sago & Toga illu-*

strissi-

ſtriſſimi, olim Regium culmen virtute æquârunt; at nunc TE REGIO DIADEMATE REVINCTUM *devotè venerantur:* DII DEÆQUE, *ex opinione Gentilium, Regiorum quondam honorum arbitri, licet jamdudum exarmatos purior fides dejecerit, eum tamen in finem hîc reſurgunt, ut priſcæ ſuæ Majeſtatis jubare vaticinentur, ſimulque applaudant, & Tuæ magnitudini & noſtræ felicitati.*

Hæc omnia cùm ita ſint, REX GLORIOSISSIME, REGIUM DIADEMA *Tibi, per totum hoc Volumen, quaſi augurio prædictum eſſe, quis non fateatur? Quis tantis Tuis meritis decretum, &* AUGUSTO TUO VERTICI *impoſitum non exultet? Ego ſanè cum univerſo tot* IMPERATORUM & REGUM, *tot* HEROUM & DEORUM, DEARUM*que agmine procedo, Soliumque Tuum,* REGIIS *omninò Fulcris,* REGIIS *Decoribus innixum adoro, devotiſſimaque & oris & animi veneratione proſequor, acclamans:* FRIDERICE AUGUSTE, *Deus Te ſervet!* FRIDERICE REX, *Deus Te ſervet!* FRIDERICE REX PRUSSIÆ, *Deus Te ſervet! Sit firmum* MAJESTATIS TUÆ *Solium! Sit felix* SCEPTRI TUI *Dominatio! Sit æterna* DOMUS TUÆ *Progenies! Æterna* CORONÆ TUÆ *Gloria!*







Ertius ignivomo brumalia frigora curru
Dispulerat Titan, Zephyrusque tepentibus auris
Solverat in roseos Telluris viscera campos:


Cùm memor deliciarum suarum ARCHÆOPHILUS, *Quintuplicem* Potentissimi ELECTORIS BRANDENBURGICI *Metropolim* revisere statuit, more suo contemplaturus non tantùm Magnifica, quæ vel se absente, tanti Principis providentia, accessisse audierat, incrementa; sed etiam, & quidem præcipue, Supellectilem Antiquariam, quam Romæ ex Cimeliothecâ Celeberrimi Bellorii coemptam, interim advenisse judicabat. Iter igitur ingressus est,& primô aspectu *Friderico-poli* appropinquans, mirabatur tam brevi, paucissimorum scilicet annorum decursu, tantum ædificiorum numerum surrexisse, tamque editis passim structuris, ut nova hæc Urbs frequentiâ suâ jam cum aliis certare posset, Elegantiâ autem plerasque, etiam celebriores superaret. His intento, & interim de salute & fortuna Amicorum incolas percontanti, inter alia nunciatur, etiam DULODORUM Novæ Urbis amœnitate ductum, suum in eam domicilium transtulisse, modicisque ædibus, sibi ad genium suum extructis, habitare. Quô auditô, DULODORUM, inquit, insalutatum præterire, piaculum foret: rectâque ad ædes properans, eum in hortulo offendit, valetudinis ab aliquot annis haud satis integræ, imò & contracta studiorum & officii assiduitate tædia, Floræ deliciis haud injucundè temperantem. Fit mutua salutatio: Indeque cùm de incrementis Novæ Urbis ARCHÆOPHILUS magnificè loqueretur, eòque Regium planè ELECTORIS BRANDENBURGICI genium devoto eloquio extolleret, quòd ille urbes exstrueret, dum alii destruunt; DULODORUS: Felicitatis nostræ, inquit, hoc vel præcipuum argumentum est; Neque enim solis Indigenis hæc strui arbitreris: Imò & Extraneis, Fidei sociis potissimùm, quos ferrum & ignes, Patriâ suâ ob Religionem extorres egere, non hæc tantùm, sed & tota Electoralis Corona, tanquam jure Asyli patent. Aperuit primùm FRIDERICUS WILHELMUS, & rebus gestis, & pietatis ardore verè MAGNUS: Auxit, & novis ingentibusque privilegiis ornavit FRIDERICUS III. ut Iniquitatis DEBELLATOR & TRIUMPHATOR, ita & Innocentiæ COLUMEN, Pietatis DECUS, Religionis PRÆSIDIUM, undiquaque fortissimum, Illu-

ſtriſſimum. Licet autem, quod equidem haud diffiteor, ex his *Fridericopolis novæ* incrementis, publica felicitas abundè pateat, velim tamen judicium ſuſpendas, donec videris, quæ etiam aliis in Metropolis ſuæ Urbibus, PRINCIPIS NOSTRI cura præſtiterit. Non unius Colloquii materiam eam eſſe, haud invitus, confido, fateberis. Quapropter, ut ædibus meis, & mecum Te commorari velim; ita & dabo operam, ut collectam ex Itinere laſſitudinem, non cibô tantùm & quiete, ſed & jucundâ contemplatione diluas. His dictis non multum reluctantem, quòd jam

Solveret Heſperias Phœbo Nox humida portas,

ad cœnam duxit, eâque finitâ cubitum diſcedere paſſus eſt.





IAm nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero, placidos ostenderat ortus
Purpureis invecta rotis Aurora, reduxque
Phœbus amante vagas lustrabat Lampade terras.

Surrexit ARCHÆOPHILUS, & solitâ humanitate DULODORUM allocutus, Tuô beneficiô inquit, me corpus refecisse sentio, nunc & animum ut promisſâ contemplatione mihi demulceas, quâ par est, verborum submissione abs Te contendo. Ad hæc DULODORUS, Urbis hujus novæ, inquit, incrementa miraris, cùm tamen ejus structuræ, si ad eas censeantur, quæ reliquis in Urbibus non minore numerô hactenus accessere, & adhuc quotidie accedunt, non nisi plebejæ sint. Fervet ubique Palladius Labor. Ubique & per omnes plateas

Magnifico surgunt ædes ad sidera cultu.

Iisque & *Berolinum*, & *Coloniam Marchicam* & *Friderici Insulam*, *Dorotheopolimque*, multò *hâc Novâ* splendidius videbis exornatas. In his autem Te hærere quid attinet? Cùm *Augusta* PRINCIPIS NOSTRI *Palatia*, vel cultissima inter, tantum emineant,

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Regiam Electoralem ante triennium memini Te & vidisse, & laudasse; an autem eandem hôc schemate (schema simul porrigebat) delineatam agniturus sis, vehementer dubito. Hæccine Regia Electoralis? infit ARCHÆOPHILUS; At licet magnifica ea fuerit, opere tamen vetustiore fuerat exstructa. At hæc Palatia ad novissimas juxta, & exquisitissimas artis Architectonicæ regulas video elaborata. Quid magnificentius æquali undique, Marmoreisque statuis non tam coronatô, quàm præcinctô vertice? Quid augustius, quàm Portæ ingentibus & columnis & colossis suffultæ? quàm Latera artificiosissimis lapidum cælaturis ornata? Magnificentissimis Deorum, Heroumque & Virtutum simulacris distincta? Verbo dico, non Regia hæc, sed divina videntur! adeò nihil video, quod non vel maximas laudantium vires excedat. Et intra triennium in tantam Metamorphosin vix ac ne vix quidem præsumerem. Triennium, inquit DULODORUS, ex quô mutatio cœpta est, nondum effluxit: Et licet, quod equidem haud invitus largior, nondum omnia perfecta sint, eam tamen

 in

in molem jam opus excrevit, ut ei abſolvendo Triennium non videatur requir
Sed ne vanis picturis Te diſtineam, ad Antiquitatis Gazas Te reducam, ubi ren
ipſam etiam in tranſitu videbis. Nihil jucundius ARCHÆOPHILO ac
cidere potuiſſet. Libenter igitur DULODORUM comitatus, cùm Regia
appropinquaret, editiſſima tanti Palatii culmina, cultiſſimas imagines, ſtatuasque
ſtatuæ ſimilis & ipſe, aliquantisper aſpexit; Tandem autem:

Quantum corporibus minor eſt, quæ ſpargitur umbra,

tantum, exclamat, & oſtenſa mihi pictura vileſcit, ubi venuſtiſſimam hanc divinæ omninò potentiæ molem aſpicio! Sed aliô tempore eam penitius contemplabor; Nunc & Antiqua videndi cupido ſubit; Neque enim dubium eſt, & his me abſente non parva incrementa acceſſiſſe. Quod res eſt, auguraris, inquit DULODORUS, recluſoque Cimeliarchio, non Supellectilem Antiquariam tantùm, ſed etiam Numiſmata, perrexit, eô numerô, eâque raritate hactenus Elector noſter coëmit, ut omninò ſpicilegium nobis inſtituendum ſit. Sed ut nuper ad ſeriem potiſſimùm reſpexi, ideoque etiam vulgaria quædam admiſcui: ita nunc Curioſioribus ſatisfacere conabor, ex immenſo numero tantùm ea producturus, quæ ſcientiſſimis etiam probari poſſe confidam. In limine occurrit

AMYNTAS
REX MACEDONIÆ.



Is in Numiſmate hoc rariſſimo legitur, licet effigie non expreſſus. An Philippi pater hic eſt? inquit ARCHÆOPHILUS, cujus Numiſmata ſuprà vidimus? Non hic, reſpondit DULODORUS, ſed vetuſtiſſimus ille, qui temporibus Cyri regnum Macedoniæ nactus, quinquaginta annos præfuit: indeque ſub Dario, â Scythis rejecto, Legatorum Perſicorum petulantiam, virtute Alexandri filii ultus eſt: tandem & minas Megabazi, traditâ Bubari filiâ, affinitatis nexu eluſit; Id quod latius apud Juſtinum legimus. Unde rem probabis? excepit ARCHÆOPHILUS, cùm utique poſt hunc adhuc alii fuerint? Rudis Numiſmatis antiquitas, reſpondit DULODORUS, neſcio annon teſtis ſit, omni exceptione major. Accedit figura Literæ O quadrata, qualiter etiam in coævis Amyntæ primi, Ariſtogitonis, Miltiadis & Heracliti imaginibus viſitur; Licet enim, quod inficias non iero, etiam in quibusdam ſequentium temporum, Carneadis ſcilicet, Theophraſti Ereſii, Iſocratis, Ariſtophanis, eadem Literæ hujus figura occurrat, non tamen occurrit in Nummis: Adde quòd Archelai jam tempore artificium multô terſius fuerit, quàm ut propoſitum eò trahere poſſimus: Adde quòd & ſcriptura antiquitatem prodat, non AMYNTOY, ſed AMIMTOY legitur, & ne obſcurum ſit, quis ille fuerit, præponitur B. quod ΒΑΣΙΛΕΩΣ interpretor, poſtponitur M. quod ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ſonat, inſuetò ſanè poſterioribus more. In averſâ, inquit ARCHÆOPHILUS, Cancrum video, & quidem eâdem planè figurâ, quâ in Coorum Nummis occurrit. In Coorum

Num-


Nummis, reſpondit DULODORUS, ad Herculem reſpeximus: Reſpeximus ad Macedonum potentiam, quòd ſcilicet & clava ei ſubjecta, ipſeque cum clava parallelogrammo, Macedoniæ typo, fuerit incluſus. Quid autem ſi nunc & Coloniam ex Macedonia deductam intelligas, occurrente cancro & in Regis Macedonum, & quidem antiquiſſimi nummo? Reges Macedonum, excepit ARCHÆOPHILUS, ab Hercule oriundos in vulgus patet, Herculem autem cancrum occidiſſe, ex fabula conſtat. Quid igitur, ſi hanc ob cauſam Cancrum ſignaverit Amyntas? Quid ſi ad Cancri prudentiam reſpexerit, prudentiamque ſuam ſimul adumbraverit, quâ ingruentem Perſici belli tempeſtatem vitavit? Neutrum diſplicet, inquit DULODORUS; conſtat enim cancros & infirmitatem ſuam tueri, & tempeſtates orituras cautè prævertere; Sed poterit etiam Cancri in Macedoniâ frequentia concurrere, ſi verum ſit, quod Bellonius memorat, ſe in Atho Macedoniæ monte rivum inveniſſe, cancris fluviatilibus adeò abundantem, ut mille temporis momento capi potuiſſent. Hæc ratio forſitan vel ideò non eſt contemnenda, quòd Cancer hic Iconi cancri fluviatilis, à Geſnero publicatæ, ex aſſe reſpondeat. Amyntam, ab vicinitatem ſequitur

RHESCUPORIS
REX THRACIÆ.



Hujus Nummum, ſed ferreum, in ſelectis protulit Seguinus. Ab eô propoſitus non tantùm materiâ differt, utpote æreus; ſed & ætate, & habitu Regis. Seguinianus numerales Literas ΒΜΦ exhibet, quibus annus 542. efficitur; at in noſtro ΣΜΦ leguntur, quibus annus 546. deſignatur, Æræ videlicet Thracicæ, cujus primordia licet hactenus incognita ſint, eô tamen, quòd noſtri Nepos, cujus Nummum Clar. Vaillantius ad Seguinum vulgavit, ſub Nerone anno Æræ ejusdem 624. vixerit, facilè conſtat, noſtrum circa annum 12. Auguſti hos nummos percuſſiſſe; ab eo enim ad Neronis media 82. anni fluxére, qui inter 542. & 624. interſunt: quibus poſitis, utique primordia hujus Æræ â Temporibus Cyri repetenda erunt. De primordiis, inquit ARCHÆOPHILUS, ego ſollicitus non ſum. Potius quæſierim, cujus in averſa caput ſit? laureatum quidem, ut apud Seguinum; ſed abſque globulis aut margaritis, abſque barbâ? An Herculis hæc ſit? cùm utique adjecta clava id arguere videatur. Non Herculis, reſpondit DULODORUS, ſed Auguſti, Herculis orbe pacatô gloriam adæquantis; id enim ex Chronologia patet: Patet ex Auguſti meritô, cùm Rhœmetalce mortuô, Regnum Thraciæ is, inter Cotym Rhœmetalcis filium, & Rheſcuporidem ejusdem fratrem diviſerit. Sed illud in hoc nummo novum eſt, quòd Rheſcuporis non tantùm diademate, ſed & velo ornatus ſit, ſive id factum arbitreris Majeſtatis ergò, ſive ut ſe pacificum, Numinisque Cæſarei devotum cultorem eô factô venditaret. Ex Thracia in Galliam deſcendimus. Hic

BITUCUS ET BITOVIUS REGES ARVERNORUM



Se sistunt. Incognita hæc in Historia nomina sunt, excepit ARCHÆOPHILUS, indeque licet Numismatum raritatem agnoscam, vereor tamen, ut eorum ratio reddi possit. An certa reddi possit, respondit DULODORUS, & ego dubitem. Est tamen Conjectura, ad Reges Arvernorum respiciendum, cùm nominis affinitas id apertè videatut suadere. Non *Bitucus*, reposuit ARCHÆOPHILUS, imò nec *Bitovius*, sed *Bituitus* inter Arvernorum Reges innotuit, ita enim Eutropius Lib. VI. *Anno sexcentesimo vicesimo septimo ab V.C. C. Cassius Longinus & Sextus Domitius Calvinus Coss. Gallis transalpinis bellum intulerunt,& Arvernorum nobilissimæ tum Civitati,atque eorum Duci BITUITO: Infinitamque multitudinem juxta Rhodanum fluvium interfecerunt: præda ex torquibus Gallorum Romam perlata est: BITUITUS se Domitio dedidit,atque ab eo Romam deductus est.* Eodem modò & Florus Lib. III. c. 2. *Nil tam conspicuum in Triumpho, quàm Rex ipse BITUITUS discoloribus in Armis argenteoque carpento, qualis pugnaverat.* Si princeps de nomine lis foret, respondit DULODORUS, rem pro certâ affirmare, nihil dubitarem; Quis enim nescit in Scriptoribus id diversô modô tradi? Quem *Bituitum* Florus & Eutropius, eum ΔΙΤΟΝΙΟΝ, ΒΙΤΟΥΒΙΟΝ & ΒΙΤΟΥΙΟΝ Eutropii Metaphrastes, quæ ultima vox in altero nostro numismate apertè legitur. Imò nec Codices Eutropii omnes consentiunt. Fuldensis Manuscriptus non *Bituitus*, sed *Vituitus* habet, notante Sylburgio in Indice. Ita & inscriptio Gruteriana *Betultum* vocat. Sed omnia hæc, si Numismata, quod auguror, Arvernorum Regibus tribuenda sint, ex his corrigenda, nemo utique negaverit. Si tribuenda sint, scilicet, excepit ARCHÆOPHILUS; unde autem tu hoc probabis? Annon Inscriptio Græca? Annon insigne Leo? annon tandem & Literæ ultimæ figura contrarium arguunt? Bituitus enim circa annum V.C. 630. vixit: Sigma autem figurâ rotundâ ante Domitiani tempora rarius occurrere, sequentium tantùm non proprium esse, inspectio Numismatum apertè evincit. Rarius occurrit, respondit DULODORUS, sed occurrit tamen. Apud Patinum Numismata Augusti, Romæ & Senatûs honori, à Smyrnensibus, aliisque Civitatibus Asiaticis percussa, eam figuram apertè præferunt. Præferunt Numismata Solontinorum apud Parutam, & quædam Macedonum, Alexandri Magni memoriæ percussa: Chiorum inde & Samiorum apud Goltzium: ut Hermas Thucydidis, Herodoti, Platonis & Xenocratis apud Boissardum: Sophoclis & Menandri Clypeos, Euripidis & Pindari, aliorumque Statuas apud Ursinum, taceam; Quos si recentioris cæli credas, non equidem refragabor, consideres tamen velim, minimùm Augusti ætate, attestantibus allegatis Numismatibus, usum hujus literæ tàm crebrum jam fuisse, ut vel inde ejus primordia ætati Bituci Arvernorum Regis invidere non possimus. Et quid? Annon præter allegata Solentinorum &

Macc-

Macedonum, etiam Numismata Chiorum, & Thessalonicensium, apud Goltzium, de Wilde, & in hoc ipso Thes. El. Brand. eam literæ figuram præferunt? & quidem nullâ omninò Romanæ dominationis mentione? ut Bagadoniωn, Dionysopolitωn & Byzantinorum nummos apud eundem Goltzium taceam: Ex quibus utique non abs ratione colligas, jam sub Liberâ Græcorum Republicâ eam obtinuisse. Taceo quòd Galli Literam C, hodieque, affini, Literæ S sono in quibusdam efferant. Unde haud improbabili forsan conjecturâ deducerem, eam simul cum Gallis in Græciam influxisse, nisi jam ante in usu fuisse, ex sequente Inscriptione Gruterianâ nosceretur:

ΒΑCΙΛΙCCΑΝ ΑΡCΙΝΟΗΝ ΒΑCΙΛΕΩC
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑCΙΛΙCCΗC ΒΕΡΕΝΙΚΗC
CΤΡΑΤΟΝΙΚΗ ΒΑCΙΛΕΩC ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ.


Neque enim hanc posteriorum temporum arbitraberis cum Berenice Demetrii filia eam posuisse apertè dicatur. Quicquid sit, non *Bitucus* tantùm hanc Literam in suo nummo exhibet, sed & ΛΙΟΝΝΟC in Numismate Celeberrimi de Wilde, quod me quidem judice, ad Lugdunenses pertinet, Arvernorum vicinos, quorum metropolis hodieque Lyon dicitur, Leonisque insigne non hodie tantùm, sed etiam antiquitùs jactat. Hæc de literæ figurâ, inquit ARCHÆOPHILUS, sed ea non sola in censum venit. Imò tota inscriptio se sistit, quæ utique cum Græca sit, non in Gallia, sed in Græcia hæc Numismata signata arguit. Inscriptio Græca, respondit DULODORUS, mihi non contrariatur; Quis enim nescit, Gallos Græcorum Linguam tantò ardore coluisse, ut Strabone teste, contractuum quoque formulas græcè conscriberent? quò posito utique incongruum non est, si Regum Numismata Græcè inscripta videamus. In Græcia sanè ea percussa esse, ruditas sculpturæ negat, quæ utut satis adhuc concinna, Barbariem tamen cælare non potest. Hæc omnia si tibi cedam, inquit ARCHÆOPHILUS, non tamen video, quî Leo Galliæ conveniat, cùm potius ad Africam is videatur relegandus; Neque enim Lugdunensium Numismata in medium produxeris, cùm ea sub Romanis percussa sint, & ad Legionis fortitudinem referri debeant. In nummis Lugdunensium sub Antonio percussis, respondit DULODORUS, ad fortitudinem Legionum Leonem referri memini; sed hîc conjectura subit, annon ad Massilienses respexerint, non minus ac Arverni? Massilienses enim Leonem constanter expressisse, ad indicandam originem per Phocæos à Phocensibus, apud quos Leo Parnassius Pausaniæ celebratur, eorum numismata nos dubitare non sinunt. Utrique scilicet, & Arverni & Lugdunenses, Massiliensium vicini fuére; cùmque Galli eorum Linguam tam avidè arripuerint, ut loco Ludi Literarii eos Massiliam habuisse, locô citatô Strabo memoret: Cùmque Justino teste, ab iisdem & usum vitæ cultioris, depositâ & mansuefactâ barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerint, legibusque non armis vivere, tantô nitore, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur; Quid mirum erit, si & Massiliensium insigne gentilitium credantur usurpasse? Eâdem sanè ambitione id fecisse videri possunt, quâ & Arverni se Romanorum fratres, & ab Ilio oriundos dictitarunt, canente Lucano, l. 2.

Arverni nostros ausi se dicere fratres
Sangvine ab Iliaco Populi;

Quanquam Valesius id Æduis tribuendum contendat. Ad Leonem, excepit ARCHÆOPHILUS, fortassis & Herculis meminisse licebit, nam & hunc per Gallias iter fecisse, à Geryone regredientem, apud Diodorum Siculum legimus; quid autem magis vulgare, quàm Herculi in Numismatibus tribui Leonem,

nem, quòd scilicet is Leonem Nemæum strangulaverit? Si huc respicias, inquit DULODORUS, ne sic quidem Tibi repugnabo; Assertum enim fulcire potest affícta à capite regio Clava: Quanquam dubitem, an sub Leone, Leonem Nemæum, quem Hercules domuit: annon potius Leoninum Herculis animum intelligere debeamus, cujus æmuli proinde videantur & Bitucus & Bitovius, eô scilicet sensu, quô Hercules ipse *Leo* Cassandræ vocatur, apud Lycophronem versu 33. Leonino sanè animo, Leonino & robore adversus Romanos processit is, quem à Domitio Romam perductum supra memorasti; Cùm enim centum & octoginta militum millia in aciem produceret, exercitum Romanum vix canibus suis escam fore, jactavit. Tamen victus est, regessit ARCHÆOPHILUS, & cum 12000. amisisset, Romamque deinceps ad satisfaciendum Senatui profectus, in Epitome Liviana legatur, procul dubio Leonis animum deposuit. Fecisse credi potest, respondit DULODORUS, quod & Leones solent, qui captivi utique & ipsi mitescunt. Unicum adhuc quærendum videtur, inquit ARCHÆOPHILUS, an ejusdem scilicet hæc Numismata credas? an autem diversorum? Diversorum, respondit DULODORUS, id enim non diversitas Nominum tantùm, sed & Facierum, utique apertè arguit, nisi artificum errori hanc adscribendam arbitreris, qui hodiénum Principis unius faciem, tam diverso interdum filo delineant, ut unius esse, nisi nomen id proderet, ne somniares quidem. Sed hæc, & quæcunque hactenus dixi, in medio relicta sunto. Si rem minus tetigerim, optatò adveniet, qui certius quid producere poterit. Ego in Asiam regredior. Hîc primum se sistit

MITHRIDATES
REX PONTI,



Magni Pater, cognomento *Philo-Romæus*. Cùm plures hoc nomine fuerint, excepit ARCHÆOPHILUS, non Ponti tantùm, sed & Parthorum, & Cappadocum Reges, imò cùm & Mithridates, Antiochi Magni, Regis Syriæ filius, Livio memoretur, an ad Ponti regem Numisma indubiè pertineat, haud abs ratione dubitarem. Præsertim cùm caput Regis insolitô pileô insigne sit, Mithridatis autem Numismata, quæcunque hactenus inspecta sunt, solô vulgari diademate id revinciant, non minùs ac etiam Mithridatis Pergameni, in eô nummô quem Seguinus vulgavit. Seguino, excepit DULODORUS, calculum negavit Vaillantius, Numisma, quod ille Pergameno tribuerat, ad Magnum pertinere ostendens, adeò ut hactenus etiam ad Pergamenum semita pateret. Quod Parthos & Cappadoces attinet, ii non tam Mithridatis, quàm vel Arsacis, vel Ariarathis nomine innotuére, adeò ut de his jure taceam. Licet autem Mithridatis Magni, cujus solius hactenus Numismata inspeximus, caput diademate revinctum cernamus, id tamen non impedit, ut non Pater ejus Cidari ornatus esse potuerit: Imò potius credendum, Mithridatem Magnum (licet & ipse alias Cidari uteretur, id quod ex Plutarcho *in*

Pompejo

Pompejo diſcimus) patrium tamen hactenus morem, ad Regum Syriæ & Macedonum imitationem, minimùm in nummis mutâſſe, idque deinceps & alios obſervaſſe, adeò ut vel hoc unicô argumentô, Numiſma propoſitum non Magno, imò nec Magni Succeſſoribus, ſed ſuperiorum uni tribuendum, haud forſan abs re cenſeamus: Et cui? ſi non Magni Patri, qui quòd bellô Punicô Romanos juviſſet, & cum iisdem Ariſtonicum oppugnaſſet, *Populi Romani Socius Amicusque* vocatus eſt. At, inquit ARCHÆOPHILUS, Mithridatem eum, cognomento Ευεργέτην vocatum, tradit Appianus, quæ vox in nummo non occurrit. Solæ literæ ΦΙΛΟ.... adjectæ ſunt, quæ an *Philopatora?* an *Philometora?* an denique *Philhellenem* cognominent? utique dubium eſt. Si conjecturæ meæ aliquid tribuas, reſpondit DULODORUS, dubii nihil ſupererit. Φιλορωμαῖȣ lego, idque ideò, quòd ut dictum, ſocietate ſuâ & auxiliis, Populum Romanum impenſius coluerit. Τοῖς Ρωμαίοις ἐν Φιλίᾳ γενόμενον vocat Appianus: Indeque credibile eſt, cognomen Φιλορωμαῖȣ eum ſibi gloriæ duxiſſe, id quod poſtea & Ariobarzanes fecit, de quo mox videbimus. Cognomen *Evergetæ* omiſſum eſſe, nemo miretur; nec enim Reges cognomina ſua ſemper omnia adſcripſere, id quod exemplo Regum Syriæ facilè probavero, & patebit etiam ex Nummo modò allegato, & mox adferendo, Ariobarzanis ſcilicet, qui cùm & ipſe, teſte Cicerone, non *Philoromæus* tantùm, ſed & *Euſebes* cognominaretur, unô tantùm *Philoromæi* cognomine in Nummis uſus eſt: Favorem ſcilicet Populi Romani captantes, ſibi non glorioſius tantùm, ſed & utilius judicârunt, amorem & ſocietatem Romanorum jactare, quàm ſua beneficia. Non hoc tantùm, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & clava Herculis videtur obſtare, quid enim hæc ad Regem Ponti, ſi conſtet Herculem cum Argonautis Pontum non attigiſſe, ſed in Aſia relictum eſſe? Si cum Argonautis Pontum non attigit, reſpondit DULODORUS, eum attigit Amazones debellaturus; id enim apertè arguunt Numiſmata ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ ΕΝ ΠΟΝΤΩ inſcripta, in quibus vel Hippoliten Amazonem, equo fugientem Hercules inſequitur, vel etiam in Cerberum clavam ſtringit, uti apud Triſtanum videre eſt, & teſtatur Harduinus, in Geographia Numiſmatica: adeò ut hactenus, cur Regi Pontico propoſitum negare debeamus, rationem non videam. De Cidari adhuc docendum, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi enim hæc Ponticam referat, fruſtra laborabis. Carolus Paſchalius ſatisfaciet, reſpondit DULODORUS, licet enim ei non conſentiam, aſſerenti, Tiaram Perſarum, Medorum, Lydorum, Phrygum talem propemodum videri, qualis hodie eſt Pileus Turcarum, quem Turbantem vocant; tot tamen Authorum loca, propoſito noſtro convenientiſſima congesſit, ut Oceanum priſcæ eruditionis, hâc in parte ſcrutari neceſſe non ſit; Primò enim, *Tiaram* non coronam apertam: non diadema; ſed *pileum* fuiſſe, & quidem Πῖλημα πυργωτὸν, *pileum turritum*, ex Strabone: *pileo Ulyſſeo ſimilem*, ex Hieronymo: *quô caput tegeretur*, ex Juſtino probat; aitque, *hoc commune omnium Perſarum geſtamen fuiſſe.* Non de communi hic loquimur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed Regio: Imò nec de Tiara Perſica, ſed de Cidari Ponticâ. Communem, reſpondit DULODORUS, à Regiâ eò diſtinctam, quòd hæc recta fuerit, illa autem in frontem propenderit, idem Author in ſequentibus docet: Docet & Cidarim & Tiaram promiſcuè apud Authores uſurpari, id quod etiam Magnus noſter SPANHEMIUS teſtatur; Indeque, ſi de Tiarâ ſatisfecero, ſatisfecero & de Cidari. Perſarum ſcilicet, adeoque & Regum Ponticorum (utpote à Perſis deſcendentium, quod vel Mithridatis nomen arguit) inſigne Regium, ſive *Tiaram* dicas, ſive *Cidarim*, perinde eſt. De nomine hæc lis eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quam equidem facilè omi-

ſerim; ſed major difficultas in figura ſubit; Teipſo enim docente, Strabo πύλημα πυργοτὸν *pileum turritum*, Hieronymus autem *Ulyſſeo ſimilem* ſtatuit. Hæc quomodo conveniant? Addamus & Illuſtriſſimi Spanhemii placitum, qui figuram quadrangularem Tiaræ aſſignat, & quidem fide Numiſmatum. Numiſmata, reſpondit DULODORUS, certiſſima figurarum argumenta ſuppeditant. Monendum autem, in Numiſmatibus figuram Tiaræ variari, ita tamen, ut forma eſſentialis, *pilei* ſcilicet *Recti, quo caput tegeretur*, maneat, eique deinceps ornatus regius accedat; nam Cidaris, ſive Tiara Ariobarzanis ſellæ inſidentis apud Goltzium, pilei Ulyſſei inſtar eſt, planè qualem Hieronymus deſcripſit. Tiara, ſive Cidaris Tigranis, apud Vaillantium de Regibus Syriæ, eſt quadrangularis ad mentem Illuſtriſſimi Spanhemii. Cidaris Parthorum & Armeniorum in nummis Auguſti, eſt πυρογτὸς *turris inſtar* & *elevata.* Quæ cùm ita ſint, non ſanè video, cur acutiorem, & in mucronem acuminatam, qualem in noſtro nummo cernimus: cur & eam, quam non parvâ tamen & in his differentiâ, in capite Abgari cernimus: Quare & eam, quæ formâ in vertice rotundâ & ampliore in capite Arſacis apud eundem Illuſtriſſimum Spanhemium pag. 426. Quare inquam has *Tiaræ*, aut *Cidaris* nomine dignari non debeamus? Cùm tamen ὀρθαὶ, *rectæ* ſint, non minus ac reliquæ, id quod eſſentiale pilei Regii, ſive Cidaris, aut Tiaræ eſſe, & ſuprà diximus, & ex Scholiaſte Ariſtophanis probatur. Πᾶσι inquit Πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φέρειν, ἀλλ᾽ ὀυκ ὀρθὴν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ. Μόνοι δὲ ὁι τῶν Περσῶν Βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. ἔςι δὲ ἄυτη κατὰ προείπομεν τιάρα. Τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθος καὶ ἐπτυγμένην καί προβάλλουσαν ἐις τὸ μέτοπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν. Hæc ſi admittam, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo excuſabis id, quòd totam frontem hæc tiara tegit, quòdque non ad aures tantùm pertingit, pilei inſtar, ſed & dependente ſyrmate, & aures & buccas, & collum ambit, vix humeris inter alas prominentibus? Utrimque facilè ſatisfecero, reſpondit DULODORUS, & quidem, quòd ſyrma à pileo dependens attinet, occurrit idem etiam in allegato nummo Tigranis, & poteris ſub eo Regum juſtitiam tibi imaginari, cùm Paſchalius ex Curopalate de Offic. Conſtantin. doceat, Tiaræ judicum, ad ſiniſtrum latus appenſum fuiſſe μαργέλλιον συρματεινὸν, *opus è margaritis ſimbriatum, alteram aurem geſturis obtegens*, ut ſcilicet meminiſſent, aurem intectam accuſatoribus, tectam accuſatis dandam: Poteris & ad Regum ſanctitatem reſpicere, Perſarum enim ſacerdotes Τιάρας geſtaſſe πιλωτὰς καθηκύιας ἑκατέρωθεν, *filtraceas Infulas ex utraque parte dependentes*, Strabo memorat. Et huc pertinet juvenalis Sat. 6. ubi de ſacerdotali hâc tiarâ jam pridem:

Cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeja, & phrygiâ veſtitur bucca Tiarâ.

Si ad frontem reſpicias, quæ tota tegitur, Majeſtatis id inſigne fuiſſe ſcias; Ita enim apud Zonaram, quem & ipſum Paſchalius citat, Magus ad Smerdin fratrem, quem in locum Cambyſis ſubſtituturus erat: *Circumdabimus te multo ſatellitio, & faciem fermè totam Tiara velabit, & inſigne regium, quod erit latitudinis & longitudinis eximiæ. Nam quò majus & amplius fuerit, hôc erit luculentius argumentum Magnificentiæ & Majeſtatis.* Adeò ſcilicet hoc verum fuit, ut *Implere Tiaram* in proverbium abierit, pro eo, quod eſt *Obire Munia Regia*, ut apud Statium l. 8. Theb.

Viſusque ſibi nec ſceptra capaci
Suſtentare manu, nec adhuc IMPLERE TIARAM.

Hæc præter opinionem, inquit ARCHÆOPHILUS, acutè explicaſti: Cumque ſuprà de ſyrmate è margaritis fimbriato ex Strabone docueris, de margaritis,

ritis, quæ hîc, & in Tiarâ Tigranis occurrunt, quærere superſedeo; Margaritis enim, aliisque Regii luxus inſignibus Tiaras deſtinctas fuiſſe, quis dubitet? Miror autem, quòd Diadema non appareat; nam & hoc Tiaræ ſuperaddi ſolitum, niſi fallor, alibi docuiſti. Res indubia eſt, reſpondit DULODORUS, Numisma Tigranis rem apertè monſtrat. An autem in propoſito ſit? an non ſit? haud equidem dixerim; Poſt ſinciput enim nodus viſitur, & lemniſci prominent, quales in diademate ſolebant, quod tamen pileo circumdatum non apparet. Unicum adhuc dubium mihi naſcitur, inquit ARCHÆOPHILUS. Id ſi mihi ſolveris, ad hoc numisma Te amplius non morabor: Clar. Vaillantius Numisma Seguini Mithridati Magno arbitratur non abjudicandum, idque ideò, quòd juvenis admodum is ſolium aſcenderit, facierumque diverſitas major non ſit, quam ætatis. Quid ſi idem & hic judicemus? adeoque Numisma non Mithridati Evergetæ, ſed Eupatori tribuamus? Si ſola lineamentorum ratio ſe ſiſteret, reſpondit DULODORUS, forſitan tecum ſentirem; Quanquam, ut verum fatear, ea major omninò ſit, quàm ætatis, cùm Eupator naſum in medio elevatiorem, Evergetes autem depreſſiorem: Ille faciem breviorem, hic longiorem oſtendat, quæ ſanè nulla ætas mutare potuit; Sed princeps argumentum, ut pro Evergete pronunciem, ſunt mihi literæ ΦΙΛΟ.... quas Φιλορωμαίου interpretor, quod ut ſupra dêmonſtratum dedi, nulli convenit, niſi Euergetæ, Mithridatis Magni parenti. Si nummus integrior me hîc errare, legendumque vel Φιλοπάτορος vel Φιλομήτορος doceat, tunc ego haud invitus dubium admittam; Sed video ſucculentum faciei vigorem Tibi ſcrupulum moviſſe; Scias igitur, Hunc Mithridatem ad ſenium non perveniſſe, ſed Sinope ſuorum fraude occiſum eſſe, indeque eſt, quod nec filius grandior, ſed undecimum annum vix egreſſus ei ſucceſſerit. In Cappadociam tranſimus. Primus hîc occurrit

ARIARATHES V.
REX CAPPADOCIÆ
COGNOMENTO EUSEBES.



Isque in Numismate, à Goltziano quidem in paucis diverſo, ſed vel ideò proponendo, quòd nec ejus interpres, Nonnius, nec quisquam, quod ſciam, alius certo cuidam id addixerit. Et quî poſſet? excepit ARCHÆOPHILUS, tot Cappadociæ Regibus *Ariarathis* nomine inſignitis, & ne minimo quidem, vel in Hiſtoria, vel in Numismate certitudinis indicio? Neque enim quenquam cognomen Εὐσεβοῦς geſſiſſe, ex hiſtoria diſcimus. Quod aperta litera non docet, reſpondit DULODORUS, id conjecturis conabimur aſſequi. Sub voce Εὐσεβοῦς in Numismate duas literas ΓΑ cernimus. Goltzius inquit ARCHÆOPHILUS non has, ſed ΓΩ habet. Falsò id eum facere, reſpondit DULODORUS, non tantùm ex noſtro patet, in quo ΓΑ clariſſimè viſuntur, ſed etiam ex alio, quod Illuſtriſſimus Spanhemius citat in Diſſ. p. 863. non quidem ΓΑ ſed

AA inſcripto, qui ſimul pro ſummâ ſuâ eruditione, & verè ſtatuit, Annos Regni his literis deſignari. Hoc poſitô, apertum utique eſt, noſtrum Numisma Anno Regni Ariarathis 33. ſignatum eſſe, quem annum nec *ſextus*, utpote qui patre bello Ariſtonico cæsô regnum ſuſcepit, indeque à Gordio interfectus eſt: Nec *ſeptimus*, qui paucos poſt regni annos perfidâ Mithridatis manu cecidit: Nec *octavus*, qui regnum repetiturus re malè geſtâ mœrore contabuit: Nec denique *nonus* attigit, qui cùm fratri Ariobarzani ſucceſſiſſet, dominationem nec ipſe diuturnam expertus, arbitriô Antonii non Regnum tantùm, ſed & vitam perdidit: ut taceam notam hujus effigiem, & infra producendam, hunc indubiè removere; Adeò ut horum nulli Numisma tribui poſſit, ſed me quidem judice, omninò ad *Quintum* referri debeat, qui cùm puer admodum regnum accepiſſet, cum Antiocho Magno, cujus filiam duxerat, contra Romanos ſtetit, vixitque ultra juſtam filii Mithridatis ætatem, licet hunc ſerius ſuſcepiſſet. Id inde conſtat, quòd Uxor primis matrimonii annis ſterilitatem verita, liberos ſuppoſuiſſe fertur, quorum poſtea, cùm legitimum ſuſcepiſſet, alterum Romam, alterum in Joniam Ariarathes legitur amandâſſe: Quòdque pater filio legitimo regnum ceſſurus, ab eodem prohibitus memoratur, dictitante, fieri non poſſe, ut vivis parentibus tantum beneficium filiis concederetur. Adeò ut ex his utique indubiè colligamus, Ariarathem hunc annos in Numismate expreſſos non modò attigiſſe, ſed & ſupergreſſum eſſe. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an facies hæc non juvenilior eſt, quàm ut Regi, Trigeſimum Tertium Regni annum numeranti, adjudicari poſſit? Non arbitror, reſpondit DULODORUS; jam enim dixi, idque Juſtinus Lib. 29. c. 1. expreſsè narrat, Ariarathem Noſtrum, puerum adhuc ſolium aſcendiſſe: Ut proinde vel hinc firmiſſimum, etiam contra Ariarathem II. argumentum formes, qui licet 82. ætatis anno occubuerit, ut Lucianus in μακροβίοις refert, adeoque regni annos in numismàte expreſſos & ipſe procul dubio impleverit, juvenis tamen regnum non adiit, ſed ab Olopherne Patruo, qui fratri ſucceſſerat, adoptatus, demum poſt hujus mortem regnavit. ſequitur

ARIOBARZANES II.
REX CAPPADOCIÆ
COGNOMENTO PHILO-ROMÆUS.



Etiam hoc numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi rectè modò memini, eſt apud Goltzium; Sed interpres Nonnius id non ad Ariobarzanem *ſecundum*, ſed ad *primum* retulit, ſecundi parentem, qui poſt Regiam Ariarathum ſtirpem, cùm Cappadoces ſine Rege vivere non poſſent, Rex à Senatu non conſtitutus tantùm, ſed &, cùm à Tigrane expulſus eſſet, reſtitutus eſt, iterumque à Mithridate ejectus, pace Syllanâ ad ſolium rediit. Et quis de hoc dubitet? cùm jure, Nominis Romani hoc Numismate inſignem ſe cultorem oſtendat, cùmque Cicero de eô apertè pro lege Maniliâ, *Regno expulſus eſt Ariobarzanes SOCIUS POPU-*

POPULI ROMANI & AMICUS? Quid clarius dici poteſt? Si fortiora non pro filio pugnarent, reſpondit DULODORUS, cum Nonnio ſentirem; Sed ille ipſe Cicero, ut Patrem *ſocium* & *amicum* vocat, in Oratione pro Lege Maniliâ, ità filium indubio Numiſmatis indicio, PHILOROMÆUM cognominat in Epiſt. Libri familiarium XV. *Cùm Veſtra* inquit, *Authoritas intercesſiſſet, ut ego regem ARIOBARZANEM EUSEBEN & PHILOROMÆUM tuerer &c.* Si de filio hæc Cicero, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, utique causâ ceciderit Nonnius. Quis autem dijudicet, annon & ipſum de Patre? Ratio temporis id negat, reſpondit DULODORUS; Cicero enim Proconſul ex Cappadocia hoc ſcripſit, Mithridate jam ante biennium occisô. Lex autem Manilia quindecim ferè annis proconſulatu Ciceronis vetuſtior eſt, Pompejum enim contra Mithridatem mittendum ſuadet: Pompejum, inquam; qui regnum Cappadociæ ex Patris voluntate in filium transtulit, eumque in ſella corruli aſſidere coegit, uti Valerius Maximus Lib. V. c. 7. memorat, quem honorem is tanti habuit, ut in alterô apud Goltzium Numiſmate, non quidem ad mentem Nonnii Romam ſedentem, ſed obſervante Magnio Noſtro Spanhemio, ſeipſum Sellæ curruli inſidentem expreſſerit. Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, erraverit & Eques Patinus, qui in Theſaur. & ipſe, Ariobarzanem eum, qui Ariarathe mortuô, cùm libertatem Cappadoces ferre non poſſent, Rex conſtitutus eſt, adeoque Patrem, *Philoromæum* dictum aſſerit. Sed quid Pallas victoriolam porrigens? annon potius Roma hæc fuerit,

Cecropiæ ritus imitata Minervæ?

Poſterius ſanè ſuadere videtur Romanorum Amicitia, quorum ex manibus Ariobarzanes, non hic tantùm, ſed & Pater ejus, victoriam recepit, hoſtibusque ſuis prævaluit. Acuta conjectura eſt, inquit DULODORUS, cùm autem idem planè habitus etiam in aliis, non Cappadociæ tantùm, ſed & Syriæ Regum nummis vulgatiſſimus ſit, potius in Minervâ ſubſiſtimus; Præter enim, quòd in Minerva etiam Romanorum origenes lateant, ab Ilio ſcilicet ductæ, ubi Minerva Ilias innotuit, ut ſuprà vidimus, bellicum hoc numen ideò expreſſum ſtatui poteſt, ut victorias ab eô ſe exſpectare, rex innueret; Neque enim deſidem, & ſolâ Romanorum ope nixum arbitreris, cùm bellô Civili Pompejum fuerit ſecutus, regnumque à Pharnace pulſus receperit, vindictæque gratiâ inde cum Domitio Calvino ſe conjunxerit, tandemque & contra Brutum & Caſſium pro Cæſare ſteterit, & pro fide ſuccubuerit: Adeò verum eſt elogium, quod ei Cicero d. Ep. tribuit: *In Rege Ariobarzane,* inquit, *ea mihi ſigna videor, virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga Vos perſpexiſſe, ut non ſine cauſa tantam curam in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe.* Succeſſit

ARIARATHES IX.
REX CAPPADOCIÆ.
EUSEBES & PHILADELPHUS.




An hic à ſuperiore diſtinctus eſt? excepit ARCHÆOPHILUS. Eſt, reſpondit DULODORUS; Non tantùm enim ex adjunctô cognomine Philadelphi, ſed & ex facie diverſitas apparet, cùm Ille breviore, Hic longiore filo: Ille naſo preſſiore, Hic elatiore & adunco ſignetur. At eôdem, excepit ARCHÆOPHILUS cognomine ΕΥΣΕΒΟΥΣ inſcribuntur. Id non obſtat, reſpondit DULODORUS. In propoſito enim alterum illud *Philadelphi* accedit, eôdem modô, quô inter Antiochos, inter quos Octavús Ἐπιφανής, Undecimus Ἐπιφανὴς Φιλάδελφος, Quartus Θεὸς Ἐπιφανής, Sextus Θεὸς Ἐπιφανὴς Νικηφόρος dicuntur, & tamen non iidem, ſed diſtinctiſſimi ſunt. De his dubium non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, & Vaillantius eos tàm accuratè expoſuit, ut æternam ei gratiam vel hoc nomine debeamus. Quis autem de Ariarathibus nos docebit, cùm *novem*, niſi fallor, in ſerie memorentur, Numiſmatum autem penuria hîc tanta ſit, ut nihil certi inde colligas? Minimùm reſpondit DULODORUS, propoſitum Ariobarzanis II. cujus modô numiſma vidimus, fratrem fuiſſe, certiſſimè confido me deducturum, non tantùm ex naſo elatiore & aquilino, quem cum fratre communem habet, ſed etiam ex cognômine Φιλαδέλφȣ; Hôc enim inſignem illam pietatem, & amorem verè fraternum adumbrat, qui ne regni quidem cupiditate expugnari potuit; Cùm enim Proceres eum contra fratrem inſtigarent, regnumque ei deferrent, adeò iis non ceſſit, ut fratri potius eos detexerit, ſibique ut caveret monuerit: Quâ etiam de causâ Cicero Epiſt. 2. lib. XV. ad familiares eum *fratris amantiſſimum*, & *ſummâ pietate præditum* appellavit, quòd quid eſt, quàm quod in nummo legitur, ΕΥΣΕΒΗ καὶ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΝ. Non auſim reſiſtere, inquit ARCHÆOPHLUS, imò nec de Pallade ulterius quæſierim, cùm hæc procul dubio eâdem, quâ & fratri, ratione ſignata ſit. Quid autem ante Palladem ſub victoriolâ? an Tropæum? an Bellona? neque enim ritè diſcerno. Oedipus non ſum, inquit DULODORUS, labor tamen, ut pro Tropæo decernam, adeò ut in averſa hâc Ariarathis Noſtri & pietatem & bellicam virtutem noſcas: Virtutem bellicam in Tropæo, pietatem in Pallade Victoriam porrigente, & quidem talem, quæ lauream non Regi, ſed Deæ imponat. Quid autem pietas, quid virtus contra potentiam? Antonii arbitriô & regnum perdidit & vitam. In Caria ſe ſiſtit

PIXO-

PIXODARUS
CARIÆ DYNASTA



An *Pixodarus* hîc dicitur? infit ARCHÆOPHILUS; at ego *Pexodorum* appellatum credebam; Diverſa, reſpondit DULODORUS, apud Authores nominis lectio proſtat. Πεξόδωρον appellat Plutarchus: Πηξώδορον Diodorus, ubi Πιζώδαρον legendum, marginalia falsò mònent. Arriano Πηξόδαρος vocatur: Straboni Πιξώδαρος, planè qualiter & in Numiſmate noſtro, ex quo & conſtat, eum Tertium Hecatomni filium fuiſſe, qui propterea Diodoro ὁ νεώτερος τῶν ἀδελφῶν *fratrum minimus* vocatur. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, recepta Literæ H pronunciatio diverſitatem invexit, memini enim multos eam ut i pronunciandam ſtatuere. An rectè hoc fiat, reſpondit DULODORUS, aliis dijudicandum relinquo. Minimùm unius literæ ſonus aboleretur, alteriusque absque neceſſitate diverſa figura exprimeretur, id quod Priſcos feciſſe, veriſimile non eſt. Quicquid ſit Πιξώδαρος per i legitur etiam apud Herodotum, quamquam non de noſtro, ſed de alio vetuſtiore Cariæ Satrapa, Pixodari ſcilicet noſtri tritavo. Tale enim ex Authoribus conficitur ſtemma:



Et ultimus hic, ille eſt, cujus hîc Numiſma contemplamur. Si duo hoc nomine fuerunt, reſpondit ARCHÆOPHILUS, unde tu certus es, Numiſma ad poſteriorem pertinere, cùm utique præter nomen nihil, ac ne *Regis* quidem titulus adjiciatur. *Regis* Titulus, reſpondit DULODORUS, an in Cariâ uſitatus fuerit, meritò dubites; apud Authores enim vel *Dynaſtæ* vel *Satrapæ* vocantur: Ad ultimum autem Pixodarum hoc Numiſma pertinere, ex aliis contemporaneis conſtat, Idriei ſcilicet apud Cel. Seguinum, qui iisdem planè ſymbolis uſus eſt, quibus & noſter, capite ſcilicet Apollinis & ſimulacro Jovis Labradenſis, quem & nos in Hecatomni nummo vidimus, ubi & de cultu ejus in Caria, & unde bipennem gerat, ex Plutarcho tradidi. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed de capite Apollinis velim doceri, Seguinus enim ejus rationem non addidit,

dit. Etiam in hoc, respondit DULODORUS, Dei cultus se sistit; Præter enim quòd apud Milesios Cariæ, is diversis cognominibus, *Didymæi* scilicet & *Milesii*, ut apud Strabonem & Sozomenum legitur, imò & ΟΥΛΙΟΥ apud eundem Strabonem, & ΘΥΙΟΥ apud Hesychium innotuit, videri potest & Herodotus, ubi Apollinis in Caria *Triopii* & Certamen & Templum describit, Victoriæque præmium Æreos Tripodes narrat fuisse, quos tamen Victoribus asportare nefas fuerit. Sed ex Caria in Syriam transimus. Hîc primum se nobis offert

ANTIOCHUS MAGNUS,



Cujus Numisma licet nihil rari contineat, (quis enim Apollinem ignorat, Seleucidarum progenitorem?) duplici tamen de causa hîc producendum judico. Primò, quòd æreum est, quale sub Antiocho hoc, cum Apolline Vaillantius non exhibuit, qui aliâs & testatur, Nummos Antiochi M. raros, & non obvios esse: Deinde, quòd ipse Apollo duplici insigni ornatus sit, *sagittâ* scilicet & *lyrâ*, quarum hæc in nullo hactenus Syriæ Regum Numismate visa est. Loco Lyræ, inquit ARCHÆOPHILUS, Arcum Apollini dari memini; sed quis dijudicet, an Antiocho M. hic Nummus debeatur? cùm tamen nullo is, vel cognomine, vel numero chronologico determinetur? Effigies, respondit DULODORUS, clarior est, quàm ut dubitari debeat; Quis enim alius ex Antiochis naso tam oblongo, tamque acuto insignitur? Antiochi Magni filius natu minor fuit

ANTIOCHUS
DEUS EPIPHANES,



Cujus Numismata produco, insolitis Regibus Syriæ typis percussa. Apud Vaillantium, excepit ARCHÆOPHILUS, talem me vidisse non memini, & nisi inscriptio Antiochum apertè designaret, ego potius ad Ægyptum hæc numismata referrem. Quid enim communius in nummis Ptolemæorum, quàm Aquila Κεραυνοφόρος? ut de capite Jovis taceam, quod tamen præsertim in grandioribus, loco Regii & ipsum, haud infrequenter substituitur. Ad Ægyptum, respondit DULODORUS, haud abs ratione respicis. Antiochum enim nostrum

noſtrum Ægyptum omnem obtinuiſſe, ex Porphyrio refert Hieronymus ad cap. XI. Danielis. En verba! *Cùm poſt mortem Cleopatræ Eulæus Eunuchus, nutritius Philometoris, & Lenæus Ægyptum regerent, & repeterent Syriam, quam ANTIOCHUS fraude occupaverat, ortum eſt inter Avunculum & Puerum Ptolemæum prælium. Cumque inter Peluſium & montem Caſium commiſiſſent, victi ſunt duces Ptolemæi. Porrò ANTIOCHUS parcens Puero, & amicitias ſimulans aſcendit Memphin, & ibi ex more, Ægypti regnum accipiens, puerique rebus ſe providere dicens, cum modico populo OMNEM ÆGYPTUM SUBJUGAVIT SIBI. Et abundantes atque uberrimas ingreſſus eſt civitates, fecitque quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus; Nullus enim regum Syriæ ita vaſtavit Ægyptum: & omnes eorum divitias diſſipavit, & tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces Pueri erant, ſuâ fraude ſubverterit.* An hæc de Antiocho Deo Epiphane? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, reſpondit DULODORUS, expreſsè enim *Ptolemæi Philometoris avunculum* vocat, quòd mater Philometoris, Antiochi Magni filia, & Dei Epiphanis ſoror fuiſſet; Ut proinde non abs ratione Numiſmata hæc in Ægypto percuſſa, ideoque non Aquilam tantùm, Regum Ægyptiorum inſigne, ſed & Jovem iis impreſſum ſtatuamus. In ſecundo, excepit ARCHÆOPHILUS, non Jupiter, ſed niſi fallor, ipſe Rex viſitur, & quidem inſolito planè ornatu. Quid enim? annon coronam ſpiceam, impoſitumque ei florem *loti* aut *ſylphii* mihi videre videor? Eadem conjectura, reſpondit DULODORUS, & mihi ſedet, cùmque non tantùm coronam ſpiceam reges Ægypti ferre ſoleant, uti exemplo Lathuri patet, quem Tomo I. p. 263. produxi: Sed & lotus, aut ſi mavis ſylphium inſuper Ægyptiis divinitatem arguat, (ut eum taceam, qui apud Urſinum inter Imagines Illuſtrium proſtat, & ex ſimili ornamento Ptolemæus Apion ſtatuitur,) neſcio, an multum errem, ſi Antiochum hoc ornatu, divinam Majeſtatis ſublimitatem, profluentumque inde felicitatem publicam, agnoſcam oſtentantem; Sed non hoc tantùm in Numiſmate novum eſt; occiput ſi ritè video, velô tegitur, capillique in cincinnulos contorti ſunt. Velum, excepit ARCHÆOPHILUS, & ipſum Divinitatis argumentum eſſe, ex Martiano Capella conſtat, ubi *Jupiter*, Deorum concilium convocaturus, ut Majeſtate, ſolio ſuô dignâ compareret, etiam *caput ex poſticis velo ornaſſe* legitur; De Cincinnis autem neſcio quid ſtatuam. Eos nec negare nec aſſerere auſim. Veſtigia clara ſunt, ſed nullum hactenus Numiſma, ne dicam Antiochi hujus, ſed ne regum quidem Ægyptiorum eos exhibuit; Adde quòd Antiochus noſter, cùm Ægyptum anno Æræ Alexandrinæ 142. occupaverit, in Numiſmate tamen apud Vaillantium, anno 144. percuſſo, ejusmodi cincinnis omninò careat, quos utique, ſi ipſis conſpicuus fuiſſet, veriſimile non eſt in nummo omiſſurum fuiſſe. Anno 144. reſpondit DULODORUS Ægypto jam exceſſerat, adeòque quid mirum, ſi & Ægyptiorum morem, ſimul cum Ægypto reliquerit? Eum ſanè in Ægypto callide credi poteſt ſervaſſe, ut Ægyptiorum animos, ſimul & habitu ſibi devinciret. In more Ægyptiorum cincinnos reponis, inquit ARCHÆOPHILUS; ſed unde hoc probas? cùm tamen nota hactenus Ptolemæorum capita iis omninò careant? At non caret, reſpondit DULODORUS, quod ex Urſino allegavi, Ptolemæi Apionis: Non caret, quod infra producam, Ptolemæi incerti quidem, ſed quod ex propoſito aliquam lucem mutuari poteſt. Unicum adhuc in medium adfero, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed quod vereor, ne omnem de Ægypto ſententiam evertat. Si Vaillantium audis, Antiochus cognomen Θεȣ

Επιφάνȣς à Samaritanis accepit, idque anno 145. quo jam dudum Ægypto excesserat; Si hoc verum, apertum utique est, Numismata hæc, utpote in quibus cognomen id occurrit, in Ægypto signata falsò statui, sed pertinere & ad cultum Jovis, quem crudeli zelo Antiochus in Judæam invexit, & ad expeditionem in Persas, quos Crinitos fuisse & ipsos, ex Herodoto Lib. VI. c. 19. jamdudum innotuit. Aliud est Crinitum, respondit DULODORUS, aliud Cincinnis ornatum esse; Sed de hoc alibi. De Vaillantii sententia quæro, an de suo rem affirmet, an aliunde hauserit? Josephum citat, inquit ARCHÆOPHILUS, cujus assertum proculdubio fidem meruerit. Josephus, respondit DULODORUS, nullibi affirmat, Samaritanos *primos* Antiochum cognomine Θεȣ̃ Επιφάνȣς honorasse, multò minus, Antiochum eô ante id tempus usum non fuisse. Samaritanorum quidem Epistolam tradit, Antiocho Θεῷ ἐπιφάνει inscriptam; Quis autem inde cum Vaillantio concludat? Quis non potius, consueto id more Samaritanos fecisse? adeoque eô cognomine Antiochum etiam ab initio usum fuisse, quando Επιφανὴς, teste Appiano, à Syris cognominatus est. Assurgerem placito, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi Numismata apertè contrarium arguerent. Contrarium? subjecit DULODORUS; at nullibi cognomen Επιφάνȣς *solum* in hujus Regis Nummis occurrere, sed semper cum cognomine Θεȣ̃ conjungi, ipse Vaillantius agnoscit. Imò in pluribus omninò omittitur utrumque, reposuit ARCHÆOPHILUS, idque fit etiam eo in Nummo, qui cum Chronographia Anni 144. prostat, à Tyriis percussus: Et quid inde concludas, si non ante Samaritanorum Epistolam ejus cognominis usum non fuisse? Numismataque eô carentia ante annum 145. reliqua autem, id sc. præferentia, postea demum percussa esse: quô posito, Vaillantii utique sententia firma basi nititur. Non arbitror, inquit DULODORUS, constat enim Cognomina sua Reges cum in quibusdam expressissent, eadem postea rursus omisisse. Exempla apud ipsum Vaillantium prostant: Alexander I. cum in Nummis Anno 162. & 163. percussis, Θεόπατωρ & Ευεργέτης legatur, in alio, anno 166. signato, solo Βασιλέως honore insignitur: Demetrius II. cum in Nummo Anno 174. percusso Θεȣ̃ Νικάτορος cognomine fulgeat, in sequentibus Anno 175. signatis, eô rursus caret. Ita & Antiochus VII. Anno 176. Evergetæ cognomine in Nummo usus est, Annis autem 178. & 181. eò rursus abstinuit. Ex quibus utique apertum est, ex Numismate Dei Epiphanis Anno 144. sine cognomentis percusso, infirmum omninò, contra me opinionemque meam, argumentum trahi. Vaillantium potius ipsô factô mihi suffragari, nescio annon audacter asserere ausim; Ipse enim Numismata Antiochi nostri cum cognominibus Θεȣ̃ ἐπιφάνȣς priore locô proposuit, reliqua autem cognominibus iis carentia, & nominatim id quoque, quod Anno 144. percussum allegasti, loco posteriore exhibuit, inter quæ quod pagina 196. habetur, dubitari posset, annon ad Antiochum IV. pertineat, cum additæ literæ O q. numerales scilicet, ad annum 170. id rejicere videantur. Sed hoc ἐν παρόδῳ. Sequitur, qui filium Antiochi nostri, Antiochum scilicet Eupatorem, interfecit,

DEME-

DEMETRIUS I.



Nummum ſimilem, inquit ARCHÆOPHILUS, jam apud Vaillantium vidi. Vaillantii Nummus, reſpondit DULODORUS, literis numeralibus à noſtro differt. Percuſſus enim eſt Anno ΔΝΡ, id eſt, 154. cùm noſter annum ΗΝΡ. 156. præferat. Cæterum rem utrinque eandem ſignari, haud invitus agnoverim, quis enim Tyrios Numiſmatis authores neget, cùm eorum nomen in eo proſtet? Quis Tyrios navali potentia illuſtres? cùm tamen primi navigaſſe, primique Triremium inventores authoribus idoneis memorentur? Hoc tritum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem ad Numiſma ſufficiat? annon ſpeciale quoddam meritum Tyriis cauſa numiſmatis fuerit? Si hanc exquiras, inquit DULODORUS, poteris ad Legatos reſpicere, quos Demetrius anno 154. Romam miſit, quosque fortaſſe Tyrii navibus ſuis deduxerunt. Si conjecturam admittas, utique non abſonum erit credere, Anno 156. eos rediiſſe, ideoque Typum in noſtro Numiſmate tunc repetitum eſſe. De hoc autem ſuum cuique placeat. Sed alia ſubeunt Demetrii Numiſmata



vel ideò proponenda, quia apud Celeberrimum Vaillantium de Regibus Syriæ non exſtant. Plures Demetrii fuére, excepit ARCHÆOPHILUS indeque quis dijudicet, an ad primum, an ad ſecundum hæc pertineant, nullo in Nummis occurrente certitudinis indicio? Primo, reſpondit DULODORUS, addicit faciei ſimilitudo, quæ cum Apollinis inſignibus expreſſa, adhuc tamen ſatis perſpicue noſcitur, adeòque dubii nihil relinquit. Eò ſcilicet ambitio progreſſa eſt, ut miſcendo humana divinis, Majeſtatem ſuam Auguſtiorem conaretur facere. Apollinem, reſpondit ARCHÆOPHILUS, arguit & Tripos in utroque Numiſmate, nec dubium eſt, ad originem Regum Syriæ, Deum referendum eſſe, de quo alibi. Rem tenes, inquit DULODORUS, ideoque ad alia nobis tranſeundum. Sequitur

(C) 2 ALE-

ALEXANDER THEOPATOR.



Nec in hoc Numiſmate aliquid rari eſt, excepit ARCHÆOPHILUS. Vaillantius id & propoſuit & explicavit, Palladem cum Victoria ad cultum Deæ referens, jam inde ab Alexandro M. Syriæ Regibus conſuetum, & quem Alexander Theopator eò ambitioſius proculdubio jactaverit, quòd & nomen cum Magno commune habuit, & Victoriam contra Demetrium ejus opi adſcripſit. Quid ultra deſiderem? Nihil reſpondit DULODORUS, omninò, niſi literas K & Δ interjecto ſidere; neque enim, licet Vaillantius hîc taceat, has fruſtrà adjectas arbitrarer. Apud Vaillantium, excepit ARCHÆOPHILUS, non K & Δ media ſtella, ſed K & Monogramma, niſi fallor ex Δ & H compoſitum exſtat. De his ego ſine inſpectione Numiſmatis non judicavero, inquit DULODORUS, quanquam quòd Δ concurrat, forſitan non litera H ſed M ei juncta ſit, junctaque & tertiam A conſtituat, adeò ut locus ſignati numiſmatis non tantùm ſub litera Δ ſed & ſub Monogrammate lateat, Damaſcus ſcilicet, quam vel unica litera Δ etiam in aliis deſignari, jam in confeſſo eſt. Si hoc admittam, excepit ARCHÆOPHILUS, quid ſub litera K mihi imaginabor? quid ſub ſtella? Quid aliud? inquit DULODORUS, ſi non Cœleſyriam? in hac enim Damaſcum ſitam, ex Ptolemæo novimus? ſed

CLEOPATRA,
ALEXANDRI THEOPATORIS UXOR



Subit, eaque in Numiſmate, parvo equidem, ſed eximiæ omninò raritatis, cùm apud Cl. Vaillantium, in tractatu abſolutiſſimo de Regibus Syriæ, non occurrat. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, nec eò pertinet; præter enim Alexandri Regis nomen, quid in nummo eſt, unde aſſertum ſtabilire poſſis? an Elephas? at hic Ægypti Reginæ convenientior eſt, cùm utique Cleopatram proboſcide Elephanti ornatam Seguinus vulgârit, & quidem eam, quæ filium Alexandrum contra fratrem Ptolomæum Lathurum Regio ſolio intulit: Adeò, ut aperta hinc cauſa ſit, cur in Numiſmate hoc, licet in averſa Alexandri

xandri nomen legatur, non hujus tamen, ſed illius matris in adverſa caput expreſſum ſit. Hæc veriſimiliter exponis, inquit DULODORUS, ſed mihi non perſuadent. Obſtat juvenilior capitis hujus adſpectus, cùm utique Cleopatram, Alexandri Ægyptiaci matrem, cùm hic ſolium aſcenderet, quinquagenariâ majorem oporteat fuiſſe; procul dubio enim, cùm Ptolemæus Evergetes ejus maritus moreretur, Alexander ejus filius jam regni capax fuit; aliter enim mater ei regnum vindicare abs ratione tentaſſet. At ab eô tempore Alexander populi ſtudio excluſus, regnum fratri Lathuro adhuc 17. annos ceſſit, iisque elapſis demum Rex appellatus eſt, cùm fratrem ejeciſſet. Si igitur 17. hos annos, & ætatem Alexandri ſub mortem parentis, ad ætatem Cleopatræ, quâ peperiſſe potuit, addamus, majorem utique deprehendemus, quàm ut juvenili ſpecie in nummo effingi potuerit. Sed princeps mihi argumentum eſt, Diſſimilitudo ab Ægyptiaca, & ſimilitudo cum Syriaca; Utraque enim jam ex nummis nota eſt. Illa apud Seguinum, hæc apud Vaillantium proſtat, non in Alexandri mariti tantùm, ſed & in Antiochi Epiphanis filii Nummis. Illa facie etiam ſub Ptolemæo provectiore, naſo arctiore, ore remiſſo, filo breviore; at noſtra facie florida, naſo productiore, ore & mento projectis, filo longiore conſpicua eſt. At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon Elephas rem ad Ægyptum deducit, cùm utique Africæ Elephantorum genetricis caput, Elephanti proboſcide ornatum paſſim proſtet? Syriam certè Elephantos gignere, apud priſcos me legiſſe non memini. Ab Alexandri tempore, reſpondit DULODORUS, Syriæ Elephantos non negabis; Reges enim eos aluiſſe, tam uſui bellico, quàm Triumphali, ex nummis Seleuci & Antiochi Dionyſi indubium eſt. Sed in propoſito, ut ad Ægyptum reſpicias, nihil omninò prohibet. Cleopatatra enim hæc, Superioris ſoror fuit, utraque ſcilicet Ptolemæi Philometoris filia. De Nuptiis ita ſacræ literæ: *Exivit Ptolemæus de Ægypto, & Cleopatra filia ejus, & venit Ptolemaidem annô centeſimo ſexageſimo ſecundo: Et occurrit ei Alexander Rex, & dedit ei Philometor Cleopatram filiam ſuam, & fecit nuptias ejus in Ptolemaide.* An autem tam ambitioſa hæc fuit? excepit ARCHÆOPHILUS, ut caput ſuum pro capite Regis ſubſtituere fuerit auſa? aut an Rex ejus maritus tam inſolentiæ patiens, tam præeminentiæ ſuæ prodigus, ut credi debeat publico in monumento id paſſus fuiſſe? Quid ni? reſpondit DULODORUS, cùm utique in Numiſmate, à Cl. Vaillantio publici juris facto, capiti mariti loco nobiliore juncta, modium & velum divinitatis indicium ferat, cùmque & eôdem locô honoratiore, eôdemque velo divinitatis, & in nummo filii Antiochi Epiphanis proſtat, cùm interim Reges loco humiliore poſiti, ſolo diademate inſigniantur? Alexander ſcilicet, Regni, Ptolemæi auxiliis occupati memor, haud abs ratione hoc honoris uxori tribuiſſe creditur; & quis diſcernat, annon ſub Elephante gradiente ea auxilia hoc in nummo deſignet? Quicquid ſit. Alexandro occiſo regnum patrium recuperavit Demetrius II. Contra Demetrium, occiſô pupillô Antiocho VI. ſurrexit

TRYPHON.



Tryphonis Nummus, inquit ARCHÆOPHILUS, vulgaris eſt. Regis effigiem graphicè expreſſit Sculptor Vaillantii in Tractatu Nobiliſſ. de Regibus Syriæ, ubi ſimul & docetur, ſub Galeâ averſæ, nominis Etymon latere; cornuaque Galeæ affixa geſtare, Regibus moris fuiſſe. Quid præter hæc ad Numiſma monendum? Duo occurrunt, reſpondit DULODORUS, unum in Cornu, alterum in Galea & in pileis Dioſcurorum. Pileos Dioſcurorum, excepit ARCHÆOPHILUS, & ipſos Vaillantius notavit, Tripolitarum inſigne arbitratus, quod ibi Numiſma ſignatum ſit; variare enim ejusmodi notas in Tryphonis hoc numiſmate, obſervarique & Cornu-copiæ Antiochenſium in Ptolemaide, & Acroſtirium Sidoniorum, & Palmæ ramum Laodicenſium, & alia. Non de pileis loquor, repoſuit DULODORUS, ſed de impoſitis ſtellis, quæ non ſolitô more figurantur, ſed perfectæ crucis inſtar, cumque eadem crux etiam in galea ſub apice occurrat, utique indubium videbitur, etiam ibi ſtellam intelligi debere, cujus ratio licet mihi incognita ſit, rem tamen indicare omninò oportuit. Hoc benè obſervas, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem in cornu? Non Hircinum id eſſe, reſpondit DULODORUS, quale vulgò ſtatuitur, quale & pictor Vaillantii expreſſit, ſed omninò Capræ, & quidem Sylveſtris; Ex aſſe enim convenit cum iis, quibus Capra Sylveſtris in Elyriorum Nummis inſignitum, in ipsâ hâc Electorali Gaza proſtat: & quidem non recurvâ ſummitate tantùm, ſed & nodulis illis notabilis, quibus ætatem deſignari ex Plinio diximus. Nec hoc absque cauſa fortaſſe ita expreſſum; Cùm enim Tryphon contra Reges Syriæ montium præruptis præcipuè ſe tueretur, utique capræ ſylveſtris Genium & ipſe æmulatus eſt. Commodè Strabo: Πρῶτον ἐςὶ τῶν Κιλίκων Φρȣ́ριον τὸ Κορακήσιον, ἱδρυμένον ἐπὶ πέτρας ἀποῤῥῶγος, ᾧ ἐχρήσατο Διόδοτος ὁ Τρύφων προσαγορευθεὶς, ὁρμητηρίῳ, καθ᾽ ὃν καιρὸν ἀπέςησε τὴν Συρίαν τῶν βασιλέων, καὶ διεπολέμει πρὸς ἐκείνȣς, τοτὲ μὲν κατορθῶν, τοτὲ δε πταίων. *Primum Ciliciæ caſtellum eſt Coraceſium, ſitum in PETRA PRÆRUPTA: quâ arce belli uſus eſt Diodotus cognomento Tryphon, cùm à Regibus abalienaret Syriam, bellumque dubiæ fortunæ vicibus adverſus eos gereret.* Tryphonem evertit

ANTIO-

ANTIOCHUS EVERGETES,



Numiſma hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor Vaillantius & ipſum jam prodidit. Similia prodidit, reſpondit DULODORUS, propoſitum autem, aliaque diverſis numeris diſtincta, conſultò prætermiſit. Mihi, ut luce dignum hoc arbitrer, non tantùm literæ Numerales, ΔΟΡ. 174. quæ in primum Antiochi Noſtri annum incidunt, ſed inſolita Regibus Syriæ, Effigiei repræſentatio facit, cum non caput tantùm, ſed & humeri expreſſi ſint, eô modô, quo Hermæ ſolent: facit & clava, quæ apud Vaillantium non viſitur: facit tandem & Corona Iſidis, quam hactenus neſcio quâ ratione Lotum Ægyptiam interpretantur. Vaillantius inquit ARCHÆOPHILUS, rationem utique addit, Lotum aſſerens, caput habere papaveris inſtar, ex quô flos, caulis, & fructus prodeant, qualemque frequentes Ægypti, Mauritaniæ, & Siciliæ nummi exhibeant, ad denotandam ſcilicet regni fertilitatem, cui proinde & ſpicæ additæ ſint. Hæc novi, inquit DULODORUS, ſed novi juxta & aſſertum Theophraſti, caput Loti quidem papaveri ſimile narrantis, ſed addentis, *inciſuris illud præcingi, non aliô modô, quàm papaver.* Huic quid ſimile in propoſito? Et quis unquam florem, caulem & fructum ex capite prodire veterum aſſeruit? *Flos*, inquit idem Theophraſtus, *liliis foliorum anguſtiâ proximus: Multi ac denſi promiſcui exeunt, ſole occidente ſe comprimunt, caputque integunt, ad ortum aperiuntur, & ſuper aquam aſſurgunt; idque facit dum caput perficiatur, floresque defluant.* Ex quibus utique clarum, non florem ex capite, ſed caput ex flore prodire, qualiter & papavera ſolent, quorum flores & ipſi caput integunt, durantque donec caput perficiatur, eô autem perfecto & ipſi defluunt. Opinionem de Loto, inquit ARCHÆOPHILUS, validè video everſam; Unde autem Tu de Corona Iſidis probabis? De Corona Iſidis, reſpondit DULODORUS, vel unicus locus Apuleji perſuadebit. Ita ille Lib. XI. Metamorphoſeωn: *Corona*, inquit, de Iſide locutus, *variis floribus ſublimen diſtrinxerat verticem, cujus media quidem ſuper frontem plana ROTUNDITAS in modum ſpeculi, vel immò argumentum Lunæ, candidum lumen emicabat. Dextra lævaque ſulcis inſurgentium VIPERAM cohibita, SPICIS etiam Cerealibus deſuper porrectis multicolor, byſſo tenui pertexta.* En media rotunditas inſtar ſpeculi! En dextra lævaque inſurgentium ſulci viperarum! En ſpicæ Cereales deſuper porrectæ! Vertexque variis floribus diſtrictus an diſtinctus? Hæc omnia annon in Numiſmate noſtro indubia ſunt? ſed apertius adhuc cernuntur in ſimulacro Fortunæ videntis, quod Cimeliarchium Electorale & ipſum aſſervat, quodque infra Tibi me oſtenſurum recipio. Hoc ſi ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, cur Syriæ rex Iſidis inſigne expreſſerit?

An

An quod Iſis in Syria culta fuerit? Potiora, reſpondit DULODORUS, & magis propria erant Syriæ Numina, ut proinde, ſi huc tantùm reſpexiſſet. Antiochus Noſter, aliud procul dubio expreſſiſſet. Sed Uxor Cleopatra concurrere videtur, quæ Ptolemæi ex Ægypto filia fuit, quæque Antiochum ad regnum evocavit, eumque in obtinendo ſolio juvit. Huic ut honorem haberet, quid ſublimius, ſimul & occultius, jactare potuit, quàm Coronam Deæ, ipſius patriæ, cujusque cultum & ipſæ Reginæ non rarò ſibi vindicabant? Poſt Antiochi apud Parthos interitum, contra Demetrium, Ptolemæi Phyſconis artibus & robore ſurrexit

ALEXANDER II.



Tria hic Alexandri numiſmata produco, quorum ſecundum & tertium, licet jam apud Vaillantium vulgata proſtent, hic tamen iteranda duco, non tantùm quòd effigies in tertio clariſſima ſit, ſed & quod ex ſecundo lucem ſuam fœneretur: primùm ſcilicet literæ numerales ΔΠΡ, quæ annum 184. deſignant, & in primo & in ſecundo clariſſima ſunt, evincuntque ad eundem etiam Regem pertinere utrumque, & ad quem, ſi non Alexandrum ſecundum, cujus in primordia ille numerus incidit? Bacchum inquit ARCHÆOPHILUS, ad cultum ejus in Syria referri memini, de quo in Maccabæorum libris ampla mentio eſt, quanquam unde in Syriam venerit Thebæ natus, mihi compertum non ſit. Lucianus id docebit reſpondit DULODORUS, Διόνυσος inquit, ἐς Συρίαν ἀπίκετο, κείνην ὁδὸν τὴν ἦλθε ἐπ' Αἰθιοπίην. *Bacchus in Syriam venit eô itinere, quô in Æthiopiam eſt profectus*; imò non tantùm venit, ſed & templum condidit, in quo non Deæ Syriæ tantùm, ſed & ſua ſacra celebrarentur, id quod in tractatu de Dea Syria is latius enarrat. De inſignibus Bacchi infra erit dicendi locus. Non de his quæro, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed de duobus Cornubus Copiæ, quæ cum duo ſint, conjectura ſubit, annon duorum regnorum felicitas iis adumbrata videri debeat? Si ad Ægyptum reſpicias, reſpondit DULODORUS, opinio fortè de nihilo non erit, cùm Cornucopiæ in Ptolemæorum nummis rarum non ſit, Alexander autem Ptolemæi Phyſconis robore nixus, contra Demetrium proceſſerit, quanquam mihi potius

tius ad duplicatam Syrorum felicitatem typus referendus videatur, quô ſenſu *bis terque beatus* dicitur, qui ſumma felicitate præditus eſt, adeò ut Alexander non ſimplicem Syris felicitatem hôc typo oſtentaſſe credendus ſit, ut animos vulgi ſibi conciliaret. Numiſma Apame percuſſum eſſe, inquit ARCHÆOPHILUS, jam Vaillantium notaſſe memini, ubi autem ſignatum id, quod priore hic locô propoſitum figura navali inſignitur? Inſcriptio Punica, reſpondit DULODORUS, ad urbem quandam Phœniciæ id reducit, cumque navis juncta ſit, urbem Phœniciæ maritimam intelligendam, nemo non videt, quænam autem illa fuerit, an Tyrus? an Sidon? an alia quædam? integrior nummus docebit: Inficiendum tamen non eſt, ſimilem Vaillantio ſub Demetrio II. ad Sidonios referri, quorum & Deam Haſtaroth, ſive Aſtartem aut Venerem, ſub figura navi inſiſtente agnoſcit. Aſtarte, excepit ARCHÆOPHILUS, notante vel ipſo Vaillantio in opere de Coloniis, à Sidoniis aſtri figura culta eſt. Si huc reſpicias, reſpondit DULODORUS, poteris & me quidem judice rectius, Urbis Genium ſubſtituere, qui utique navi inſiſtens, urbem maritimam & navali gloriâ inſignem graphicè adumbraret: adeò ut ſuas vires maritimas hoc nummô, ut Demetrio, ita tempori ſervientes, poſtea & Alexandro credendi ſint obtuliſſe. Quicquid ſit, ſurgenti contra Alexandrum eâdem ratione

ANTIOCHO EPIPHANI
VICTORIAM A JOVE VIDENTUR PRECATI SELEUCIENSES ET ANTIOCHENSES,



Antiochenſium Numiſmata, excepit ARCHÆOPHILUS, tam eorum, qui ad Daphnem, quàm etiam eorum, qui ad Callirrhoën memorantur, Celeberr. Vaillantius ſub Antiocho IV. proponit, argumento ex Antiochi imagine deſumto. Ea ratio, reſpondit DULODORUS, non pro quarto, ſed pro octavo militat; non enim Deum Epiphanem, ſed omninò Epiphanem Numiſmata referunt, quem & propoſitorum primum, Seleuciæ in Pieria percuſſum, quæ cùm Antiocho Epiphani Nummum cum fulmine, apud Vaillantium & ipſa dedicaverit, hîc autem eundem Jovem expreſſerit, quem & Antiochiæ, haud futilem utique conjecturam ſuppeditat, ad eundem Epiphanem etiam Antio-

chenſium hæc Numiſmata pertinere. Sed aſpice effigiem! Regis cujusdam hoc eſſe, excepit ARCHÆOPHILUS, licet radii & divinitatem Solis includant, ex Diademate utique clarum eſt. Sed quid hoc? annon & Deus Epiphanes his fuerit inſignitus? Non hanc opinioni meæ baſin ſubſterno, inquit DULODORUS, quanquam fortè adduci poſſet, quòd Antiochus Epiphanes ſive VIII. eô ornamentô etiam in aliis indubiè proſtet, ut apud eundem Vaillantium videre eſt: Imò quòd & Solis & Jovis in his ratio ſit, qui in ejusdem Numiſmate, in Jove Solem præferente junguntur; Sed princeps argumentum mihi in faciei lineamentis ponitur. Quis enim non Antiochum Deum Epiphanem, quis non Epiphanem novit, quem vulgo Grypum appellant? Quis neſcit illius frontem ſuper naſum prominentiorem & à naſo profundiore ſulco diſtinctam? Naſum inde in medio non elevatiorem ſed presſiorem? quæ omnia in Epiphane, imò & propoſitis in nummis multò aliter ſe habent: Naſus multum ſub fronte prominet, & levi tantùm ſulco ab eodem diſtinguitur, in medio non preſſior ſed elevatior eſt, ut taceam totam faciem projectam, qualiter Grypus etiam in aliis nummis, Deus Epiphanes autem minimè pingitur. Si hæc ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, quomodo excuſabimus Jovem in his nummis expreſſum? Annon vel hic pro Deo Epiphane militabit? cum utique conſtet, id quod & Vaillantius optimè notavit, Antiochum hunc Jeroſolymis occupatis Idolum Jovis Olympii in templo loco ſancto collocaſſe, eoque omnes Judæos, abrogatô veri Dei cultu, coegiſſe. Ratio hæc eô validior videtur, quòd Callirrhoën locum in Palæſtina apud Jordanem fuiſſe, Joſephus memoret. Ita Vaillantius, reſpondit DULODORUS. Rev. Harduinus autem Nummum ad Antiochiam eam oſtendit pertinere, de quâ Plinius L. V. *Arabia*, inquit *habet Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirrhoën à fonte nominatam*, adeò ut non videam, quâ necesſitate ad Jovis cultum in Judæa adornatum Numismata referenda ſint. Quidni potius, cùm Jovis in Syria cultus vulgatiſſimus ſit, eumque teſtentur & Jupiter *Belus* ſive *Elymæus* apud Hieronymum in II. Dan. & Strab. L. 16. & *Botziæus*, cui Alexander aram ſtruxiſſe legitur, & *Caſius*, à monte Caſio appellatus, quidni, inquam, credamus urbes has, ſub hoc Jovis coronam porrigentis ſimulacro, Antiocho victorias à Jove Syriæ Tutelari voviſſe? Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid ultra deſiderem non habeo, niſi forte de Antiochenſibus in Ptolemaide aliquid innotuit, nam horum in Geographia altum ſilentium eſſe, idem Celeb. Vaillantius author eſt. Antiochiam, reſpondit DULODORUS, in Ptolemaide fruſtra quæri, Harduinus ait, cùm omninò Antiochenſes Ptolemaide agentes Numiſma ſignaſſe credendi ſint, locutione eâdem, quâ & apud Gruterum pag. CCCCV. ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩΙ. Aſſertùm eò firmius eſt, quô certius Ptolemais, non regio, ſed Urbs fuit. Quid, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi plures hujus Urbis partes fuerint, earumque una Antiochia dicta? eodem modo, quô Syracuſæ olim quatuor aut quinque urbes complexæ ſunt, ubi neſcio an adeò malè, qui Neapolin incoluére, Νεαπολῖται ἐν Συρακύσαις appellarentur; Neque enim aliter ab aliis diſtingui poſſent: Imo niſi hoc in Ptolemaide ſupponamus, neſcio an Antiochenſes, in Ptolemaide ſolius negotiationis cauſa ſubſiſtentes, jus monetæ ſignandæ ſibi vindicare potuiſſent? Cauſas non adeò fragiles memoras, reſpondit DULODORUS, cùm autem nullum hactenus idonei alicujus Auctoris ſuffragium accedat, tutius arbitror rem in medio deſtituere, quàm temerè Cenſorum virgulam irritare. Succedit

TRY-

TRYPHÆNA,
ANTIOCHI EPIPHANIS UXOR,



Cujus nummum non ideò tantùm proponendum arbitror, quòd nullus apud Vaillantium, cum capite Elephanti proſtat; Sed & ideò potiſſimùm, ut ſi integrior alibi lateat, huic inde lux affundi poſſit. Elephanti, excepit ARCHÆOPHILUS, ut jam ſupra notaſti, in Regum Syriæ nummis rari non ſunt, ſed ornatus capitis notari meretur; Licet enim id mutilum ſit, non obſcurè tamen adhuc velatum cernitur. Inde auguror, reſpondit DULODORUS, caput hoc muliebre eſſe; Velum enim Reginas vulgò geſtaſſe, vel exemplô Cleopatræ conſtat, Antiochi matris. Quidni igitur ad hanc reſpicimus? excepit ARCHÆOPHILUS. Numiſmatis ætas obſtat, reſpondit DULODORUS, nam ſub nomine Antiochi literam Σ video, quæ proculdubio numeralis eſt, annumque 200. deſignat, quò Antiochus Epiphanes fratrem Philopatorem devicit. Si hoc ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, incertum utique adhuc eſt, uter fratrum, hôc nummô celebretur? Non ad Victum, repoſuit DULODORUS, ſed ad Victorem reſpicerem, idque ideò potiſſimùm, quòd Tryphæna, hâc Victoriâ elata, ſororem ſuam Cleopatram Antiochiæ captam occidi, vel contra mariti voluntatem juſſerit: Quæ ratio ut caput hoc Tryphænæ, & non Cleopatræ eſſe, veriſimiliter conficit; Ita & nummum non Philopatori, ſed omninò Epiphani tribuendum, inde firmiter, arbitror, concluſero. Nec Tryphæna ſicca morte periit, excepit ARCHÆOPHILUS, repetitô enim inter fratres prælió, Philopator Victor exſtitit, isque juſtâ vindictâ, Tryphænæ ſuppliciô Uxoris ſuæ manibus deinceps parentavit.

ANTIOCHUS
PHILOPATOR,



Inquit DULODORUS, & ipſe ſe ſiſtit. Numiſma primum, ad regni primordia pertinere, ex literis numeralibus ΘqP patet, quibus annus æræ Seleucidarum 199. deſignatur, quô Antiochus noſter contra Antiochum Epiphanem,

 fratrem

fratrem suum uterinum, surrexit. Hoc ex Cl. Vaillantio memini, inquit ARCHÆOPHILUS, qui & ex fulmine, non tantùm numisma à Seleuciensibus percussum, sed & Antiochum ab iisdem receptum colligit: Quid autem alterum Numisma? Nam hoc apud Vaillantium non vidi. Eò rarius id est, respondit DULODORUS, & ideò vel maximè considerandum, quòd victoriam adumbrat, quâ Philopator, secundùm cum fratre congressus, victor exstitit; Id enim arguit Victoria, eôdem fere modô hîc expressa, quô & suam de Alexandro sacraverat Epiphanes, apud Vaill. p. 336. Quô & suam de Tryphone Evergetes, apud Eund. p. 305. Et de Demetrio Sotere Alexander, Ibid. p. 260. ut alios taceam. Hoc ad aversam Nummi, excepit ARCHÆOPHILUS, quid autem in adversa? an caput hoc Antiochi fuerit? Non hujus, respondit DULODORUS, sed & ipsum Victoriæ videtur; Victoriam enim prominentes à tergo alæ demonstrant. Alæ, reposuit ARCHÆOPHILUS, Victoriæ humeris solent esse affixæ, hoc autem, quod hîc dependet, ab ornatu capitis dependet, unde & Elephanti auriculam potius arbitrarer. Si opinio valeret, respondit DULODORUS, haud absurdè sub hoc capite Cleopatram Philopatoris uxorem agnosceres, cùm hæc exercitum Cypri, quô in prælio contra fratrem usus est, velut dotalem ei adduxisse memoretur: Cùm autem nulla proboscis, nullave alia Elephantis in hoc capite vestigia appareant, Ego potius alas agnoverim, sculptoris cælo paulò altius collocatas. Quod Cleopatram attinet, licet ea jam antè hanc Victoriam, utpote primô præliô capta, à sorore Tryphæna fuerit occisa, ejus tamen hîc effigiem expressam facilè crediddero, & quidem ideò sub Victoriæ habitu, quòd Philopator ejus cæde exacerbatus, non vires tantùm ejus in prælium deinceps attulit, sed & ultionis fiduciâ, ab eâ, jam Diva, se adjutum, proculdubio & speravit & credidit. Sed Antiochi Epiphanis & Tryphænæ ut filius tertius, ita & ultor fuit

DEMETRIUS,
PHILOMETOR, EVERGETES, ET CALLINICUS.



Hujus nummum, à Cl. Vaillantio jam vulgatum, ut denuò proponam, sola effigiei ratio postulat; Nasum enim elatiorem hic gerit, spiratque dignam suô fastigiô, dignam & genere & titulis suis virtutem. Virtutem, inquit ARCHÆOPHILUS, satis demonstravit in præliis, tàm contra Antiochum Euseben, quàm contra Judæos, quibus in utrisque victor exstitit: adeò ut ratio cognomenti Callinici inde satis clara sit: quâ ratione autem Philometor dictus sit, non video. Vaillantius quidem ob summam erga matrem pietatem id factum ait, sed quâ pietate matrem coluisse potuit, quæ annis viginti, antequam ille ad imperium procederet, ab Antiocho Philopatore fuerat occisa? Non vivos tantùm pietate prosequimur, inquit DULODORUS, sed & mortuos.

Deme-

Demetrius noſter cum filium Philopatoris, Antiochum Euſeben deviciſſet, proculdubio inter alias belli cauſas, & ultionem cædis maternæ habuit, quam utique cum conſecutus eſſet, non abs ratione ſe Philometorem credendus eſt vocaſſe. Tertium cognomen reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, Evergetis ſcilicet, quod aſſumſiſſe Vaillantio dicitur, ut populi favorem ſibi conciliaret. Rectiſſimè hoc, inquit DULODORUS, nullâ enim re populi favor conciliatur magis, quàm Beneficiis. His ut Reges Diis ſe aſſimilant, ita & devotos ſibi populorum animos devinciunt. Si hoc ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, ſub fulmine ego Providentiam & Imperii vires intellexerim, ita ut Demetrius iis, non minus ac Jupiter, ſuos ſe protecturum ſignificaverit. Hæc ratio, inquit DULODORUS, poterit concurrere, ſed Vaillantii placitum, Seleuciæ hunc nummum percuſſum ſtatuentis, non excluſeris, eô quòd fulmen Seleuciæ ſymbolum, in nummis eorum vulgatiſſimum ſit. Sed agmen claudit

ANTIOCHUS
EPIPHANES DIONYSUS.



Quintus Antiochi Epiphanis & Tryphænæ filius, cujus Numiſma tibi oſtendere, quam explicare conſultius arbitror. Id apud Vaillantium exſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, qui non tantùm palmam ad Apamen, locum nummi ſignati reducit, ſed & vas in eô expreſſum, per remotionem probat, Cantharum eſſe, quòd inter reliqua Baccho conſecrata vaſa, Cotylus unâ tantùm parte auritus fuerit, Carcheſium aures ad fundum usque deſcendentes habuerit, Crater vas amplum, plurimarumque amphorarum capax, Scyphus autem valdè latus, latiorque fundo fuerit, & Herculi potius, quàm Baccho ſervierit. Hæc curioſius examinare, reſpondit DULODORUS, nunc non vacat, ſi tamen libet, ſimplicius hoc vas amphoram appellabis, quæ & ipſa Baccho dicata, & à duabus auribus nomen ſortita eſt. Sed hæc, ut Numiſma Tibi oſtendam, cauſa non eſt. Solam Vaſis hujus figuram velim contempleris; ab eô enim, quod Vaillantii ſculptor dedit, non parvâ utique differentiâ cenſetur, Collum ille ſatis anguſtum pinxit, cum hîc latum ſit: Pedem à ventre ſeparavit, qui hîc cohæret, adeò ut forſan & Vaillantii, & mea ſententia ſubſiſtant, cùm noſtra figura propius ad amphoram accedat, illius autem propius ad cantharum, quem Bacchus etiam in aliis præferre ſolet. Quicquid ſit, ad cognomentum Dionyſi Typum alludere, certius eſt, quàm quod certum. In Ægyptum tranſeo. Hîc primos ſe ſiſtunt

PTOLEMÆI
LAGIDES ET PHILADELPHUS,
CUM UXORIBUS
BERENICE ET ARSINOE.



Fulgidiſſimum eſt hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, non metallo tantùm, ſed & pondere. Memini quidem, ſimile etiam à Seguino vulgatum, ſed drachmale id eſt, cùm hoc pondere ſuo vel ſemunciam æquet. Imò unciale, reſpondit DULODORUS, ex Gaza Camilli Maximi jam vulgavit Illuſtriſſimus SPANHEMIUS, ut vel hinc pateat, diverſâ magnitudine hunc Nummum proſtare. Sed non hoc mihi cauſa ejus denuò proponendi fuit: Imò nec ratio facierum; convenit enim inter Antiquarios, quæ ΘΕΩΝ inſcribuntur, eſſe Ptolemæi Lagi filii & Berenices: quæ autem inſcribuntur ΑΘΕΛΦΩΝ, eſſe Ptolemæi Philadelphi & Arſinoes, Philadelphi non uxoris tantùm, ſed & ſororis: quod placitum tantò certius eſt, quantò apertius Effigies Ptolemæi Lagi filii, quam Tomo I. dedimus, cum propoſita ex aſſe convenit. Quid igitur eſt? excepit ARCHÆOPHILUS, an de more ſororis ducendæ aliquid habes? an Ægyptio? an verò Macedonico id Philadelphus egerit? Ea res, reſpondit DULODORUS, altioris indaginis foret: ut tamen quod ſentio, hîc interſpergam, Morem non Ægyptium tantùm, qui tamen baſis fuiſſe potuit: ſed & Græcum, imò ſi placet, & Macedonicum concurriſſe arbitrer, nequicquam repugnantibus Authoribus graviſſimis, etiam inter Veteres; Conſtat enim ſororem ducere, etiam lege Solonis permiſſum, quò proculdubio reſpexit Cornelius Nepos, de Cimone locutus: Conſtat & Ptolemæum Ceraunum, Regem Macedoniæ, & ipſum ſororem, & quidem hanc ipſam Arſinoem, Lyſimachi viduam duxiſſe, referente Juſtino, qui tamen id factum contra Macedonum morem fuiſſe, ne verbulo quidem innuit. Adeò ut ne Arſinoem quidem, licet inſidias fratris metuentem, eum morem allegaſſe tradat, quod tamen proculdubio feciſſet, ſi matrimonium cum fratre Macedonum inſtituta læſurum fuiſſet. Infelix id conjugium fuit, excepit ARCHÆOPHILUS: Ptolemæorum autem, tam Lagidæ, quàm Philadelphi feliciſſimum. Ubi amor ſincerus Conjugiorum baſis eſt, reſpondit DULODORUS, de felicitate dubitandum non eſt. *Lagides*, ut Pauſanias in Atticis refert, *quum Eurydicen Antipatri filiam uxorem duxiſſet, liberos etiam ſuſcepiſſet, BERENICES nihilominus, quàm Eurydicæ Comitem in Ægyptum Antipater miſerat, AMORE CAPTUS, filios ex ea quoque genuit, ex iisque Ptolemæum jam propè moriens, ſibi regni ſucceſſorem declaravit.* Propè moriens? inquit ARCHÆOPHILUS; at Juſtinus ante infirmitatem id factum, Patremque regnô publicè tradítô

ditô privatum, filio Regi officium inter ſatellites feciſſe memorat, pulchrius omni regno ducentem, Regis Patrem eſſe. Inter paternæ pietatis exempla, ſubjecit DULODORUS, hoc meritò refertur, ſive ſemel, ſive aliquot ante mortem annis id Lagides fecerit: Et reſpondit Pietati filius propoſito Numiſmate, quod proculdubio poſt Patris mortem, & in ejusdem honorem & memoriam Philadelphus percuſſit. De hoc, repoſuit ARCHÆOPHILUS, infra videbimus. Nunc de amore Philadelphi audire placet, quô ſororem Arſinoën dilexit. Et quis de hoc dubitet? exclamavit DULODORUS, cùm tamen ipſum Ptolemæi hujus cognomen rem arguat? ut taceam eundem Pauſaniam, qui *amore victum* ſororem duxiſſe memorat: adeò ut mirum non ſit, ſi Plinio lib. 36. c. 9. teſte, Obeliſcum in Arſinoë poſuerit, *munus amoris*, ut Author loquitur, *in Conjuge, eademque ſorore Arſinoe:* Ut ſtatuam ejusdem ex Tapazio taceam, quatuor cubitorum, in delubro conſecratam, quod aureum cognominabatur, ut idem habet, Lib. 37. c. 8. Taceam & Statuam in Helicone Struthio impoſitam: Imò & aliam in Odeo Athenienſium, Statuæ fratris & mariti junctam: aliaque plura poſt mortem, amoris hujus apertiſſima & teſtimonia & præmia: ut proinde capita etiam in Numiſmate, juncta non abs ratione cenſeas. Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed majus eſt, quod eadem & ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ elogiô hic fulgeant; quid enim his adumbratum credas? ſi non eundem amoris hujus in Ægyptios fructum redundare, qui ex Providentia Iſidis & Oſiridis, qui & ipſi Θεοὶ ἀδελφοὶ in marmore antiquo inſcribuntur. In numiſmate noſtro, reſpondit DULODORUS, Elogium hoc dividendum arbitrer, id quod an hactenus obſervatum fuerit? equidem haud ſcio; Mihi ſanè vel princeps hæc cauſa viſa eſt, cur Numiſma proponendum cenſerem. Dividendum? excepit ARCHÆOPHILUS; At in Monumento Adulitano, quod ex Leone Allatio allegat Illuſtriſſimus SPANHEMIUS, id in Philadelpho & Arſinoe conjungitur. Verba ita habent:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ.

Quid dicis DULODORE? Monumentum hoc, reſpondit ILLE, ſententiam meam non ferire; Poſito enim, ſed non conceſſo, Genuinum eſſe, nemo tamen non videt, à Philadelphi filio jam Rege, adeoque Philadelpho & Arſinoë jam mortuis, poſitum eſſe, quo tempore quin *Deorum* cognomen more Ægyptiô iis dari potuerit, dubium non eſt; Quid autem hoc ad Numiſma, quod Philadelpho & Arſinoë adhuc vivis percuſſum, ritè utique ſtatuero, cùm capita eorum ſolo ΑΔΕΛΦΩΝ elogio inſcribantur, Elogiô ΘΕΩΝ Parentibus relictô, Lagidæ videlicet & Berenicæ, qui quod ex vivis jamdudum exceſſiſſent, ſoli ΘΕΩΝ elogium admittebant? Baſin opinioni tuæ ponis, inquit ARCHÆOPHILUS, quam ut ſtabilire poſſis, dubitem. Quid ni? reſpondit DULODORUS. Annon Magnus noſter SPANHEMIUS ex Diodoro locum ſuppeditat, quo Reges vivos, licet divinis honoribus affectos aliunde conſtet, Deos tamen appellatos aperte negatur? Ita ille de Dario Xerxis Patre: τηλικάυτης τυχεῖν τιμῆς ὥςθ᾽ ὑπὸ τῶν Αιγυπτίων ζῶντα μὲν θεὸν προσερευθῆναι μόνον τῶν ἄλλων βασιλέων. *Tantum honoris conſecutum, ut etiam vivus ab Ægyptiis DEUS, SOLUS EX ALIIS REGIBUS, vocaretur.* At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon & Ptolemæus Lagi filius adhuc vivus *Dei* appella-

pellationem meruit? Vix id reperias, respondit DULODORUS, Πτολεμαῖον vivum adhuc ὡς θεὸν τιμῆσαι, oraculum Rhodiis concessisse, apud Diodorum lego, *Deum*, nisi post mortem, appellatum, nullibi lego: adeò ut rite Numisma hoc sub Ptolemæo Philadelpho & Arsinoë, vivis adhuc, in sui amoris memoriam, Parentumque, quos proinde ex more gentis jam mortuos Θεῶν elogio honorant, venerationem percussum, inscriptionemque dividendam, & non, quod vulgò solet, conjunctim de Philadelpho intelligendam, rite statuam: Neque mihi objeceris Numisma Goltzianum, quod sub Delo vulgavit, ubi eadem inscriptio, licet in Nummo separatim posita, rectè tamen conjungi potest; Ibi enim ex utroque latere Dii, ex utroque latere frater Apollo & soror Diana exprimuntur, quod in nostro secus est. Fratrem & sororem, excepit ARCHÆOPHILUS, forsitan etiam in utroque Numismatis latere, licet non eosdem, rectè agnoverim, cum utique Græcus Theocriti interpres, notante Illustrissimo SPANHEMIO, etiam Berenicen, Lagi filiam fuisse asserat. Ipse SPANHEMIUS, respondit DULODORUS, vel fidem huic Græculo non habendam, vel cum nobilissimo sene à Grentemesnil, diversos eodem Lagi nomine utriusque Parentes statuendos arbitratur; Sed esto! fuerint frater & soror Ptolemæus Lagides & Berenice! Quid inde? an inscriptionem de Philadelpho conjungendam? Minimè vero! Imo potius conjungi posse de Ptolemæo Lagide & Berenice: De Philadelpho autem nullô modô, nisi fortè à Lagide mortuo in filii mortui honorem Numismata percussa arbitreris. Non ab hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, sed ab Evergete, qui & Monumentum Adulitanum posuit. Si hoc arbitreris, regessit DULODORUS, quod in Monumento Adulitano legitur, idem & in Nummo fecerit necesse est, suum nomen scilicet exprimendo, Parentesque non tantùm, sed & Avum & Aviam suis elogiis afficiendo, quod tamen hîc non fit. Nihil Philadelpho relictum, nisi quod vivus tulit: Nihil Lagidæ datum, nisi quod mortuus: adeo ut his præviis, & acutè consideratis, inscriptionem dividendam, Numismaque sub Philadelpho percussum, quod hîc probandum suscepi, omninò statuere debeamus. Tandem Tibi cedo, inquit ARCHÆOPHILUS, sed eâ cum conditione, ut quid de Monumento Adulitano sentias, apertius dicas; Memini enim, Te de ejus ingenuitate dubitare. Non abs ratione id ago, respondit DULODORUS, quis enim unquam cum hoc monumento Ptolemæum Evergetam Arsinoës Philadelphi sororis filium dixit? Nonne Pausanias apertè in Atticis de Philadelpho locutus, Οἱ δὲ inquit, οἱ παῖδες ἐγένοντο ἐξ Αρσινόης, ȣ̓ τῆς Αδελφῆς, Λυσιμάχȣ δὲ Θυγατρός. τὴν δέ οἱ συνοικήσασαν ἀδελφὴν κατέλαβεν ἔτι πρότερον ἀποθανεῖν ἄπαιδα. *Huic filii fuerunt ex Arsinoë, non sanè Sorore, sed ea, quæ Lysimachi filia fuit, nati sunt. Nam Soror, quam sibi matrimonio junxerat, antequam pareret, diem suum obiit.* Hoc si verum, utique apertum erit, Authorem monumenti hujus, licet aliàs satis eruditum, tamen similitudine Nominis deceptnm, pro Arsinoë Lysimachi filia, Arsinoën Ptolemæi Lagidæ filiam & Philadelphi uxorem & sororem substituisse, adeoque dolum suum indubiô argumentô patefecisse. Nisi potius Pausaniæ fides neganda sit, excepit ARCHÆOPHILUS; Eleazarus sanè, summus Judæorum sacerdos, apud Josephum in Epistola, non Regem tantùm Philadelphum, & Reginam Arsinoën, quam postea *ejus sororem* vocat, sed & *Communes eorum liberos* memorat. Ita Gelenius vertit, inquit DULODORUS, in Textu Græco autem non *communium liberorum*, sed tantùm *liberorum* mentio occurrit. Adde quod totam illam Josephi de Legatis Ptolemæi, responsoque Eleazari Histo-

Historiam genuinam non esse, sed à Judæis Ægyptiis ad conciliandam versioni Legis suæ Authoritatem confictam, Josephus Scaliger jamdudum prolixè demonstravit. Nos re in medio relictâ ad alia pergimus. Succedit

CLEOPATRA
PTOLEMÆI EVERGETÆ UXOR.



Ptolemæi Evergetæ? excepit ARCHÆOPHILUS; At ille Philadelphi filius fuit, & nisi fallor Berenicen habuit, Magæ Cyrenarum Regis filiam: nam hanc pater, ut inimicitias cum fratre Ptolemæo Philadelpho finiret, ejus filio Evergetæ despondisse, Justino memoratur: Et licet postea mater Eurydice, quæ aliis Apame dicitur, ad nuptias dissolvendas Demetrium Polyorcetæ filium evocaverit, tamen eô occiso, Berenice & matris adulteria ulta, & Patris inde in matrimonio sortiendo judicium secuta est. Hâc sanè mortuâ aliam adhuc Evergetæ ductam non statueris; ex Polybio enim constat, eam marito suo supervixisse, & demùm à filio Ptolemæo Philopatore interfectam esse. Non à filio, respondit DULODORUS, sed à privigno, verè enim Reineccius in Historia Juliâ, non tantùm duas Evergetæ uxores, Berenicen scilicet & Cleopatram statuit, sed & Berenicen posteriorem putat, Ptolemæumque Philopatora ex priore Cleopatra, ex Berenice autem Magan prognatum, qui & ipse posteà à fratre interfectus est. Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid inde? an ideò Numisma huic tribueris, cùm tamen aliæ adhuc Cleopatræ sint, & inter reliquas famosissima illa Antonii, cui utique communis Antiquariorum calculus ejusmodi Numismata adjudicat. Cleopatram Antonii, respondit DULODORUS, utpote ex Numismatibus Antonii notam, faciei dissimilitudo amovet: Reliquas amovet ratio Chronologica in Numismate expressa; Neque enim nomen tantùm ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, neque dignitatem tantùm ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ in nummo legimus, sed & adjectam literam Π deprehendimus, quæ proculdubio numeralis est, annumque æræ Alexandrinæ *octogesimum* exprimit, qui in annum Evergetæ Regni decimum quintum incidit, adeò ut hoc indice ritè statuamus, non tantùm Numisma nostrum Evergetæ uxori tribuendum esse, sed & eam anno Æræ Alexandrinæ LXXX. adhuc vixisse. Scilicet, excepit ARCHÆOPHILUS, si Reginæ Ægypti Numisma debeatur, cum autem & aliæ fuerint, unde tu hoc probabis? Alias hoc tempore, respondit DULODORUS, *Cleopatræ* nomine Reginas vereor ut ostendere possis; & si ostendas, pro Ægyptia tamen Aquila Κεραυνοφόρος militat, commune Regum Ægyptiorum symbolum: Militat Cornucopiæ adjectum, quô dubium non est, quin ubertas regionis, Nili beneficio, qui & ipse *Aquila* dicebatur, Ægyptiis naturalis adumbretur. Sed unicum adhuc Ægypti Regem profero. Is est, cujus supra sub Antiocho Deo Epiphane Tibi spem feci,

PTOLEMÆUS INCERTUS
CUM
CAPITE CAPILLORUM CINCINNIS ORNATO,



Ptolemæum hôc Nummo, & quidem Regem adumbrari, ex inſcriptione indubium eſt. Quotus autem Ptolemæorum is fuerit, nec cognomento, nec literis numeralibus determinatur, ut proinde meris hîc conjecturis nobis agendum ſit. Minimùm, excepit ARCHÆOPHILUS, nec Soter nec Philadelphus hic eſt; Horum enim effigies ex nummis notæ ſunt. Ita & Lathuri vultum in alio Electoralis hujus Cimeliarchii nummô Te ex Chronographia determinaſſe memini; Sed & hic à propoſito abit, licet aliàs eâdem coronâ, ſpiceâ ſcilicet, coronetur, & inde forſan etiam haud futile argumentum deſumeres, quòd frater ejus, Apion Rex Cyrenes, ſimilibus Cincinnis apud Urſinum ornetur. Fortaſſis, inquit DULODORUS, ætatis differentia rem conciliare poſſet, quamquam quid huic immoramur? cùm tamen Apion rem ad Reges Cyrenes traducat, colonos Lacedæmoniorum, quibus comas alere moris fuit. Inter Reges Cyrenæos, inquit ARCHÆOPHILUS, qui & Ægypto poſteà præfuerit, occurrit Phyſcon Lathuri & Apionis pater, & quid dubitemus huic Numiſma addicere, cùm tamen ejus tempore Antiochus Deus Epiphanes Ægyptum invaſerit, eundemque capillorum morem, ut in ejus Numiſmate vidimus, ſecutus fuerit? Faciei venuſtas obſtat, excepit DULODORUS, cum Phyſconem deformem fuiſſe, ut jam alibi monui, Juſtinus memoret. Quid igitur? perrexit ARCHÆOPHILUS, an Ptolemæum Dionyſum arbitrabimur, quòd hic eximius Bacchi cultor fuerit, qui & ipſe Comarum prolixitate paſſim commendatur? Cùm Ægyptiorum hic mos fuerit, reſpondit DULODORUS, uti jam ſupra monui, quâ firmitate de Dionyſo concludas, non video. Mihi tutius videtur, rem in incerto relinquere, donec Numiſma aliud eam determinet. Ægyptiorum morem crepas, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed velim & probes; Neque enim alios hoc capillorum ornatu inter Ægyptiorum Reges monſtraveris. De more Ægyptiorum, reſpondit DULODORUS, Lucianus docet in Navigio, paulò poſt principium, ubi cum Lycinus de Ægyptio puero dixiſſet: ἡ κομη δὲ, καὶ ἐς τȢπίσω ὁ πλόκαμος συνεσπειραμένος Ȣκ ἐλευθέριόν φησιν αὐτὸν εἶναι; *Comæ autem, & ille poſt tergum cincinnus conſeminatus, haud quaquam liberum ipſum eſſe arguit.* Reſpondit Timolaus: ΤȢτο μὲν ἐυγενείας, ὦ Λυκῖνε, σημεῖόν ἐϛιν Αιγυπτίας, ἡ κόμη. ἅπαντες γὰρ αὐτοῖς οἱ ἐλέυθεροι παῖδες ἀναπλέκονται, ἐς τε πρὸς τὸ ἐφηβικόν. *Hoc quidem Nobilitatis ſignum, Lycine, eſt Ægyptiacæ, Coma videlicet. Cuncti enim illorum pueri ingenui capillum cincinnis collectum gerunt, usque dum ex Ephebis excedant.* Sed hæc de Regibus. Succedunt

URBES

URBES ET POPULI,

Inter quos, in Magna Græcia, quæ hodie nobis Italia vocatur, ut ſucceſſu temporis ſibi principatum Orbis vindicarunt, ita & nobis primo loco adeundi

ROMANI.



Rarum hoc eſt Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, non tantùm ob Leonem, ſed etiam ob Cererem; Licet enim apud Goltzium Leonem videas, ejus tamen adverſa non Cererem, ſed Minervam præfert. De Minerva alibi docuiſti. Jam ratio poſtulat, ut de Cerere ſubjicias. De Cerere, reſpondit DULODORUS, vel ex Valerio Maximo poſſum ſatisfacere. Ita ille, Lib. I. c. I. Ex. I. De Populo Romano locutus: *CERERI*, inquit, *quam more Græco venerari inſtituerant, Sacerdotem à Velia, cùm id oppidum nondum civitatis nomen accepiſſet, Calcitanam petierunt, vel ut alii dicunt, Calliphennam, ne Deæ vetuſtis ritibus perita deeſſet Antiſtes. Cujus cùm in Urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano tumultu moniti Sybillinis libris, ut vetuſtiſſimam CEREREM placarent, Ennam, quoniam ſacra ejus inde orta credebant, decem viros ad eam propitiandam miſerunt.* Hæc Valerius Maximus. Dionyſius Halycarnaſſenſis, in Antiq. Rom. Cultum ejus ab Arcadibus invectum memorat: ἱδρύσαντο καὶ Δήμητρος ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας ἀυτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίȣς ἔθυσαν. ὡς Ελλεσι νόμος, ὧν ȣ̓δὲν ὁ καθ' ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος. *Cereri quoque templum exſtruxerunt* (Arcades) *& per fœminas ſacerdotes ſacra ei fecerunt abſtemia, more Græco, quorum nihil mutatum eſt noſtro tempore.* De Cerere acquieſco, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ autem ratio Leonis? Duplex eſſe poteſt, reſpondit DULODORUS, vel Leo Fauſtuli tumulo impoſitus, vel Phocæenſium juncta cum Romanis amicitia: De hac teſtatur Juſtinus, Lib. 43. nec ratio forſitan diſplicebit, cùm Phocenſium inſigne Leo, ex nummis Velienſium & Maſſilienſium indubium ſit, Cererisque ſacerdotem modò ex Velia adſcitam audiverimus; Quanquam nec de Leone, Fauſtuli tumulo impoſito, res obſcura ſit. Ita enim idem Dionyſius: Τινὲς δε καὶ τὸν λέοντα τὸν λίθινον, ὃς ἔκειτο τῆς ἀγορᾶς τῆς τῶν Ρωμαίων ἐν τῷ κρατίςῳ χωρίῳ παρὰ τοῖς ἐμβόλοις, ἐπὶ τῷ σώματι τȣ̃ Φαυςύλȣ τεθῆναι Φασιν, ἔνθα ἔπεσεν, ὑπὸ τῶν ἑυρόντων ταΦέντος. *Non deſunt, qui lapideam Leonis effigiem, quæ pro roſtris in locô Romani fori præcipuo viſitur, ſuper Fauſtuli corpore poſitam eſſe dicant, invento & ſepulto, ubi occubuerat.* Ex Latio Campaniam ingreſſis occurrit

SUESA AURUNCA.



Epitheto opus non est, inquit ARCHÆOPHILUS, eandem enim Suesam Auruncam cum Suesa Pometia docet Goltzius, quòd scilicet Suesam bellis prioribus detritam Aurunci occupassent, & à se deinceps cognominassent. Malè hæc, respondit DULODORUS, & ex malè intellecto Livii loco orta; Livius enim non ait: *Auruncos occupasse Suesam bellis prioribus detritam*; *sed SUESAM communivisse, quæ nunc AURUNCA appellata.* Diversas autem Urbes fuisse Suesam Pometiam & Suesam Auruncam, evidenter docet Cluverius de Italia Antiqua, quòd illa haud procul Latii antiqui finibus, hæc autem ultra Lirim fuisset sita. At inquit ARCHÆOPHILUS, si duæ urbes hoc nomine fuerunt, quomodo ego discernam ad utram Numisma pertineat? Cùm tamen in eo nullum omninò distinctionis adpareat vestigium? Et quidni potius ad Suesam Pometiam inclinem, cùm tamen Volscorum ea caput, & juxta tantæ opulentiæ fuerit, ut Dionysio teste, cùm Tarquinius eam everteret, tantum auri argentique in ea repertum sit, ut quinæ argenti minæ obvenerint singulis militibus, sacratæ autem argenti decimæ expleverint quadringentûm talentorum numerum. Hæc utut sint, respondit DULODORUS, (neque enim de summa argenti consentiunt Authores, Livio tantum XL. talenta memorante) mihi tamen Numisma ut ad Suesam Auruncam referam, suadet idem planè cum Nummis Neapolitanorum, Puteolitων & Calenorum typus, ut Nolanorum, Capuanorum & Atellanorum Numismata taceam, quæ tamen & ipsa Minotaurum præferunt, licet in cœteris diversa; Quid enim hæc convenientia demonstrat, si non ejusdem tractus ad oppida nummos pertinere? Neque enim ad longinqua abire necesse est, ubi in vicinia ratio militat. De Apolline autem & Minotauro eique supervolante Victoria cum Tom. I. abunde dixerim, nihilque præterea occurrat, hic consultò taceo. Supra Suesam versus ortum jacebat

TIANUM,



Duæ fuerunt & hoc nomine urbes, inquit ARCHÆOPHILUS, altera Apulorum, altera Sidicinorum; unde ergo discernam, utri Numisma debeat addici?

dici? Non minus ex typo, respondit DULODORUS, qui idem planè in Calenorum nummis occurrit, adeoque pro Sidicina, quæ Calenorum vicina fuit, decernendum evincit; Recordaberis me Minervam, Gallumque, & Solem, non in nummis Calenorum tantùm, sed & Axuris, ad originem ab Ulysse & Circe retulisse, quòd illius adjutrix Minerva fuerit, hæc autem, utpote Solis filia, non minus apposité sub Gallo Solis nuncio præfiguretur, ac Idomeneus, qui ad indicandam similem originem, Pausania teste, Gallum clypeo prætulit. Hæc novi, inquit ARCHÆOPHILUS, miror autem cùm hæc urbs simplici Γ, & quidem non *Teano*, sed *Tiano* hìc legatur, apud Authores tamen, tam Græcos quàm Romanos, *Teanum* vocari, imò & vulgò *Theanum* scribi, id quod Cluverium observare memini. Error vulgi, respondit DULODORUS, nos non ferit, quod autem Authores Teanum & non Tianum habeant, inde fortassis Numisma, non adeò antiquum arbitraberis esse, Tiano enim planè qualiter in nummo legitur, hodiénum dici, idem Cluverius author est. Illud autem notandum, in Numismate Goltziano non caput Palladis, sed Martis exstare, aversam autem nostro simillimam esse; suprà enim Galli caput spica visitur. Spica, excepit ARCHÆOPHILUS, fertilitatis proculdubio insigne est, an autem & priscorum ejus est Testimonium? Cùm in Campania Tianum sita fuerit, respondit DULODORUS, quis de fertilitate dubitet? Plenis faucibus Florus Lib. I. c. 16. *Toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cœlo. Denique bis floribus vernat. Nil uberius solo. Ideò Liberi Cererisque certamen dicitur* &c. In Bruttios descendimus. Eò nos vocat


VALENTIA,



Quæ cum antea Hipponium & Hippo vocaretur, Valentiæ nomen à Romanis accepit; Incolæ per Locros & Bruttios à Lacedæmoniis memorantur oriundi. Antequam ad origines transeam, excepit ARCHÆOPHILUS, omninò quærendum videtur, ad quam Valentiam Numisma pertineat, cum utique non ea tantùm, quæ Vibo Valentia vocatur, cuique Goltzius hoc Numisma addicit, sed & ipsa Terrarum Domina Gentiumque Dea id nominis tulerit, antequam *Roma* vocaretur. Sanè, si huic Numisma addicamus, res planior erit, cum utique & urbis antiquitas, & Jovis Capitolini cultus eô celebratus, haud absurdè credantur: Et quid? annon Inscriptio Latina rem evincit? Non arbitror, respondit DULODORUS, neque enim tantæ antiquitatis Numisma censendum est, ut eô tempore signatum credi possit, quô Roma *Valentiæ* adhuc Nomine radiabat: Et si posterioribus signatum statuamus, vix credibile est, nomine per vetustatem jamdudum abolitô, Romanos Gloriam suam offuscare voluisse: Ut taceam, Appellationem eam, licet gravibus Authorum sententiis nitatur, tamen Grammaticorum figmentum sapere, cùm alii Romam à Romulo & conditam & appellatam ferant. Quicquid sit, ut Numisma non

Romæ, ſed Viboni Valentiæ cum Goltzio addicam, convenientia cum Nummis Bruttiorum facit, in quibus, ut apud eundem Goltzium videre eſt, non Jupiter tantùm & fulmen, ſed & lituus viſuntur, eôdem ferè modô, quô & in propoſito: Scilicet quòd, ut ſuprà ad eorum Numiſmata demonſtravi, Brutii per Lucanos, Samnites & Sabinos, à Lacedæmoniis deſcendiſſent, ubi Jupiter non unô cognomine colebatur, quòdque Marti dicata proles, Samnitum primitiæ fuerint, id quod lituô, inſtrumentô Martio, adumbratum eſſe poterit. Non à Bruttiis, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed à Locris Hipponium, quæ Valentia noſtra eſt, conditum Strabo author eſt. At idem, reſpondit DULODORUS, author eſt, Bruttiis ademtum Romanos *Valentiam* appellaſſe. En verba ex Lib. VI. μετὰ δὲ τὴν Κωνσεντίαν Ἱππώνιον, Λόκρων κτίσμα. Βρεττίȣς δὲ κατέχοντας ἀφέιλοντο Ρωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Οὐϊβῶναν Οὐαλεντίαν. *Poſt Conſentiam eſt Hipponium à Locris conditum, quod Bruttiis ademtum, Romani Vibonam Valentiam nuncupaverunt.* Quo ex loco utique Bruttiis ejus dominium aſſeritur, quô abrogatô, Romani ſucceſſére; Sed hoc perinde eſt, cùm & Locri à Lacedæmoniis deſcenderint. Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, & Bruttii & Locri excludendi videntur, cùm utique nomen Valentiæ ad ſolos Romanos pertineat, adeoque prior conjectura mea de Jove Capitolino mihi adhuc ſalva ſit. Si ad hunc reſpicias, reſpondit DULODORUS, facilè aſſentiri poſſum, quanquam quòd, prout dictum, idem Jupiter, idem fulmen, idemque lituus, etiam in Bruttiorum Nummis occurrat: imò nec Jupiter à Locorum Numiſmatibus abſit, nihil utique prohibeat, ut etiam Origines ab his, hôc typô connotatas credamus. Relictâ Græciâ Magnâ

LIPARÆI



Occurrunt, Apollinis, ut ex Numiſmate diſcimus, & Neptuni cultores. Liparam, inquit ARCHÆOPHILUS Vulcano dicatam, ex aliis Numiſmatibus memini; Quid igitur Apollo? quid Neptuni tridens? Tridens, inquit DULODORUS, ipſum Neptunum deſignat, cujus cultum in Inſula quid miraris? cùm & Cyclopes in eâ Neptuni Aquarium fabricaſſe, Callimacho memorentur, in hymno Dianæ, v. 46. ſeqq.

Αὖθι δὲ Κύκλωπας μετεκίαθε. τȣ̀ς μὲν ἔτετμε
Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ (Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν
Οὔνομά οἱ Μελιγȣνὶς) ἐπ' ἄκμοσιν ἡφαίςοιο
Εςαότας περὶ μύδρον. ἐπέιγετο γὰρ μέγα ἔργον.
Ἱππείην τετύκοντο Ποσειδάωνι ποτίςρην.
Hinc deinde ad Cyclopas tranſiit, eosque reperit
Inſula in Lipara (Lipara nunc, ſed tum erat
Nomen ei Meligunis) ſuper incudibus Vulcani
Circumſtantes maſſam. Urgebat enim grave opus.
Equeſtre fabricabant Neptuno aquarium.

Niſi

Nisi forte sub hoc Neptuni telo, etiam ad maritimam Liparæorum potentiam respicias. Incolarum insulæ tantillæ? excepit ARCHÆOPHILUS. Insula, respondit DULODORUS, quidem exigua fuit, pulchris tamen à natura portubus usa est, classesque non semel emisit, id quod ex Strabone & Didoro Siculo constat. Ad Numisma autem, in quo & Apollo expressus est, unicum Pausaniæ locum citavero, ex quô non tantùm Victoriæ maritimæ, sed & Apollinis cultus videri poterunt. Ita ille, interprete Romulo Amasæo. *Incredibile propè dictu est, quod Liparæis narrant evenisse: Oraculo jussos cum Tyrrhenis, paucissimarum navium classe confligere, triremes contra eos quinque deduxisse. Illos, cùm se Liparæis haudquaquam inferiores navalibus rebus fore considerent, pari navium numero congressos; Sed cùm quinque eorum triremes Liparæi cepissent, mox Tyrrhenos totidem ITERUM & TERTIO & postremò QUARTO eduxisse: omnes verò eas classes à Liparæis captas: In hujus rei memoriam APOLLINIS signa, pari numero superatis à se navibus, dedicârunt.* De donis Apollini missis, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc abunde instruunt & recordor etiam captis Romanorum Legatis, qui dona Apollini ferebant, tantum Deo apud eos honorem fuisse, ut & Legatos additis suis navibus Delphos deduxerint; Mihi autem nescio annon brevitas capillorum, caput hoc non tàm Apollini, quàm Regi alicui Syracusano tribuendum suadeat. Conjectura, respondit DULODORUS, vana non est; Idem enim caput etiam in nummis Syracusanorum occurrit; Cùm autem nullo nomine determinetur, in Apolline, quem Laurea designat, utique tutius substitero. Sed ipsam Siciliam ingredimur. In litore ad mare Tuscum, nos excipiunt

CALACTINI.



Hoc Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor apud Parutam vidi. Imò diversum, respondit DULODORUS; Non enim Caput Galeatum, sive Palladis, sed nudum id exhibet: Ut taceam Inscriptionem, quæ ΚΑΛΑΚΤΙΩΝ ibi habet, & non ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ, ut in nostro legitur. Utrum benè? excepit ARCHÆOPHILUS. Si usum attendas, respondit DULODORUS, cum Nostro Numismate senties, ΚΑΛΑΚΤΙΝΟΙ enim etiam Diodoro vocantur, ut alios taceam; Si verò rationem Grammaticam respicias, etiam vocem Καλακτίων admiseris, Numismate præsertim fultam; Ut enim ab Ἄκτη præter alias formationes, etiam Ἄκτιος, ut apud Stephanum videre est, ita & à Καλάκτη, Καλάκτιος ritè dicetur; Καλάκτη enim ex Καλὴ & ἄκτη componitur significatque *pulchrum littus.* Sed caput Palladis observari meretur, hactenus enim in Calactinorum Numismatibus vulgatum non est. Caput Palladis, excepit ARCHÆOPHILUS, imò & Noctua amphoræ insistens, non ad oppidum Siciliæ, sed ad Athenas videtur referenda, in harum enim Nummis memini utramque vidisse, & ratione quidem satis evidenti, quòd Athenæ

Palladi

Palladi ſacræ, noctuisque & figulinis ſuis celebratiſſimæ fuerint. Ad Athenas, reſpondit DULODORUS, Duce Numiſmate & ego reſpexerim, non quòd Nummum Athenis percuſſum, ſed quòd origines ſuas ad Athenas, Calactinos retuliſſe credem. Calen Acten, excepit ARCHÆOPHILUS, Diodoro teſte, Ducetius condidit, poſtquam Corinthi vitam privatam agere juſſus, pactorum fidem ſolvit. Scio, inquit DULODORUS, ſed eôdem teſte, oraculô id facere ſe juſſum finxit, indeque cum magna hominum novas ſedes quærentium turbâ in inſulam transmiſit: adeò ut non videam, quid obſtet, ut inter eam turbam, Numiſmate opinionem fulciente, etiam Athenienſes credantur fuiſſe; Et quid ſi etiam Samii, qui quadraginta ante hoc tempus annis, idem facturi à Zanclæis evocati fuerant, Anaxilæ autem perſuaſione ipſam Zanclam occupârunt: Quid inquam, ſi & hi priſtini juris ac propoſiti memores, eidem ſe aggregaverint? Conjectura hæc forent, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed baſi deſtituta. Eſto autem, credamus Samios Ducetio ſe aggregaſſe, quid Samii ad Athenienſes? Id reſpondit DULODORUS, quod Phocæenſes ad Phocenſes: Samii ſcilicet, ut omnes Jones, Athenienſium Coloni fuére, utque Hyelitæ & Maſſilienſes non proximam originem à Phocæis, ſed remotam à Phocenſibus, nummis ſuis expreſsére: ita & Calactini non Junonem Samiam, ad indicandam proximam originem, ſed Minervam & Noctuam cum Amphora credi poſſent ſignâſſe, ut antiquiſſima Gentis incunabula eô indicio noſcerentur. Niſi fortè & aliam proximiorem ab Athenis Coloniam Calactam deductam arbitreris, vel etiam convenientiam nominis in medium adducas, quod ut Calacta ἀπὸ τῆς καλῆς ἀκτῆς vocata eſt, ita & in Acta ſive Attica Athenæ ſitæ fuiſſent. Quicquid ſit. Etiam hos relinquimus, perque Inſulæ mediterranea progreſſi

MENÆNUM



Ingredimur. Etiam hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Parutam exſtat, cùm autem non MHNANINΩN, ut in reliquis, ſed MENAINΩN in eo legatur, res mihi ſemper ſuſpecta fuit. Idque eò magis, quòd non, ut in reliquis, Ceres & faces, ſed Jupiter & bigæ victoriales hîc occurrant. Quid dubii ſubeſſe poſſit, reſpondit DULODORUS, ſi Numiſma probè contemplemur, non video; Non enim MENAINΩN, ut apud Parutam, ſed MENAINON legitur, adeò ut Parutam hinc corrigendum arbitrer. MENAINON enim non eſt Gentile, ſed Κύριον ſive primitivum, ipſaque urbis appellatio; MHNANINΩN autem non Κύριον, ſed Gentile eſt; Urbs enim vocatur MENAINON non in nummo tantùm, ſed etiam apud Diodorum Siculum, ubi marginalia fruſtrà MENAION ſcribendum monent: Incolæ autem vocabantur MENAININI, ut in tertio Numiſmate apud Parutam, aut MHNANINI,

ut

ut in reliquis, & apud Plinium L. III. c. VIII. Equidem inficias non ierim, etiam aliam hujus nominis formam prostare, cùm & MENAI numero plurali Ptolemæo dictam, Cluverius observet, qui proinde & apud Stephanum pro MENΔAI legendum MENAI rectà observat; Sed hæc, quòd in Numismate nostro non habeatur, nunc nos non tangit. De nomine acquiesco, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem Caput Jovis? quid Bigæ victoriatæ? Bigæ victoriatæ, respondit DULODORUS, si non ad victorias Ducetii Conditoris referas, quibus non Morgantium urbem tantùm, sed & totam, Hyblâ exceptâ, Siciliam sibi subjecit, attamen ad alius cujusdam Siculorum Regis vel in Olympicis, vel alibi obtentam victoriam pertinere, lubens utique credidero, cùm similes Bigæ victoriatæ etiam in aliis Siciliæ, non urbium tantùm, ut Syracusanorum, Panormitanorum, Messinensium; sed etiam Regum, ut Hieronis, Numismatibus prostent. De Jove si quæras, ad Patrem Palicorum arbitrer respiciendum; Jovem enim hunc esse, & Macrobius & Servius referunt. Servius ad Virgil. Lib. IX. ita loquitur: *Symethus fluvius est Siciliæ, à Symetho Rege dictus, haud longè ab urbe Catinensi, circa quem sunt Palici Dei, quorum talis est fabula: Ætnam Nympham, vel ut quidam volunt, Taliam JUPITER cum vitiasset, & fecisset gravidam, timens Junonem, (secundum alios, ipsam puellam) Terræ commendavit, & illic enixa est: Secundum alios, partus ejus posteà cum de terra erupisset, duo pueri Palici dicti sunt, quasi iterum venientes* &c. Quid hæc ad rem faciant, inquit ARCHÆOPHILUS, non video. At videbis, respondit DULODORUS, ubi Palicorum fontem non tantùm Menæno vicinum fuisse, sed & MHNAIΔA KPANHN, fontem Menensem, aut Menenium dictum, ex Cluverio recorderis, ubi pluribus de eô loquitur. Sed nos alia persequimur.

SYRACUSÆ



Surgunt, quatuor arcibus, situque tàm terrestri, quàm maritimo, Cultuque Jovis Hellanii memorandæ. Quatuor arces Syracusarum, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & quintuplices Syracusas, Te memini ante Triennium demonstrasse, indeque non dubitem, sub diviso in quatuor partes Numismatis aversi circulo, quatuor illas arces agnoscere, non minus ac situm maritimum & terrestrem, sub additis in duabus, in duabus autem omissis piscibus; Quid autem caput adversæ? An hoc Arethusæ fuerit? Ita auguror, inquit DULODORUS, simili enim modo etiam in aliis Nummis occurrit, nisi potius Syracusarum genium arbitreris. Sed hæc levis momenti. Jupiter Hellanius Numismatis secundi altioris indaginis est. Panhellenius innotuit, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ex Pausania, quô authore Hadrianus Imp. Jovis Panhellenii Templum Athenis exstruxit. Imò antiquior est Panhellenii

(F) cultus

cultus, excepit DULODORUS. Ad Æaci tempora respiciendum; Is enim ex oraculo quodam, cum Græciæ siccitas esset, Jovi Panhellenio sacrificando pluviam impetrasse, eidem Pausaniæ memoratur. In Numismate, reposuit ARCHÆOPHILUS, non ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΟΥ, sed ΕΛΛΑΝΙΟΥ legitur, indeque jure dubitem, an idem utrinque significetur? Dubium, respondit DULODORUS, diluit Pindarus, qui Nem. Od. V. Πατέρα Ἑλλάνιον vocat, quem Pausanias Πανἑλλήνιον: Et quidem Ἑλλάνιος Doricè dicitur, pro Ἑλλήνιος, adeò ut & in voce ad Gentis Origines respicias. Syracusanos, excepit ARCHÆOPHILUS, Corintho ortos memini; At Corinthios Dores fuisse, respondit DULODORUS, nemo dubitabit. Inde apud Theocritum Idyll. 15. Gorgo:

Συρακȣσίαις ἐπιτάσσεις,
Ὥς εἰδῆς καὶ τȣ͂το, Κορίνθιαι εἰμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφῶν. Πελοποννησισὶ λαλεῦμες.
Δωρίσδεν δ' ἔξεσι (δοκῶ) τοῖς Δωριέεσσι.

Imperas Syracusiis,
Atque ut & hoc scias, Corinthiæ sumus ab origine,
Sicut & Bellerophon. Peloponnesiacè loquimur.
Doricè autem loqui licet, opinor, Doriensibus.

Ex his, inquit ARCHÆOPHILUS quidem ratio Dialecti Doricæ patet; at nondum ratio Jovis Hellenii; Licet enim Jovem Græcum ea vox sonet, Dores autem Græci fuerint, constat tamen in sola Ægina ejus cultum fuisse; ita enim Pindari interpres: Ἑλλήνιος Ζεὺς, τιμᾶται ἐν Αἰγίνῃ: Id inficias non ierim, respondit DULODORUS, cum autem & Æginam Dores occupaverint, teste Pausania: Cùm item Ægina, à qua insulæ nomen, eodem memorante, Asopi fluvii filia fuerit, Ejus, qui juxta Corinthum in mare influit: Cùm denique causa cognominis omnibus Græcis communis fuerit, quid mirum, si Syracusii, Dores & Corinthiorum Coloni eundem coluerint, occurrente ejus effigie in eorum Numismate? Effigie? Excepit ARCHÆOPHILUS, at Apollinis hæc esse videtur. Non magis, respondit DULODORUS, ac Effigies Vejovis in nummis Romanorum, qui & ipse imberbis & laureatus licet fingatur, Jupiter tamen, & imberbis quidem, ex affixto *fulmine* agnoscitur, uti propositus expressa in averso Numismate *Aquilâ*, non minus ac adscripto nomine. Panhellenio Jovi, excepit ARCHÆOPHILUS, ut sacra faceret Æacus, Oraculo Delphico mandatum apud Pausaniam legimus, quid igitur si eam ob causam Jupiter hic Apollinis habitu adumbretur? Potius, respondit DULODORUS, affixta aquilæ stella videtur consideranda; Si enim verum est, quod Macrobius docet, tam Apollinem quàm Jovem antiquis Solem fuisse, jam constat, sub hac stella aliud sidus non latere, sed ideò affixtam, ut solem sub Jove Hellanio intelligendum significaretur. Siccitate, inquit ARCHÆOPHILUS, memoratur laborasse Græcia; siccitate, inquam, quæ proculdubio à vehementiore Solis ardore ortum traxit; Quomodo igitur Sol, qui Græcis nocebat, idem poterit esse cum Jove Hellenio, cujus ope malum amotum est, imbribus Græciæ immissis? An siccitate laboraverint Græci, respondit DULODORUS, an verò diluvio, incertum testatur Pindari Scholiastes: Φασὶ γὰρ, inquit, αὐχμȣ͂ ποτὲ πιέζοντος τὴν Ἑλλάδα, ἔνιοι δὲ κατακλυσμȣ͂, συνελθόντας τȣ̀ς Ἕλληνας κατικετέυσαι τὸν Αἰακὸν, ὡς ὄντα παῖδα Διὸς &c. Adeò ut Diluvio terras premente, utique ritè Sol sub Jove Hellenio fuerit invocatus, ut is ardore suo fluctus dissiparet, malumque tolleret. Sed esto! laboraverit siccitate Græcia!

Annon

Annon haſta, quæ vulneraverat, potuerat & ſanare? Nonne idem Deus, qui pœnam inflixerat, credatur eandem & auferre potuiſſe? Pluvias ex vaporibus oriri, vulgò etiam innotuit, vapores autem æſtate uberrimos attolli, nec ipſum negari poteſt, & licet vehementi Solis ardore vapores diſſipentur, nec niſi vento frigidiore condenſentur, vel ſic tamen à Sole in pluvias converti, neſcio annon ritè quis dicat, quòd calorem contrahendo vapores condenſari, & in pluvias abire Sol patiatur? vel etiam quòd Sol in ortu clarè effulgens, aut cœruleo colore tinctus, aut concavus, pluviæ adventantis hominibus indicium eſſe ſoleat? Hæc utut ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, nondum tamen cauſa apparet, cur Syracuſii eum honorarint? Toties potuit fuiſſe, reſpondit DULODORUS, quoties ſimilis ſiccitas & horum agros preſſit; Quidni enim, qui opem Dei univerſæ Græciæ ſalutarem norant, quidni, inquam, pari malo preſſi invocaverint eundem? Siciliâ relictâ verſus ortum provehimur. In Creta ſe ſiſtunt

LYTTII
EX ARCADIA ORIUNDI, JOVIS CULTORES.



Niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, Strabo appellat Lyctios. Utrôque modô, reſpondit DULODORUS, & apud Authores hoc vocabulum occurrit, & in Numiſmatibus. Et quidem, quod Numiſmata attinet, teſtatur Reverendiſſimus Harduinus, qui & Aquilam hîc expreſſam ad cultum Jovis refert, cui equidem facilè aſſenſero; conſtat enim Jovem in Creta natum, conſtat ex Heſiodo in Theog. Rheam, Jovem parituram, Lyctum miſſam eſſe: Imò ſi Plutarcho credimus in Libro de Fluminibus, Jupiter ex hâc urbe Argen rapuit, quæ fortaſſis cauſa fuerit, ut teſte Clemente in Protreptico, Lyctii Jovi homines immolaverint. Loca Erudiſſimus Meurſius congeſſit, ideoque hîc repetenda non arbitror. Stephanus, excepit ARCHÆOPHILUS, urbem hanc memorat Lyttum appellatam διὰ τὸ κεῖσθαι ἐν μετεώρῳ τόπῳ, eò quod τὸ ἄνω καὶ ὑψηλὸν, λύττον dicerent; Quid ſi inde conjectura ſubeat, annon ſub hâc aquilâ Etymon appellationis ſimul connotetur? Aquilas enim alta ſectari in confeſſo eſt. Sed aliud dubium ſubit. Ariſtoteles Lyctios Laconum colonos facit. Non hic tantum, reſpondit DULODORUS, imò & Polybius id aſſerit, quos ego refutare non auſim; cùm autem Lyctum à Lycaonis filio Lycto appellatam, idem Stephanus aſſerat, Lycaon autem Arcadiæ Rex fuerit, utique apertum eſt, Coloniam etiam ex Arcadia in hanc urbem deductam fuiſſe, & quid ſi hanc ſuperiore illâ ex Laconia poſteriorem arbitrer? Cùm utique urbs hæc ante Jovis nativitatem jam fuerit. Niſi enim hoc ſtatuamus, quomodo, ut modo dixi, Rheam Jovem parituram Lyctum miſſam, Heſiodus canere potuiſſet? Jovem, qui Lycaonem Lycti patrem in lupum mutaſſe fertur?

(F) 2 Imò

Imò & illud hinc patet, à primis incunabulis, usque ad Arcadum adventum, urbem hanc non Lyctum, sed Lyttum, ab altitudine scilicet sitûs, nominatam, indeque est, quod & Homerum non Λύκτον, sed Λύττον scripsisse, Strabo tradidit; Lyctus enim, ut dixi, demum à Lycaonis filio appellata est. Hæc quidem verisimiliter dicuntur, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem ad Numisma faciant non video; At videbis, respondit DULODORUS, ubi duplicem hanc coloniam & in nummo ostendero. Laconicam quidem in appellatione ΛΥΤΤΙΩΝ, quæ vetustissimam illam migrationem innuit, quâ à Lacedæmoniis condita, & ab altitudine denominata fuit; Arcadicam autem in capite Apri & Aquila: Et quidem, quod Aquilam attinet, præter suprà jam dicta, referri ea etiam potest ad Jovem Lycæum in Arcadia cultum, & ideò fortè non adeò sinistrè, quòd eôdem planè schemate, quô hic visitur, Aquila hæc & in nummis Arcadiorum occurrat, apud Goltzium. Si de Apro quæras, vel Erymanthii exemplo patet, in Arcadia ejus venationem fertilem fuisse. Sed audiamus & Homerum. Odyss. 6. v. 102. seqq.

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' ὄρεος ἰοχέαιρα,
Η κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείης ἐλάφοισι.
Qualis autem Diana per montes sagittis gaudens,
Aut per Taygetum longum, aut Erymanthum,
Oblectans sese apris & velocibus cervis;

Quanquam forsan, quòd hic caput tantùm apri cernitur, non abs re etiam ad Aprum Ætolum respicias, cujus caput Atalantæ Arcadiæ Reginæ donatum ex Mythographis constat. Cæterum Apros in Creta, nisi in Cydonio agro non exstitisse, Plinius Lib. VIII. c. 58. testatur, adeò ut caput hoc apri meritò ad extraneam quandam regionem referamus. Cretâ relictâ Rhodum ingredimur. Hîc

RHODIORUM
VICTORIA NAVALIS
SUB
TIMOSTRATO



Se sistit. Nummum hunc apud Goltzium vidi, inquit ARCHÆOPHILUS; Quæ igitur ratio, ut denuò proponatur? Duplex, respondit DULODORUS, à Goltziano differentia; Primò enim Victoria hæc non Lauream, sed Caduceum præfert. Deinde non ΖΕΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ sed ΤΕΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ in nostro legitur, ut taceam literæ Σ figuram, quæ in Goltziano rotunda, in nostro autem quadrata visitur. Sed hæc ad rem parum. Numismatis magnitudo & nobilitas, vel sola ei locum inter selecta conciliat; Imò & in capite occur-

occurrit, quod confideres. Non radiatum tantùm id eft, fed & coronâ pampineâ, & quidem magnificè revinctum. An hujus rationem, excepit ARCHÆOPHILUS, non dedit Lud. Nonnius, Goltzii interpres? Ne minimam quidem, refpondit DULODORUS, Numifmatis mentionem is facit, cùm tamen omninò docere & debuiffet & potuiffet, minimùm quod vel vulgò perfuafiffet, Solem & Bacchum idem numen effe; Res enim eò apertior eft, quòd maturitatem vini nulla res magis promovet, quàm calor Solis. Cùm Bacchum & Ofiridem, excepit ARCHÆOPHILUS, eundem crediderint Ægyptii, Ofiris autem alius non fit ac Sol, equidem facilè crediderim, utriusque Numinis poteftatem hîc conjungi, præfertim cum conftet, Rhodios poft Alexandri M. obitum, Ægyptiorum partes conftanter foviffe. Quid autem Victoria averfæ? An ad eas hæc referenda, quas à Demetrio obfeffa Rhodus, haud femel retulit, uti Diodorus memorat? Poterit, inquit DULODORUS; licet enim in urbe obfeffa victorias terreftres potius præfumeres, conftat tamen durante obfidione Rhodios naves fuas non femel feliciter emififfe. Sed poteris etiam ad bellum cum Byzantiis refpicere, & forfan eò juftius, quòd Caduceum hæc Victoria præferens, Claffem victricem quidem, fed hofti fuo tamen pacem oftentantem adumbrare videatur, quòdque Polybio tefte Rhodii, licet Achæos, præcipuam Byzantiorum fiduciam, fibi conciliaffent, & infuper claffem Victricem haberent, ad inftantiam tamen Cavari Regis, legatum quidem *pacis gratiâ* miferunt, fed & fimul Polemoclem *cum triremibus* proficifci jufferunt, Βȣλόμενοι, ut idem Author loquitur, τὸ δορὺ καὶ τὸ κηρύκειον ἅμα πέμπειν πρὸς τȣ̀ς Βιζαντίȣς, *Volentes haftam & Caduceum fimul Byzantiis mittere.* Si Polemocles in nummo legeretur, excepit ARCHÆOPHILUS, conjecturam admitterem, cùm autem TEIMOCΤΡΑΤΟΥ nomen expreffum fit, vereor eò refpicere. Rem pro certa non affirmo, refpondit DULODORUS; Cùm enim potentia Rhodiorum maritima, imò & felicitas, vel ex Strabone innotuerint, fieri poteft, ut ad aliam Victoriam typus pertineat, quanquam ut ad Bellum & Pacificationem cum Byzantiis refpicias, nomen non obftet. Non enim Navarchi, fed Prytanis proculdubio hoc nomen eft: Prytanis, inquam, qui fummus apud Rhodios Magiftratus fuit, ut Polybius in Excerptis No. LXIV. teftatur. Sed de Prytanibus integra differtatio Magni Noftri Spanhemii proftat, quam fi lubet aliô tempore luftrare poteris. Poft Rhodios verfus Ægæum regredimur. Juxta Cariam Coum offendimus.

COI
HERCULEM ALEXIN COLUERE.



Id quod jam fuprà ex Ariftide docui, ubi & cum Nonnio obfervatum, Coos fe ab Hercule oriundos jactaffe, ut proinde Numifma propofitum Tibi often-

dere ſufficiat, explicare opus non ſit. De Hercule hæc inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, cujus quidem faciem directam, Leoninisque ſpoliis ornatam in adverſa, in averſa autem clavam video. Quid autem juxta clavam? an pharetra? Non hæc, reſpondit DULODORUS, ſed Coritus; Id enim ex arcu ei immerſo patet. Iſidorus, Coriti, inquit, propriè ſunt arcuum thecæ, ſicut ſagittarum pharetræ: Quanquam, quod omninò notandum, etiam hîc præter arcum etiam ſagittæ promineant. Literæ ΔΙΟΝΙ proculdubio initiales ſunt nominis ejus, cujus auſpiciis Numiſma percuſſum eſt. Juxta Aſiam aſcendentibus Chios aperitur. Eam habitârunt

CHII
RE NAUTICA CLARI
ET
HERCULIS CULTORES.



Rem nauticam, excepit ARCHÆOPHILUS, proculdubio ſub navis roſtro intelligis, quod Sphinx utroque in Numiſmate, pede dextro tuetur; ſed quis Authorum ſuffragatur? Strabo, inquit DULODORUS, nam is Lib. XI. Chios memorat portum habuiſſe, & ſtationem, navium XXC. capacem; nec portum tantùm, imò & Claſſem tam potentem, ut imperium maris libertatemque attentaverint, eôque in motu, quô Jonia, Authoribus Hiſtiæo & Ariſtagora Mileſio, à Dario deſcivit, ſoli Chii centum triremes in aciem eduxerint. Non autem navalis potentia tantùm, imò & prudentia his in Numiſmatibus videtur celebrari, eò quod hâc duce res navalis & tuta ſit & utiliter procedat. Prudentiam, excepit ARCHÆOPHILUS, proculdubio ſub Spinge tibi imaginaris; memini enim in aliis Chiorum nummis Te cum Antiquariorum Principibus ad ænigmaticam ſapientiam Sphingem retuliſſe; Quid autem hæc cum potentia navali? Illud, reſpondit DULODORUS, quod ad currum Iſidis, per æquora vectæ, in Numiſmate Juliani apud Patinum. Iſidem tu ibi agnoſcis? inquit ARCHÆOPHILUS, at Celeberrimus Patinus currum ibi monſtris vectum arbitratur, aitque Ænigma id ſibi eſſe, quod feliciorem Oedipum requirat. Oedipo opus non eſt, reſpondit DULODORUS, Iſidem enim ſiſtrum prodit, Orusque quem gremio fovet, imò & corona, ut canem aſſilentem taceam, cui tamen & in alio nummo apud eundem in Indice, Iſis inſidet, id quod nec ipſum Patinus aſſecutus videtur; Sed de his latius ſpeciali Syntagmate ſcripſi. Hic ad rem facit, quod Iſis ſphingum bigâ per æquora vehatur; cùm enim Iſis vela nautica invenerit, ideoque in nummis cum velo navi inſiſtat, ut vulgò patet: cùm inſuper Pelagia Pauſaniæ memoretur, utique jam clarum eſt, Sphinges eâ potiſſimùm de cauſa currui ejus per æquora vectæ affictas eſſe, ut rem navalem prudentiâ feliciter procedere ſignificetur;

ficetur ; id quod & Chios moviſſe crediderim, ut navim dextro Spingis pedi ſubjecerint. Utut hæc ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi tandem perinde eſt. Figuram averſa autem ut explices, vehementer deſidero ; neque enim Herculem, quem tu ſtatuere videris, ſub hâc mihi imaginari poſſum. At Herculem, reſpondit DULODORUS, utique clava demonſtrat, quæ ſiniſtram fulcit, clarior utique utrinque, quam ut dubitari de eâ poſſit. Clavam video, inquit ARCHÆOPHILUS, nec clavam eſſe inficiari poſſum, nam nodoſa eſt; Si autem caput intueor, id radiatum deprehendo, & vittis niſi fallor utrinque dependentibus inſigne ; & ubi Leonis pellis? annon hujus vices in Numiſmate hoc lacinia ſupplet, quæ humero & brachio ſiniſtro circumvoluta ad pedes usque dependet? De radiis, reſpondit DULODORUS, dubitari poteſt, an non potius lauri, an oleæ folia eorum ſpeciem præferant; Sed eſto! ſint radii, dependeatque & lacinia loco pellis, quid hoc contra Herculem? annon recordaris, quod Macrobius notat, Herculem Antiquis ipſum Solem creditum, ideoque ei duodecim certamina aſſignata, quòd duodecim Sol ſigna curſu ſuo pervaderet? Annon recordaris, Tyrios Herculem *Aſtrochitonem* ſive *Ducem aſtrorum* vocâſſe, qualiter & Nonnus Dionyſ. 40. v. 372. de Baccho

Ἐις δρόμον Ἀςροχίτωνος ἐκώμασε, καὶ πρόμον ἄςρων
Τοῖον ἔπος βοόων ἐκαλέσσατο μύςιδι Φωνῇ
Ἀςροχίτων Ηρακλες ἄναξ πυρὸς, ὄρχαμε κόσμȣ
Ηέλιε &c.
In curſum Aſtrochitonis laſciviit, & Ducem Aſtrorum
Tale verbum clamans invocavit myſtica voce:
Stellatam tunicam habens Hercules, Rex Ignis, Dux Mundi,
Sol &c.

Quid videtur? ARCHÆOPHILE, ſi hoc de Hercule crediderit Antiquitas, an mirum, quòd in Numiſmate noſtro radiatus occurrat, quòdque loco pellis Leoninæ Laciniam geſtet, cùm tamen hanc, tunicam illam ſtellatam eſſe, haud utique abs re ſtatueris. Si in Nummo Tyriorum figura hæc occurreret, excepit ARCHÆOPHILUS, forſitan acquieſcerem, quid autem Tyriorum Numen in nummo Chiorum? Duplex ratio eſt, reſpondit DULODORUS, quòd Hercules Tyrius rem navalem docuerit, ut Nonnius d. l. v. 448. & ſeqq. narrat, quòdque Chii Herculis Tyrii cultum ambitiosè ambierint. Poſterius ex Pauſania diſcimus in Achaicis, ubi narrat, Herculem lignorum rati inſiſtentem, ex Tyro Phœniciæ in ſinum Joniæ mari delatum eſſe, primumque ad Heram appuliſſe, inter Chium & Erythros mediam: cùmque promontorium ratis attigiſſet, conſpecto ligno, ſummis viribus & Erythræos & Chios id ad ſe pertrahere certatim conatos. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed niſi fallor, non Chii, ſed Erythræi Deo potiti ſunt. Ex narratione Erythræorum, reſpondit DULODORUS, quis autem dubitet, quin & Chii ejus cultum ſibi vindicaverint, occurrente non tantùm Deo in his, ſed & clava, & quidem duplice, in Numiſmate Goltziano? Ultra moleſtus non eſſem, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi pedibus adjacentem adhuc Galeam cernerem, Hæccine an Herculi debeatur? Quidni reſpondit DULODORUS, cùm tamen Heſiodus in Scuto, de ipſo contra Cygnum ſe armante:


Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε
Δαιδαλέην, ἀδάμαντος, ἐπὶ κροτάφοις ἀραρυῖαν,

Ητ'

Ἧτ' εἴρυτο κάρη Ἡρακλῆος θείοιο.
Capiti potenti Galeam benefactam imposuit,
Ingeniosam, ex Adamante, temporibus congruam,
Quæ servabat caput Herculis divini.

Hæc de Hercule Thebano, inquit ARCHÆOPHILUS, non Tyrio cecinit Hesiodus. Id me non ferit, respondit DULODORUS, cùm constet, plurium actiones uni tributas esse; Sed age, si ratio minus placet, recordemur Carum, quos Chium olim obtinuisse, ex Diodoro constat. Quid Galea ad Cares? excepit ARCHÆOPHILUS. An nescis, respondit DULODORUS, Cares Galeæ cristas addidisse, quas utique & in Numismate præferunt? Carum imperium, retorsit ARCHÆOPHILUS, tanti non fuit, ut à Græcis celebrari debuerit: Quid ni? respondit DULODORUS, cùm antiquitùs Carum fortitudo vel præcipua fuerit; Quanquam, si ad Græcos respicias, ne sic quidem ratio mihi desit; constat enim ex Plinio L. VII. c. 56. Lacedæmonios Galeam invenisse. Tandem de figuris acquiesco, subjecit ARCHÆOPHILUS, non autem de Inscriptionibus. Nam præter vocabulum ΧΙΩΝ, locum scilicet Numismatis signati, in altero ΟΒΟΛΟϹ, in altero ΑϹϹΑΡΙΑ ΔΥΟ leguntur. Valor monetæ his exprimitur, respondit DULODORUS, uti in Goltzianis, in quibus ΑϹϹΑΡΙΟΝ & ΑϹϹΑΡΙΑ ΤΡΙΑ exstant. Suidæ quidem ΑϹϹΑΡΙΑ ὀβολοὶ sunt, sed eum falli, his nostris obscurum non est, ejusdem enim magnitudinis, ejusdemque ponderis sunt, adeò ut hinc non obscurè discamus, duo ΑϹϹΑΡΙΑ unum ΟΒΟΛΟΝ confecisse. Hesychius Ἀσσάριον & λεπτὸν idem esse dicit, quod si verum, utique verum non est, quod Chrysostomus apud Lucam c. 22. δύο λεπτῶν, τȣτέςιν δύο ὀβόλων, cùm utique secundum nummos nostros duo Assaria, & proinde λεπτὰ, non duo, sed unum tantùm obolum constituerint. Sed hæc notâsse sufficiat. Si plura desideres, adeas Carolum du Fresne in Differt. de Inf. Ævi Numismatibus. Inscriptio ultimi adhuc restat, perrexit ARCHÆOPHILUS. Memini Rev. Harduinum ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΟΘΥ ΑΠΡΕΙΜΟΥ legere, sed an lectio ea vera sit, dubitat ipse. Non abs re dubitat, respondit DULODORUS. In nostro Numismate literæ satis claræ sunt. Quam ille Θ arbitratur est Ο, & quam Α ea est Λ. adeò ut fortè rectius ΚΟΟΥΛ. ΠΡΕΙΜΟΥ. legas, explicesque. PONTIFICE CULATTIO PRIMO. Fateor quidem nomina hæc mihi incognita esse, sed quis omnia ejusmodi determinet? Nos Insulis relictis, Peloponnesum intramus. Huc Argivæ Regionis Metropolis

ARGOS



Nos vocat. Ad Argos pertinere hoc Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, ex litera A & aversæ lupo videtur confici; his enim signis Argivorum nummos notatos esse, Tomo I. Te demonstrasse recordor: An autem *Argos* id

id inſcribatur, liceat adhuc diſquirere. Supra literam A ſanè, non literæ PΓ. ſed ΠΥ exprimuntur, adeò ut non abs ratione ΑΠΥ legas. Quo ſenſu? excepit DULODORUS. Rei propoſitæ convenientiſſimo, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ſi enim literam Υ, ex I & A compoſitam, adeoque monogramma arbitreris, habebis nomen ΑΠΙΑ, quo Argivorum regionem olim dictam ex Geographis planum eſt. Argivorum regionem, excepit DULODORUS, olim *Apiam* dictam, facilè dedero, an autem id nominis in Nummo noſtro expreſſum ſit, de eo vehementer dubito; Quidni enim, quæ Tu conjungis, potius dividenda arbitrer? adeò ut ſola litera A. *Argos* arguat, literæ autem ΠΥ aut junctâ literâ Θ, quæ in averſa exſtat, ΠΥΘ. initium Prætoris, vel ΠΥΘΟΥ, vel ΠΥΘΟΔΟΡΟΥ, vel aliûs cujusdam conſtituant? eôdem modô, quô apud Goltzium præter literam A. vel ΞΕΝΟΦΙΛΟΥ, vel ΙΕΡΩΝΟΣ, vel ΕΥΘΥΚΛΕΟΣ legitur? Perſuades, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem ſub litera A. an Aquila & navis? Si arbitreris, reſpondit DULODORUS, aquilam ad Jovem referes, quem Argis non Μειλιχίϐ tantùm, ſed & Ὑετίϐ, Νεμέιϐ, Σωτῆρος, Φυξίϐ, Μηχανέως &c. cognomine cultum, apud Pauſaniam in Corinthiacis legimus. Quod navim attinet, vel ſola Expeditio Trojana lucem affundere poſſet, ſed juvat & Strabonem citare, qui Naupliam Argivorum Navale memorat, ſic dictam, quòd navibus impleatur. Nos Peloponnesô relictò per Mare Jonium in Illyrium devehimur, cujus urbem nobiliſſimam habitarunt

APOLLONIATÆ,

AB
APOLLINE NOMINATI,
EJUSQUE ET ORACULO ET CULTU NOBILES.



De Apolline, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium non eſt. Nomen etymon apertè arguit; An autem ab Apolline hæc urbs etiam fuerit exſtructa, ut Epigramma apud Pauſaniam innuere videtur:

Μνᾶματ' Ἀπολλωνίας ἀνακείμεθα, τὰν ἐνὶ πόντῳ
Ἰονίῳ Φοῖβος ᾤκισ' ἀκερσεκόμας.

Urbis Apollineæ ſunt hæc monumenta, comatus
Phœbus quam ad Pontum condidit Jonium.

Si non ab Apolline ipſo, reſpondit DULODORUS, tamen ab Apollinis cultoribus, Dyrrachenis, Corcyræis, Corinthiis, de quibus utique alibi abundè dictum eſt: adeò ut nec ad Apollinis caput, nec ad lauream, nec ad tripodem prolixior ſermo requiratur, niſi fortè oraculum in medium adducere libeat, de quo Dio lib. XLI. μαντεῖον τοιόν δε τὶ παρέχεται. λιβανωτὸν δὴ λαβὼν, καὶ προσευξάμενος ὅ, τι ποτὲ καὶ βȣ́λει, ῥίπτεις αὐτὸν τὴν εὐχὴν Φέροντα. κᾂν τȣ́τῳ τὸ πῦρ, ἂν μέν τι

ἐπιτελὲς ἔιη ἐσόμενον, δέχεται αὐτὸν ἑτοιμότατα. κἂν ἄρα καὶ ἔξωπȣ προσπέσῃ, προσδραμὸν ἥπασε καὶ καταναλῶσιν. ἂν δὲ ἀτέλεσον ἦ, ȣ̓̓̓τ' ἄλλως αὐτῷ προσέρχεται, κἂν ἐς αὐτὴν τὴν Φλόγα Φέρηται, ἐξαναχωρεῖ τε καὶ ἐκΦέυγει. καὶ ταῦθ' ȣ̓́τως ἑκάτερα περὶ πάντων ὁμοίως, πλὴν θανάτȣ καὶ γάμȣ, ποιεῖ. περὶ γαρ τȣ́των ȣ̓δὲ ἔξεσι τινὶ ἀρχὴν αὐτȣ̃ πυθέσθαί τι: *Oraculum* (ad Apolloniam) *editur, idque hoc modô: Thure acceptô, precibusque ejus rei ergò, quam volunt, factis, ipſum thus, ut ſecum eas preces deferat, ad ignem projiciunt: tum ſi ratum ſit futurum votum, ab igni Thus è veſtigio corripitur: ac ſi Thus extra ignem fortè deciderit, accurrens ignis id abripit & conſumit; Sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & ſi in ipſam flammam conjiciatur, recedit ab eâ atque effugit. Ita in utramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiisque exceptis, de his enim non licet cuiquam oraculum id conſulere.* Hanc de Oraculo narrationem, excepit ARCHÆOPHILUS, eò libentius admitto, quò planius etiam in vulgus conſtat, non tantùm Apollinem vaticiniis inclaruiſſe, ſed & tripodem eorum inſtrumentum, & lauream inſigne fuiſſe. Sed memoriam ſubit & Numiſma cimelii Regis Gallorum, quod Reverendiſſimo Harduino teſte, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΚΩΚ. inſcribitur, adeò ut Apollinem *Cocæ* cognomento Apolloniatis cultum, inde haud obſcurè videamus. Cocæ legit Harduinus, reſpondit DULODORUS, ſed tutius fortè *Coccocæ* legiſſet ex Pauſania, cujus tamen locum citat ex Eliac. priore. ὁ δὲ (βωμὸς) μετ' αὐτȣ̀ς Απόλλωνος; τέταρτος δὲ Αρτέμιδος ἐπίκλησιν Κοκκώκας. Licet autem rationem nominis Pauſanias aſſecutus non fuerit, ex noſtris tamen Numiſmatibus, cum Regio junctis, conjectura haud forſan contemnenda ſubit, aras eas ab Apolloniatis poſitas, quod apud eos non Apollo tantùm, ſed & Diana hoc cognomine in veneratione eſſent; Neque enim ſolus Apollo hîc apparet, ſed & ſoror ejus, & quidem novo geſtu, Pharetram non tergo appenſam geſtans, ſed ſub mento prominentem, tanquam averſo lateri appenſam. Dianam, excepit ARCHÆOPHILUS, Dyrrachii Apolloniatarum Metropoli cultam, ex Appiano Te memini demonſtrâſſe, indeque cultum ejus traductum haud difficulter mihi perſuaſero. Quid autem Columna in averſâ Numiſmatis primi? an ara hæc eſt, Oraculi, cujus ſupra meminiſti teſtis? Ei enim apicem impoſitum video, qui utique flammam non abſurdè adumbrat. Harduinus, reſpondit DULODORUS, & quicunque hactenus Apolloniatarum nummos inſpexêre, non Columnam, ſed Metam hanc interpretantur, ludosque & certamina in Apollinis honorem edita ajunt ſignari; Sed mihi alia conjectura ſedet, eaque neſcio an adeò contemnenda, de *Apolline* ſcilicet *Agyieo*, de quo apertiſſima Authorum loca proſtant; Sed unus omnium inſtar mihi ſit Harpocration: Αγυιεὺς, inquit ἐςὶν κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱςᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. ἰδίȣς δε εἶναί Φασιν αὐτȣ̀ς Απόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσȣ, οἱ δε ἀμΦοῖν. Αγυιεύς *eſt Columna in acumen deſinens, quam ante fores ſtatuunt. Dicunt nonnulli eas columnas eſſe Apollinis proprias, alii Dionyſi, alii utriusque communes.* Dionyſi aut Bacchi, inquit ARCHÆOPHILUS, in his nummis nulla eſt ratio. At eſt, repoſuit DULODORUS, in Goltzianis; Ibi enim Apollo foliis non lauri tantùm, ſed & hederæ coronatur, ut proinde hinc dubii nihil remaneat; Sed Harpocrationi ſubſcribunt, Suidas, Euſtathius ad Il. B. Biſetus ad Ariſtophanis Equites, aliique. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an Apollo Αγυιεὺς apud Apolloniatas colebatur? Tegeæ quidem ei fana collocata Pauſanias refert, ſed id in Arcadia factum, & ob cauſam planè peculiarem. Ita & Acharnis & Argis cultum, ex eodem in Atticis & Corinthiacis diſcimus; Quis autem de Apollonia? Apolloniatæ, reſpondit DULODORUS, Dorienſes

rienſes fuiſſe, vel ex inſcriptione Απολλωνιάταν, quod Doricè dicitur, pro Απολλωνιάτων, colligitur;Orienſibus autem Αγυιέα proprium eſſe, idoneô authorum teſtimoniô probari poteſt, indeque cùm de integra gente conſtet, quid dubites de gentis ejusdem civitate, & quidem non poſtrema? Ut de Columna probare poſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, valdè dubito. Harpocrationem enim his verbis Φασὶ δ' αὐτὸ ἴδιον εἶναι Δωριέων, non de Columna, ſed de modo loquendi intelligi debere, ex Suida clariſſimè patet. De columna ipſa, reſpondit DULODORUS, teſtantur Scholia Ariſtophanis περὶ τȣ̃ αγυιέως Απόλλωνος ἰδίως Ἐυτυχίας (lege Διεύχιδας) ȣ̃τω γράφει. Ἐν τῷ ἰατρῷ (leg. τρίτῳ ſcilicet Megaricorum) τȣ̃το διαμένει. Καὶ ἔτι καὶ νῦν ἐςιν ὡς Αγυιεὺς τῶν Δωριέων τῶν οἰκησάντων ἐν τὸ τόπῳ ἀνάθημα. καὶ ȣ̃τω καταμένει ὅτι Δωριέων εἰσὶ τὰ Ελλήνων. τȣ́τοις γὰρ ἐπὶ τὰς ςρατίας φάσματος οἱ Δωριεῖς μιμȣ́μενοι τὰς ἀγυιὰς ἱςᾶσιν ἔτι καὶ νῦν τῷ Απόλλωνι. Ex quibus utique patet, non tantùm modum loquendi, ſed etiam ipſam Columnam Dorienſibus propriam fuiſſe; Sed hæc conjecturâſſe ſufficiat, facilè ceſſuris, ſi certius quid doceatur. In Atticam tranſimus. Vocat Civitas totius Græciæ clariſſima,

ATHENÆ.



Quatuor hæc Athenienſium Numiſmata, à nemine adhuc, quod ſciam, vulgata proſtant, quanquam res iis expreſſæ interpretatione haud magnoperè indigeant. De capite Minervæ, excepit ARCHÆOPHILUS, equidem non quæſierim; Tutelare enim hoc Athenarum numen, cui non innotuit? quid autem Jupiter fulgurator? De Jove, reſpondit DULODORUS, ad Nummos Athenienſium Tomô primô p. 470. expreſſos, ex Pauſania luculenter docui: Docui & de Amphora, quæ in primô propoſitorum viſitur, quòd Athenienſes & figulinas invenerint, & deinceps Atticum fictile in pretio fuerit. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Rota in ſecundo Numiſmate? Ad Figulinas, reſpondit DULODORUS, earumque inventionem, pertinet & ipſa; Ita enim verſus Critiæ apud Athenæum:

Τὸν δε τροχὸν, γαιής τε καμίνȣ τ' ἔκγονον ἑ̃υρε
Κλινότατον κέραμον χρήσιμον οἰκονόμον
Η τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταςήσασα τρόπαιον.

Rotam, & terræ fornacisque progeniem invenit
Splendidum fictile, utilem dispensatorem,
Quæ pulchrum in Marathone statuit tropæum.

Sed de Rota clarius Diodorus Siculus, Lib. IV. ubi de Dædalo Atheniensi ex familia Erechtidarum, narrat: *Eum Talum, ex sorore Nepotem, quòd is* κεραμευτικὸν τροχὸν *ROTAM FIGULAREM, aliaque invenisset, interfecisse, ideoque in Cretam fugâ elapsum esse.* Hoc appositè, inquit ARCHÆOPHILUS, qualis autem in *tertiô* ante arborem sedens figura? qualis in *quartô*, currenti similis? De hac, respondit DULODORUS, judicium suspenderim, nisi fortè Theseum arbitreris, Athenas advenientem; hunc enim & nudum & solâ chlamyde ornatum, etiam in gemma Thesauri El. Palatini videas. Figura ante arborem sedens, Minerva ex Clypeo noscitur, indeque patet, & arborem Oleam esse, quam Pallas producendo Athenarum præsidium meruit, uti in vulgus patet. Atticâ relictâ in Thessaliam ascendimus. Thessalis accensebantur

ÆNIANES




Rarum est horum Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, nec unquam, si rectè memini, vulgatum. Harduinus quidem hoc nomen citat, ex Nummo Ill. Harlæi, sed figuras non memorat. Adde quòd nec Thessaliæ Gentem adscribat, sed vel Ætolis ex Plinio lib. IV. sect. III. qui *Ænienses* vocat, vel Perrhæbis ex Stephano, cui Αἰνία πόλις Περῤαιβῶν, καὶ Αἰνιᾶνες οἱ οἰκοῦντες. Stephanus, respondit DULODORUS, non Αἰνιᾶνες tantùm, sed & αἰνιεῖς, *Ænienses* vocari tradit, adeò ut Plinius hactenus culpâ careat. Imò quòd ille Ænienses à Perrhæbis distinguat, Stephanus autem Αἰνίαν Perrhæborum oppidum faciat, Alii autem eosdem Thessaliæ adscribant, id proculdubiò ex diversitate temporum excusabis, cùm constet, diversis eos, diversis populis accensitos. Strabo Ætolorum vicinos facit, & ab Augusto Thessalis adnumeratos Pausanias Author est, nec obstat Stephanus, qui Perrhæbis eos addicit, cùm Perrhæbi eô authore & ipsi Thessali fuerint. Sed de Thessalia juvat adscribere locum Heliodori in Æthiopicis, & quidem, cùm prolixior sit, ex versione Stanislai Warsche. Ita Ille circa finem libri secundi: *Ænianes*, inquit, *Thessalicæ gentis nobilissima portio, & prorsus Græca, à Deucalione Græco orta, ad Maliacum sinum protensa, metropolim prædicans Hypatam, quemadmodum ipsi volunt, ab eo quòd cæteris præsit & imperet, cognominatam: ut autem aliis videtur, quòd sub Oeta monte sita sit.* An hoc de Ænianis? inquit ARCHÆOPHILUS; At non Αἰνιᾶνες, sed Αἰνειᾶνες in textu leguntur, quæ vox potius ab Αἴνεια descendere videtur. Αἴνεια, respondit DULODORUS, Stephano locus Thraciæ est; apud Heliodorum autem Αἰνειᾶνες corruptè legi, jam notavit L. Holstenius,

&


& patet ex situ, qui non aliis ac Ænianibus convenit. Sint hæc ita, excepit ARCHÆOPHILUS, an autem ad hos pertineat Numiſma? Quidni potius ad eos, quos eodem nomine in Ponto fuiſſe Strabo teſtatur? Cùm Stephano loqueris, inquit DULODORUS; Hic enim Ænianes in Ponto ex Strabone citat; & fateor, ſi res ita ſe haberet, cauſam fortaſſe fore, ut Numiſma propoſitum his addicas, Palladem enim & Mercurium hôc tractu in honore fuiſſe, vel Numiſmata Amiſenorum teſtantur, apud Goltzium, & hoc ipſo Electorali in Cimeliarchio ſub Sabina, uxore Hadriani percuſſa. Sed Strabo, quod omninò hîc monendum, non Αἰνιᾶνες ſed Αἰνειᾶνες, non in Ponto, ſed ſupra Armenios verſus Hyrcanos, qui ad mare Caſpium habitabant, ad Abum montem, qui propè viam, quâ Ecbatana itur, collocat: Quò an abeundum ſit, cùm ratio potior in Græcia ſe ſiſtat, haud abs re utique dubites. In nummo certè non Αἰνειάνων, ſed Αἰνιάνων legitur, qualiter dictos, qui ſub Oeta jacebant, ſupra demonſtravi. Non Αἰνιάνων tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed & ΜΥΜΜΗΩΝ lego. An hæc vox differentiam arguat? Non dixerim, reſpondit DULODORUS. Potius Magiſtratus alicujus hoc nomen arbitrer, qualia & in aliis Nummis adjici ſolita, in confeſſo eſt. Si nec hinc fulcrum appareat, excepit ARCHÆOPHILUS, apparebit tamen in Minerva, cujus caſſis iisdem planè ornamentis in Numiſmate inſignitur, quibus & ornata cernitur in Nummis Athenienſium. Id mirum non eſt, reſpondit DULODORUS, in loco enim ſupra ex Heliodoro prolato Æniani à Deucalione memorantur orti; At Deucalionis filius fuit Amphictyon, Quartus Athenienſium Rex: Ut Xuthum taceam Deucalionis ex Hellene nepotem, qui & ipſe in Atticam venit, ibique Erechthei regis filiam Creuſam duxit, & Tetrapolin condidit: taceam & Jonem Xuthi filium, à quo, ut cæteri, ita & Athenienſes Jones dicti memorantur: adeò ut hæc Athenienſium & Ænianum affinitas haud improbabilis ratio eſſe poſſit, cur eadem utrinque Minerva ſignata proſtet. Minimùm erit & vicinitas, & Minervæ Atticæ gloria. Minervam ſanè etiam Ænianis in honore fuiſſe, ſive Ætolis eos accenſeas, ſive Theſſalis, vel inde colligas, quod illis Minerva Calydonia, his autem Itonia memoratur, imò quòd Heliodoro teſte, Theagenes legationis Ænianum dux etiam fibulâ Palladem ex Electro repræſentaverit, Gorgonis caput in ſcuto pectore præferentem. De Minerva acquieſco, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem figura averſæ? an hæc Mercurius fuerit? nam Caduceum affictum video. Ille ipſe, reſpondit DULODORUS, & quidem Palæſtrita, ſive Ἀγώνιος, *præſes certaminum*; Id enim colligas ex geſtu, & corio illo bubulo, quod eôdem ferè modô extenſum in Numiſmate Segeſtanorum vidimus, quodque manibus circumvolutum, Ceſtum dixere, uti latius ad dictum Numiſma me probaſſe, proculdubio meminiſti. Subit

HERACLEA MACEDONIÆ
FORTITUDINIS INSIGNIA JACTANS.



Conjecturis oportet rem assequaris, excepit ARCHÆOPHILUS, neque enim *Heracleæ* nomen hîc expressum est, neque si expressum esset, liquidò constaret, ad quam Numisma pertineat; Heraclea enim non una fuit, sed per totum orbem ferè dissiminata: adeò ut Stephanus earum viginti tres recensuerit. Conjecturis ago, respondit DULODORUS, sed ut opinor, satis evidentibus. Heracleæ, & quidem Heracleæ Macedoniæ, Numisma tribuendum, ex Monogrammatibus HP. M. docemur, firmantque opinionem & *Clypeus & Cassis*, quæ utique etiam in Nummis Macedonum apud Goltzium visuntur. Cæterùm hæc Heraclea, ut Stephano *vigesima tertia* est, ita & Ἀμύντȣ τȣ̃ Φιλίππȣ κτίσμα, Amyntæ Philippi fratris opus vocatur, meminitque ejus & Plinius, lib. IV. c. 10. & *Sinticæ* cognomine Ptol. lib. III. c. 13. & Livius lib. XLV. c. 29. Clypeum, excepit ARCHÆOPHILUS, proculdubiò ex eorum genere arbitraberis, quos vulgò *Macedonicos* vocant, cùmque simulacris Lunæ falcatæ adornetur, meritò *Argyraspidas* mihi in mentem revocavero, de quibus, ut & *Chrysaspidibus* & *Chalcaspidibus*, Macedonum Decoribus, Te memini ad Nummum Antigoni docere. Quid autem Cassis aut Galea? an hanc Macedones invenerint? an cristas adornaverint? alterum sanè mihi persuaserim, quòd tantâ ambitione eam in Nummis jactent. Neutrum dixerim, respondit DULODORUS; Galeam enim Lacedæmonios invenisse, cristam autem Cares addidisse, Plinium tradere jam suprà docui. Potius ad Macedonum armaturam Galeam hanc referrem, cùm utique & Macedo, à quo Macedonum, & Hercules, à quo Heracleæ nomen, galeis nisi fuerint, easque postea nec Reges aspernati memorentur. In Thraciam ascendimus. Exspectant nos

MARONITÆ
VINEIS ET EQUIS NOBILES.



De Vineis, inquit ARCHÆOPHILUS, non dubito, cùm enim à Marone Bacchi,

Bacchi ſocio conditi ſint, &, ut ſuprà vidimus, Bacchum Servatorem in nummis vulgaverint, Vinumque *Maronæum* veteribus in pretio fuerit, utique cauſa luculenta eſt, cur in hoc nummo Vinea expreſſa ſit; De Equo autem velim doceas; neque enim Equis Maronitas vel abundâſſe, vel nobilitatos, unquam legiſſe memini. At meminiſti proculdubio, reſpondit DULODORUS, Equorum Thracicorum; nam hos non minus ac Theſſalicos in pretio fuiſſe, conſtat ex Oraculo Æginenſibus reddito, quod Euſtathius in ſecundum Iliadis librum citat, refertque Suidas: Ἱππεῖς μὲν ἐν Θεσσαλία καὶ Θράκη &c. Ita & Oppianus Κυνηγ. A. v. 172. Equos Θρήικες in Catalogo optimorum enumerat. Quid hoc ad Maronitas? excepit ARCHÆOPHILUS, Maronea, reſpondit DULODORUS, Thracica urbs fuit, indeque, quod de Regione celebratur, de urbe tanti nominis haud difficulter opinor admiſeris. Succedit

ÆNUS
AB AENO ULYSSIS SOCIO APPELLATA.



Literæ AINI in Numiſmatibus viſuntur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed inde dubium eſt, an AINIANΩN, an vero AINIΩN legendum ſit? AINIANΩN Numiſma, reſpondit DULODORUS, ſuprà vidimus, & quidem pleno literarum curſu deſcriptum. Nihil in eo propoſitis ſimile: In his autem omnia, ut Ænianis diſſimilia, ita & Æno convenientiſſima ſunt. Plures & Æni nomine urbes, excepit ARCHÆOPHILUS, memorat Stephanus, *unam* Thraciæ, in exitu Ebri: *Secundam* non ab Ulyſſis ſocio, ſed à Gunei fratre denominatam: *Tertiam* Theſſaliæ: *Quartam* Locorum Ozolarum, *Quintam* juxta Thapſacum & Euphratem: Imò & Inſulam hoc nomine addit, Arabiæ felici adjacentem: Et locum, è Regione Rhodiorum. Quis inter tot cognomines certò ſtatuat, quò Nummi referendi ſint? Ad Thracicam reſpiciendum, reſpondit DULODORUS, vix arbitror eſſe dubium, idque non tantùm ex capite, ſed etiam ex averſæ Capro. Caput Æni eſt, Ulyſſis Socii: Et caper ad Ithacam reſpicit, ut Ulyſſis, ita proculdubiò & Æni ejus Socii Patriam. Ulyſſis ſocium mihi narras; inquit ARCHÆOPHILUS, quis autem ejus meminit? & unde diſtinguatur à Gunei fratre, quem eôdem, ſi ritè recordor, quô hîc delineatur, habitu, inter imagines Illuſtrium Urſinus dedit. Urſinus Oeneum Heroëm inſcripſit, reſpondit DULODORUS, an rectè? ipſe viderit: Urſinum ſecutus eſt Joh. Faber ejus Commentator, qui non tantùm Oenei vel Æni imaginem agnoſcit, deſumtamque docet ex Numiſmate argenteo, Græco, tetradrachmo, fabrerrimè facto, cujus in poſtica parte Caper & imago Sileni fuerit impreſſa; ſed & Ænum, ſive Oenum, Theſſaliæ civitatem id aſſerit percuſſiſſe, idque in memoriam Regis, vel Conditoris ſui, Gùnei ſcilicet fratris, quem in Catalogo Homerus nominat. Quid, inquit ARCHÆOPHILUS,

LUS, poſt tam apertum teſtimonium deſideres? Multa, reſpondit DULODORUS, *primò* enim, & Ulyſſis ſocius, & Gunei frater non Oeneus, ſed Ænus vocabatur: *Secundò* urbem, quam Gunei frater condidit, Stephanus à Theſſalia diſtinguit: *Tertio*, non Gunei fratrem, ſed Ulyſſis ſocium ſub hoc imagine latere, pileus oſtendit: *Quartò*, non ab urbe Theſſalica, ſed à Thracica, eâ ſcilicet, quæ ab Ulyſſis ſocio appellata eſt, hæc Numiſmata percuſſa eſſe, hæc ipſa imago indubie evincit. Ænum Thraciæ, excepit ARCHÆOPHILUS, ab Ænea conditum, aſſerit Æneas ipſe apud Virgilium, lib. III.

Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis.
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo:
Hoſpitium antiquum Trojæ, Sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, & litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis,
ÆNEADASque meo nomen de nomine fingo.

Quosdam Ænum hîc intelligere, reſpondit DULODORUS, nec me fugit; jamdudum autem errorem oſtendit ὁ πάνυ Salmaſius, ad Solinum p. 161. agnoſcitque Servius ad dictum Virgilii locum, ubi cum Ænum ſignificari ſcripſiſſet, addit: *Quanquam Homerus dicat, inde auxilia ad Trojam veniſſe*; *Ergo jam fuerat. Euphorion & Callimachus hoc dicunt etiam, quòd Ænum dicatur à ſocio Ulyſſis illic ſepulto, eò tempore, quò miſſus eſt ad frumenta portanda:* quibus ex verbis utique ſimul & conſtat, quæ mihi opinionis meæ baſis ſit. Si ex Æno, excepit ARCHÆOPHILUS, Trojanis auxilia venére, Ego nec ab Ulyſſis ſocio crediderim conditam. Non conditam, reſpondit DULODORUS, ſed appellatam, cui utique non obeſt, ſi jam ante condita credatur fuiſſe. Aliud dubium ſubit, regeſſit ARCHÆOPHILUS. Ænum Thraciæ Stephanus Cumæorum coloniam facit: Quomodo igitur potuit Trojanis jam temporibus fuiſſe? Quaſi verò, reſpondit DULODORUS, in urbes jam conditas Coloniæ non fuiſſent deductæ. At plena de his ſunt Antiquariorum opera. Si hoc ita ſit, perrexit ARCHÆOPHILUS, cur non has potius ſuas origines expreſſere Ænii? Antiquiſſima ſecuti ſunt, reſpondit DULODORUS, id quod glorioſius utique & hodie videtur: Indeque non Æni tantùm imaginem, ſed & caprum in nummis cernimus. Caper, denuò excepit ARCHÆOPHILUS, potius ad Ænum Theſſalicam faceret, cùm utique eò loci hoc pecudum genus frequens fuiſſe, hiſtoria Carani doceat; At frequens, inquit DULODORUS, idem fuit & in Ithaca Ulyſſis patria; Teſtatur id Telemachus, cui apud Homerum Odyſſ. Δ. v. 606. Αἰγόβοτος *capris paſcendis apta* Ithaca vocatur. Hinc & Melanthius apud eundem Odyſſ. P. v. 225. Ulyſſem ſibi à ſubulco dari poſtulat:

Σηκοκόρον τ' ἔμμεναι θαλλόν τ' ἐρίφοισι φορῆναι
Ut eſſet ſtabuli curator & pabulum hœdis portaret.

Et quid ſi huc pertineat & fabula Panos, quem Penelope Ulyſſis uxor ex Mercurio, Capri figura ſibi cohabitante, memoratur peperiſſe? Hæc utut ſe habeant, repoſuit ARCHÆOPHILUS, Ego tamen malim vel ad Bacchum reſpicere, vel ad frequentiam animalis in ipſa regione. Si vitem hic caper roderet, reſpondit DULODORUS, & ego pro Baccho ſentirem, præſertim cùm eò & Silenus reſpiciat, quem capro in Numiſmate tetradrachmo junctum Joh. Faber ad Urſinum tradidit. Ex nummis enim, ut modò vidimus, vel Maronitarum, dubium non eſt, quin Æniorum Urbi vicina, vitifera fuerit regio. Cæterum & ſitum hic contemplari poteris, & ſub arbuſculo & ſub cancro;

Regio

Regio enim maritima commodè ſub cancro, arborifera ſub arbuſculo noſcetur, Thracia ſanè ἐριβῶλαξ valdè Gleboſa aut fertilis, etiam Homero Il. Υ. v. 485. vocatur. In Aſiam transgreſſis, Ilium occurrit.

ILIENSES
SILENUM ET JOVEM COLUERE.



Silenum hoc in Nummo exhiberi, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium non eſt. Non corona hæderacea tantùm, ſed & calvities, & naſus ſimus, eum indubiè evincunt, de qua ejus proſopographia Te plura memini ad Gemmas protuliſſe; Miror autem, Ilienſes ejus effigiem ſignaſſe, cùm tamen eorum regio nec vini abundantiâ celebretur, nec Bacchi cultu nobilis ſit. Non Ilienſes tantùm, reſpondit DULODORUS, Silenum hoc in Nummo ſignarunt, ſed & Trojani in iis, quæ Celeberrimus Vaillantius protulit, in opere abſolutiſſimo Coloniarum, in quibus utrem vino repletum Silenus geſtat. Et in eo, quem Illuſtriſſimus Spanhèmius ad Cæſares Juliani p. 393. exhibuit, ubi ebrius hic Bacchi Pædagogus à Satyris & Silenis ſuſtinetur, adeò ut mirum non ſit, eundem & in Numiſmate Ilienſium occurrere; Omninò enim credendum, tam ob Bacchi cultum, quàm ob fertilitatem vini id fieri: Hanc enim Trojanis non negaveris, ſi cogites Strabonis locum de ſubditis olim Trojæ, Idæque & Ilio finitimis regionibus, Priapi ſcilicet, Parii & Lampſaci, ex Libro XIII. Σφόδρα Ἐυάμπελος ἐςὶν ἡ χώρα καὶ ἀυτη (Πριάπȣ) καὶ ἐφεξῆς ὅμορος, ἥ τε τῶν Παριανῶν, καὶ ἡ τῶν Λαμψακηνῶν, Ὁ γȣν Ξέρξης τῷ Θεμιςοκλεῖ εἰς οἶνον ἔδοκε τὴν λάμψακον. *Vitibus & hæc regio abundat, & deinceps finitima Parianorum atque Lampſacenorum. Xerxes quidem Lampſacum Themiſtocli dedit, ut vinum inde perciperet.* Themiſtoclis hiſtoriam, inquit ARCHÆOPHILUS, memini & apud Cornelium Nepotem, imò & Plutarchum legiſſe, & licet hinc de vini fertilitate indubium ſit, vellem tamen & de Bacchi cultu doceri. Bacchi apud Trojanos non cultum tantùm, reſpondit DULODORUS, imò & cultus originem ego in diſſertatione *de Nummis Cretenſium Serpentiferis* oſtendi. Indeque neceſſe non eſt, quod equidem poſſem, Priapum urbem à Priapo Bacchi filio appellatam, in memoriam reducere: Imò nec Proſerpinam Vitibus redemitam, in Nummis Cyzicenorum. Baccho ſanè totam Aſiam ad Indum usque conſecratam, Strabo aſſerit, ejusque cultum cum Cybeles in montibus Phrygiæ non conjunxit tantùm, ſed & inde in Græciam deſcendiſſe aſſeruit Euripides in Bacchis: En verba:

Ἴτε Βάκχαι
Βρόμιον παῖδα θεὸν θεȣ̃
Διόνυσον κατάγȣσαι
Φρυγίων ἐξ ὄρεων

Ελλάδος εἰς εὐρυχώρους ἀγυίας.
Ite Bacchæ
Bromium Dei natum Deum
Bacchum deducentes
Phrygiis de montibus in Græciæ compita lata.

Phrygiis, inquam, qui cum Trojanis iidem fuére: adeò ut hoc typo & Trojani & Ilienses, non Bacchi infantiam tantùm, sed & cultum & beneficia ejus, suis ex regionibus in cæteras terrarum partes diffusa esse, ingeniosè credendi sint & adumbrasse, & adumbrare voluisse: Idque eò magis, quò planius est, Silenum & ipsum, non tantùm secundum Pausaniam in Malea Laconum promontorio, aut secundum Catullum in Nysa Indiæ Civitate natum, sed & *Phrygem esse* creditum; Ita enim Tertullianus Libro de Anima citante Cl. Vaillantio de Col. p. 246. *Plerosque Victores etiam existimavit antiquitas, nedum Divos: ut Mercurium Ægyptium, cui Plato adsuevit; ut SILENUM PHRYGEM, cui à Pastoribus perducto ingentes aures suas Midas tradidit.* De his acquiesco, excepit ARCHÆOPHILUS, quid autem aversæ aquila? an hæc Jovis sit? At fulmine caret. Benè hoc observas, respondit DULODORUS, in Troadensium enim nummo sub Salonina percussa eadem sine fulmine aquila cippo insidet: Et in aliis, Caracallæ scilicet, non fulmen, sed caput bovis prehendit, quam actionem Cl. Vaillantius ad exemplum ejus, quæ partem victimæ auferens Antiochiæ condendæ augurium dedit, de urbe monitu Oraculi condita, rectè interpretatur. Et quid si ad conditum Ilium respiciendum sit, quam Ilus jubente Apolline eô locô condidisse, Scholiasti Lycophronis memoratur, quô bos errans procubuisset, unde & Cassandra Poetæ:

Ἄτης ἀπ' ἄκρων βουπλανοκτίστων λόφων
E summis Ates vaccivagis collibus

Suos sermones exorsa memoratur. Aquilæ hîc nulla mentio, inquit ARCHÆOPHILUS; At est Apollinis, respondit DULODORUS, cujus simulacrum: Et vaccæ, cujus caput in nummo Caracallæ Aquilæ conjungitur: ut proinde nec de hac dubitandum sit, quamvis authoribus non memoretur; Auguriorum enim nuncium esse, Callimachus cecinit, in Hymno Jovis. Mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Aquila ea in mentem venit, quæ Ganymedem Trois filium rapuit, sive is Jupiter ipse, sive Jovis armiger fuerit. Ad Numisma nostrum, respondit DULODORUS, imò & ad Numisma Saloninæ, hanc non rejicerem, cum nullo in his augurii mentio sit, adeoque ritè etiam ad Jovis cultum referri possit, cùm Hercei aram utique Priami cædes demonstret, & aliunde constet, Trojanorum Reges à Jove oriundos fuisse, id quod & Paris apud Coluthum memorat, ex genere Divino se Helenæ commendaturus:

Εἰμὶ, γύναι, Πριάμοιο πολυχρύσου φίλος υἱός.
Εἰμὶ δὲ Δαρδανίδης. ὁ δὲ Δάρδανος ἐκ Διὸς ἦεν.
Sum, o Mulier, dilectus filius Priami auro multo splendidi.
Sum certè Dardanides. Dardanus autem ex Jove erat oriundus

Succedunt

PER-

PERGAMENI, AN PERGÆI?
CUM ORIGINIBUS ORGIORUM BACCHI, ASIATICORUM, ET ARTIS SAGITTARIAE.



Nihil, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc in Numiſmate lego, præter Monogramma ΠΕΡ. indeque adhuc dubitem, annon ad Perinthios id pertineat? Similia, reſpondit DULODORUS, apud Seguinum, Laodiceæ percuſſa, & quidem nec ipſa, niſi tribus literis Laodicenſium initialibus notata, Urbem Thraciæ aperte excludunt: Excludit & Stella, noſtro in Numiſmate expreſſa; quid enim hanc niſi Orientis ſymbolum explices? At, inquit ARCHÆOPHILUS, ſimilia Numiſmata etiam Cretenſes ſignaverunt, viderique ea posſunt apud Goltzium in Inſulis: Cretenſes inquam, qui tamen ad Orientem non ſpectant. Si non ſpectant, reſpondit DULODORUS, minimùm inde deſcenderunt, quâ ratione quin origines ſuas & ipſi hoc ſchemate credi debeant conſecraſſe, vix videtur dubium. An Cretenſes ex Oriente? excepit ARCHÆOPHILUS. Non hoc tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & Orgiorum Bacchi, Aſiaticorumque, & artis Sagittariæ origines, hôc Numiſmatum ſchemate conſecrari, latius demonſtravi allegato Dialogô, quem *de Nummis Cretenſium ſerpentiferis* conſcripſi, quâ occaſione non hæc tantùm, ſed & Numiſmata Antonii, imò & notiſſimum illum, qui Antiquariorum manibus teritur, Auguſti Quinarium, ASIA RECEPTA inſcriptum, eodem pertinere, luculenter oſtendi, quòd ſcilicet Aſia ἰδιωτάτως, etiam antiquiſſimis temporibus, ea fuerit, quæ antea Epirus, poſtea autem Troja dicta eſt, eaque in regione, Strabone teſte, non tantùm Serpentigenæ vixerint, ſed etiam Bacchi Orgia cum Idæa Matre ſurrexerint, cujus aſſeclæ Idæi Dactyli artem ſagittariam invenére. Si hæc ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, opinio adeò futilis non erit; Ars enim Sagittaria ſub Corito & Arcu, Aſiatici, artis illius periti, ſub ſerpentibus Coritum amplexis, Orgia autem Bacchi ſub Ciſta myſtica, proſiliente Dracone, intra coronam hederaceam eleganter videbuntur expreſſa, indeque corruet & opinio eorum, qui in Numiſmatibus Cretenſium vel ad Herculem, artiſque in Creta peritiam, Bacchique eadem in Inſula cultum reſpexére. Connotari hæc poſſunt, reſpondit DULODORUS, quamvis non ſatisfaciant, cùm omninò ratio pandenda ſit, cur idem planè ſchema in Nummis Laodicenſium proſtet? Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, quòd hi à Cretenſibus vel deſcenderint vel artem ſagittarim didicerint? Contrarium, reſpondit DULODORUS, allegato in Dialogo meo oſtendi, idque idoneis Authorum veterum ſuffragiis munitum. Hîc pluribus Cramben

jam coctam repetere, instituti ratio prohibet, ipsum tamen Dialogum communicabo, ubi nostræ contemplationi finem imposuero. Cayco Hermoque superatis Mæoniam intramus. En

MÆONES
DIANAE EPHESIAE DEVOTI.



ΔΗΜΟC in Nummo legitur, inquit ARCHÆOPHILUS, quis autem dijudicet, an Mæonum intelligendus? an Romanus? Nullum Romani vestigium est, respondit DULODORUS, indeque potius pro Populo Mæonum decernerem, eôdem jure, quô & Harduinus in aliis non Romanum intellexit, sed eum apud quem Numisma percussum fuit; Quidni enim potuerit Populus hic liber fuisse? atque ita in Nummis, Romanæ potestatis insignibus abstinuisse? Libertatem sanè spirat elegantissimum hoc Populi caput, cujus gloriam simul & sub laureâ Tibi imaginari poteris. Gloria, excepit ARCHÆOPHILUS, nescio an tanta fuerit, cùm utique à Cyro devicti Mæones, cauponas deinde exercuerint, adeò ut potius voluptates sub hoc venustulo capitis ornatu contemplarer; Sed ad Dianam Ephesiam transeo, quam à Mæonibus cultam, nisi in hoc Nummo cernerem, sanè vix credidissem. Dianam Ephesiam, respondit DULODORUS, non Ephesi tantùm, sed & aliis in Asiæ urbibus in veneratione fuisse, ex Nummis indubium est. Exempla prostant apud Reverendissimum Harduinum in Geogr. ex quibus Philadelphenses Lydiæ producere placet, eò quod Lydos, non olim tantùm Mæones dictos ex Herodoto constat, sed quod idem nomen etiam posterioribus temporibus manserit, ut Numismata testantur. Inde Stephanus ΜΑΙΟΝΙΑ Η ΛΥΔΙΑ. Lydiæ Metropolis fuére Sardes. Ibi

SARDIANORUM
BACCHUS ET LEO.



Se offerunt. De Baccho, excepit ARCHÆOPHILUS, res ex iis clara est, quæ Tomo primo ad Sardianorum Numismata protulisti. Quid autem Leo? An

An hic expressus Matris Deûm in Lydia cultum demonstrat? an referendus ad Herculem Omphalæ servitio vacantem? Neutrum dixerim, respondit DULODORUS, potius ad eum censeo respiciendum, quem Meles, primus Sardium Rex, ex pellice sua natum, per muros Sardium circumtulisse, apud Herodotum L.1. c.84. legitur, quòd Telmisses quacunque murorum parte Leo circumlatus esset, ex eâ Sardes inexpugnabiles fore judicavissent. Inde sanè constat, Leonem hunc Sardibus fuisse, quod Trojæ Palladium: Ideoque & Crœsus cùm in Cyrum moturus Oracula consuluisset, inter cœtera donaria, quæ Delphos misit, eôdem memorante, etiam AUREUM LEONEM reposuit; Sed quis fatorum placita vitet? Meles per cæteram partem Leonem circumduxit, quacunque urbs oppugnari poterat. Qua autem ad Tmolum vergit, quod ibi inexpugnabilis esset, non circumduxit, eâque parte postea urbs à Persis capta atque direpta memoratur. Ad mare regressis Smyrna occurrit.

SMYRNÆI
AB AMAZONE DENOMINATI, NEMESES COLUERE.



Primum Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, caput Imperatricis cujusdam exhibere videtur, licet affictum cornucopiæ divinum ei jubar circumponat, quænam autem ea sit, cùm temporum injuria literas eripuerit, imò nec faciem integram reliquerit, nobis determinare difficile est. Literæ, respondit DULODORUS, licet integræ adhuc cernerentur, rem tamen non dilucidarent. Suppleri possunt ex Numismate Cimelii Reginæ Christinæ, quod Illustrissimus SPANHEMIUS de usu & præstant. p. 693. allegat, legitque in adversa, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. Ultimæ sanè literæ IAC. adhuc evidenter in nostro visuntur. Cujusnam autem Imperatricis hoc caput sit, nam hactenus tecum sentio, facilè patebit ex aversa, ubi Numisma ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ ΑCΙΑΡΧΟΥ *sub Marco Aurelio Tertio Asiarcha* percussum esse dicitur. Vixisse autem hunc Tertium Gordiani Junioris sive Pii tempore, ex alio Nummo palam est, quem è Gaza Regia Gallorum, Gordiani honori ab eodem Tertio Asiarcha Smyrnæ percusso, memorat Reverendissimus

 Hardui-

Harduinus: ut ita dubium non ſit, effigiem hanc Tranquillinæ eſſe, quam & capitis mundus prodit, in aliis hujus Cimel. El. eôdem planè modô conſpicuus, quô in propoſito viſitur. Sed quid Cornucopiæ à tergo affictum, excepit ARCHÆOPHILUS. Annon hoc potius Juliæ Mammeæ hoc caput tribuendum ſuadebit, quòd utique ſimile ejus apud Triſtanum T. II. p. 424. occurrat? Mammea apud Triſtanum, reſpondit DULODORUS, non Cornucopiæ tantùm, ſed & alas à tergo affictas habet, manu dextrâ fructus, folia & flores præfert, Lunaque & Iſidis inſigni conſpicua eſt. In noſtro Numiſmate, licet dextra aliquid prætuliſſe ex ſuperſtite ante faciem æris tumore colligi poſſit, alarum tamen, Lunæque & Iſidis Inſignium nulla omninò veſtigia apparent. Quid autem Cornucopiæ? perrexit ARCHÆOPHILUS, an Telluris hoc ſymbolum eſt? Triſtanus, reſpondit DULODORUS, in Nummo Mammeæ plurium Dearum inſignia coacervata agnoſcit, Iſidis ſcilicet, Lunæ, Dianæ, Naturæ, Concordiæ, Fœcunditatis, Minervæ, & Victoriæ, quod quidem in nummo Romæ percuſſo nec adſtruere nec refellere animus eſt; In noſtro autem, utpote Smyrnæ percuſſo, non dubitarem ad fortunam reſpicere, cùm utique hæc in tertio Numiſmate, imò & in quarto exhibeatur: In quarto inquam, quod & ipſum ſub Aſiarcha Tertio, & quidem Smyrnæis tertium Neocoris percuſſum eſt, non minus ac allegatum Gordiani; adeò ut hinc conſtet, Fortunæ habitu Tranquillinam ideò in nummo donatam eſſe, ut oſtenderetur Smyrnæos ab eâ omni rerum abundantiâ beari, eamque rurſus non minus ac Deas ſuas devoto cultu proſequi. Veriſimiliter hæc dicuntur, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem ad averſam habes? An adhuc ſimulacrum turritum Cybeles arbitraris? At Amazonis habitus clarior eſt, quàm ut dubitari poſſit. Amazonem non nego, reſpondit DULODORUS, ab hâc enim Urbem dictam in Theſauro Elect. Palatino abundè monſtravi; concurrere autem & Cybeles memoriam, quæ & ipſa Smyrnæ culta fuit, adeoque ex utraque Urbis genium concinnari, non video, cur non ſtatuere auſim? Urbis genium ſanè & Corona Turrita, & adjacens pedibus Navis Roſtrum deſignant, quorum illa Smyrnæorum munitiones, hoc autem navalem potentiam deſignat, eôdem modô, quô incolarum pietatem Patera dextræ, fortitudinem autem Pelta & Bipennis ſiniſtræ, denominationem ipſa Amazon. Denominationem, inquit ARCHÆOPHILUS, præter Tacitum etiam Strabo teſtatur: Σμύρνα δ' ἦν 'Αμάζων ἡ κατασχȣ̃σα τὴν Ἔφεσον. ἀφ' ἧς τȣ̃νομα καὶ τοῖς ἀνθρώποις καὶ τῇ πόλει. Quis autem de fortitudine incolarum, cùm tamen voluptatibus eos diffluxiſſe vel ex proverbio conſtet, quô *Mores Smyrnæi* pro corruptis ſumuntur? Imò verò, inquit DULODORUS, non pro corruptis, ſed pro opiparis, & tamen, ubi res poſtulat, fortitudine præſtantibus. Ita enim Ariſtides 'Απέλαυσαν δὴ τῆς μητροπόλεως ἀμφότερα, ἁβρότητας μὲν εἰς τὸ καθ' ἡμέραν, τολμάτατα δὲ εἰς τȣ̀ς πολέμȣς κρείττον ἢ πολλοῖς ἐρίσαι λυσιτελεῖν. ὥςε καὶ τῶν ποιητῶν ἤδη τισὶ Σμυρναῖον τρόπον τὸ τοιȣ̃τον αἱρῆσθαι. *Indies opiparè vivunt, ſed in bello ferociores ſunt, quam ut multis expediat ejus rei periculum facere: usque adeò ut nonnulli Poetæ SMYRNÆOS MORES tale ingenium vocent.* Sed quid multa? cum alius ejusdem Ariſtides locus, ex Orat. *de Concord. ad Aſiæ Civitates* depromptus, etiam ad pietatem & navalem potentiam ſatisfaciat. *Qui viderunt Smyrnam*, inquit, *Deorum opus eſſe dixerint. Aſpectus tum ex TERRA tum ex MARI excitare poſſit contentionem inter eos, qui appellunt & qui ſolvunt, utri majore perfundantur voluptate. Figura quadrata (ſi baſin in litore, verticem in plano ſuperioris lateris ponamus) ab agro & convallibus pedetentim per æqualia ſublata.*

Jam

Tam ornatus interior totus ex TEMPLIS, Lavacris, PORTUBUS, Curriculis conflatus est. Hæc facilè admiſerim, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm utique templum & in Numiſmate tertio proſtet, & *Naucratis* & Ναύαρχις fuerit, æquè ac Dora, & Sidon. Ita de Wilde, reſpondit DULODORUS, mihi autem ad navis roſtrum etiam Triremis meminiſſe licebit, quam ſacram Baccho per forum Smyrnæi circumtulére, in memoriam ſcilicet fortitudinis, quâ Bacchi ſacris deditı, Chiorum inſidias repulére, navibusque eorum potiti ſunt, quam rem in Smyrnæ elogio & ipſam Ariſtides memorat. Sed ad reliqua Numiſmata tranſimus. In omnibus, excepit ARCHÆOPHILUS, ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ *Sacer Senatus* celebratur, ſed dubium eſt an Smyrnenſium? an verò Romanorum? Romanorum, reſpondit DULODORUS, ſub horum enim poteſtate Smyrnæi erant, cum Numiſmata percuterent. At, inquit ARCHÆOPHILUS, Numiſmata percuſſa ſunt ſub Imperatoribus, quod vel ex Aſiarcho *Tertio* intelligo, qui ut ſuprà dictum, ſub Gordiano Pio floruit. Id nihil obeſt, reſpondit DULODORUS, nam etiam ſub Imperatoribus Senatus in honore fuit, & quidem tantô, ut Imperatores vel eligeret, vel ab exercitu electos tamen confirmaret, qui proinde, licet plerumque ad libitum agerent, haud rarò tamen Reipublicæ negotia ejus prudentiæ permiſére, adeò ut quod Polybius ait: *Senatum Romanum in præcipua veneratione apud Græcos & Reges Barbaros fuiſſe, quod ſolo ejus nutu res Romanas regi exiſtimarent*, id aliquo modô etiam de ſequentibus temporibus verum ſit: Quanquam peculiare hîc Smyrnæorum meritum ſubeat; Tacito enim referente L. 4. An. c. 15. Civitates Aſiæ certarunt de ſtatuendâ æde ſacra non Tiberio tantûm, & ejus Matri, ſed & *Senatui:* Et cap. 56. Eis in certamine prælati fuere *Smyrnæi.* Quô poſitô quid mirum ſi honorem ſub Tiberio Senatui habitum, etiam ſequentibus temporibus jactârint? Hoc quidem benè, repoſuit ARCHÆOPHILUS, mihi autem dubium adhuc movent Caput imberbe & Cornua, quæ in Numiſmate ſecundo & tertio clarè viſuntur. Quid enim? Annon juventus & cornua, effigiem hanc potius Baccho addicerent? Juventus, reſpondit DULODORUS, his in Nummis tanta non apparet. Potius vegetam ætatem, conſiliorumque maturitate radiantem diceres: Quanquam quod Bacchum præcipuâ veneratione Smyrnæi colerent, tàm abſurdum non videatur, ſi ejus effigie Senatum Romanum credantur donaſſe, adeòque non juventutem tantùm, ſed & cornua ei affinxiſſe; Sed notandum, quæ tu cornua arbitraris, cornua non eſſe, ſed comam in cirros contortam, & cornuum inſtar ſurrectam, de quibus, non minus ac de Cornubus ipſis, potentiæ ſcilicet ſymbolis, plura Magnus SPANHEMIUS de Uſu & præſt. p. 368. ſeqq. Sed ad figuras Numiſmatis ſecundi tranſeo, quas Patinus, & eum ſecutus Harduinus, Iſidem & Nemeſin ſtatuunt, & quidem Iſidem cum Siſtro. Siſtrum, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Cauſæum vidi, ſed pluribus id virgulis transverſis conſtat, hîc autem tantùm unicam video. Patinus, reſpondit DULODORUS, duas pinxit, quæ an verè in ejus nummis adfuerint, annon? nunc non diſquiro. Ad propoſitum autem omninò dicendum, quod ſiſtrum Patino viſum eſt, potius frænum eſſe, adeoque hanc figuram non tam Iſidem, quàm Nemeſin videri & ipſam; Non enim unam tantùm Nemeſin Smyrnæos coluiſſe, inde conſtat, quòd memorante Pauſaniâ in Achaicis, Alexandro NEMESES novam Smyrnam condere vel per ſomnium juſſerunt; quam hiſtoriam, Smyrnæi ſub M. Aurelio Numiſmate conſecrantes, duas Nemeſes Alexandro adſtantes finxêre, uti in Continuatione Tomi I. vidimus. Si Nemeſi frenum datum adſtruere poſſis,

poſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, jam non verebor in tuam ſententiam concedere. Id unico diſticho perfecero, reſpondit DULODORUS, quod tale in Anthologia legitur:

> Ἡ Νέμεσις προλέγω τῷ πήχεϊ τῷ τε χαλίνῳ
> Μήτ' ἄμετρὸν τι ποιεῖν μητ' ἀχάλινα λέγειν.
>
> *Innuit hoc Nemeſis Cubito FRÆNOque gerendis:*
> *Sit modus in rebus, dictaque frenum habeant.*

Cæterùm & Nemeſin hanc eſſe, etiam ex admota pectori dextra collegeris, quem Nemeſium geſtum Illuſtriſſimus SPANHEMIUS ad Callimachum rectè obſervat, quemque non hæc tantùm, ſed & altera in Numiſmate obtinet, non equidem Fræno, ſed Rota inſignis, ad mentem Claudiani contra Alaricum:

> *Sed Dea, quæ nimiis obſtat Rhamnuſia votis,*
> *Ingemuit, flexitque ROTAM:*

Quo ex loco ſimul colligas, manus pectori admoveri, ut indignatio adumbretur, quâ peccata hominum Nemeſis perſequitur: Rotam autem, quòd celeri vindictâ malitiam puniat. Rotam, inquit ARCHÆOPHILUS, alias & Fortunæ affictam novi, ut in Gemmis Gorlæi, alibique. Bene mones, reſpondit DULODORUS; Si enim ritè cenſeas, nec fortuna à Nemeſi diverſa eſt; Utraque præpotentes evertit, quô charactere Nemeſin deſcribit Libanius in Cimone, & latius Nonnus Dionyſ. Lib. 48. v. 378. ſeqq.

> Καὶ τροχὸς αὐτοκύλιςος ἔην παρὰ πόσσιν ἀνάσσης,
> Σημαίνων ὅτι πάντας ἀγήνορας εἰς πέδον ἕλκει,
> Ὑψόθεν εἰλυφόωσα δίκης ποινήτορι κύκλῳ
> Δαίμων πανδαμάτειρα βίȣ ςροφόωσα πορείην.
>
> *Et ROTA per ſe voluta PROPE PEDES REGINÆ*
> *Indicans, quod omnes fortes in terram trahit,*
> *Ex alto deorſum circumvolvens juſtitiæ ultore circulo,*
> *Dea omnium domitrix, vitæ verſans ſemitam.*

Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid ſi fortunam Tertii Numiſmatis in Templo expreſſam, imò & eam, quæ in quarto ſine gubernaculo quidem, ſed tamen cum Cornucopiæ proſtat: Quid, inquam, ſi has cum Nemeſibus easdem arbitrer? Id eò juſtius facies, reſpondit DULODORUS, quô apertius Lilius Gyraldus, qui plura de Nemeſibus collegit, & gubernaculum & pateram Nemeſi datam obſervat, aſſerere non dubitavit eſſe, *qui Nemeſin Fortunam faciant.* Quicquid ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, illud tamen mirum videtur, Nemeſes in his Nummis alatas non eſſe, cùm tamen Pauſanias apertè memoret, apud Smyrnæos, ubi maximâ cum religione coluntur, Nemeſis ſigna alas habuiſſe: An hoc ideò, quòd Numiſmata ante fuerint percuſſa, quàm alæ adderentur? Ita Patinus, reſpondit DULODORUS, cùm autem Numiſmata hæc circa Gordiani tempora percuſſa eſſe, ex cælatura ſimul & inſcriptione pateat, utique ratio ea evaneſcit. Ego potius quædam Nemeſium ſimulacra apud Smyrnæos alata fuiſſe crederem, reliqua autem ſine alis, ut & apud alias civitates: adeò ut poſteriora hæc in Nummis expreſſa, haud dubie utique ſtatuamus. Subit

HIERA-

HIERAPOLITARUM ET SMYRNENSIUM CONCORIA,



ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, excepit ARCHÆOPHILUS, in nummulo perquam ſanè exiguo, eleganti tamen, & juxta, niſi fallor, eximiè raro, circa caput adverſæ lego; At ubi Smyrnæi? ubi utrorumque ΟΜΟΝΟΙΑ, ſive Concordia? In averſa, reſpondit DULODORUS; Ibi enim literæ ΖΜΥ Smyrnæos deſignant, non minus ac in nummo Claudii apud Triſtanum. Si de ΟΜΟΝΟΙΑ ſive Concordia quæras, eam non ſemper verbo exprimi, ſed expreſſis interdum urbium nominibus ſubintelligi, exemplis apud Harduinum obviis deduci poteſt: ſic eô ſenſu ΜΕΙΛΗCΙΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ, & ΚΩΩΝ ΜΕΙΛΗCΙΩΝ in Nummis Antonini Pii, in Cimelio Regio Gallorum legitur. De Hierapoli & Smyrna ſuffragantur Numiſmata Otaciliæ Severæ, & Philippi junioris apud eundem Harduinum, ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ ΚΑΙ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ inſcripta: adeò ut inde forſan & Numiſma noſtrum iisdem temporibus percuſſum, haud abſurdè contendas. Hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, eò facilius admiſerim, quò planior eô poſitô & capitis hoc in nummulo expreſſi explicatio ſurgit; Quid enim ſi Ottaciliam Severam eô pingi arbitrer? Otacilia Severa, reſpondit DULODORUS, aliô capitis ornatu fuit. Mihi caput hoc Apollinis videtur; hunc enim & ipſum capillos interdum religiſſe, & in nodum collegiſſe, inter alia etiam ex nummo ΠΕΛΛΗΣ apud Goltzium diſcimus. Apollinem certè determinat averſæ lyra, quamvis ſub hâc etiam urbium Concordia eleganter credi poſſit adumbrata. Quid autem literæ ſequentes? inquit ARCHÆOPHILUS, an ΕΤΟΥ. Α *annum primum* ab initâ concordiâ deſignant? Ita auguror, reſpondit DULODORUS, neque enim, ut aliter explices, figuræ ſuadent. Figuras excepit ARCHÆOPHILUS, ad Apollinem retuliſti: An autem Apollo Hierapoli cultus ſit? Id quidem adhuc obſcurum eſt. Probat id Damaſcius apud Phocium, reſpondit DULODORUS, cujus locum & Harduinus ad aliud Hierapolitarum Numiſma his verbis citat: ὅτι ἐν Ἱεραπόλει τῆς Φρυγίας ἱερὸν ἦν Ἀπόλλωνος &c. quibus ex verbis ſimul patet, ad Hierapolin Phrygiæ, & non Syriæ, Numiſma referendum eſſe. Ciliciam intramus. Vocat

TARSUS
CULTUM
JOVIS ET HERCULIS
TESTATA.



De Jove & Hercule, in Numiſmate hoc expreſſis, infit ARCHÆOPHILUS, non dubito. Alterius ſtatua, & quidem ſedentis, alterius inſigne, clava ſcilicet, hos apertè teſtantur. Cùm autem clava hæc intra ſertum expreſſa, & lemniſco revincta ſit: cùmque Jupiter non pateram, ſed victoriolam præferat, omninò arbitrer ad victoriam quandam reſpiciendum. Conjectura fortaſſis vana non eſt, reſpondit DULODORUS, & quid ſi ad Victoriam Alexandri Regis Syriæ typos referas, non contra Demetrium tantùm, ſed & contra Duces proprios, Antipatrum, Cleonæum, & Æropum, quos Cleopatra ad rebellionem concitaverat? Literæ HNP juxta clavam expreſſæ, tale quid ſuadere poterunt, quæ ſi numerales ſint, utique annum Seleucidarum 188. conficiunt, quô anno Alexander, cùm jam ante biennium Demetrium viciſſet, duces ſuos Laodiceæ ſe tuentes expugnavit; Quanquam Alexander eô Herculi diſſimilis fuerit, quòd captis pepercit, cùm ille quos aggreſſus eſt, nonniſi mortuos dimiſerit. Clementiam laudas, inquit ARCHÆOPHILUS, quam fortè & Corona indicat; Corona enim non laurea, ſed ut arbitror, quercea eſt, quæ & apud Romanos Civem ſervatum denotavit. Alexander, reſpondit DULODORUS, in his non tam Cives, quàm hoſtes ſervavit. Adde quòd Corona non quercea, ſed populea videatur, quæ Herculi utique propria. Cæterùm, ut verum fatear, ſi Tarſenſes ad Victorias Alexandri reſpexére, id typo fecerint ſatis obſcuro & dubio, quemque versâ fortunâ etiam aliis Regibus accommodare potuiſſent, ut proinde tutius ſit in cultu Deorum ſubſiſtere, quàm incertis conjecturis vagari. At, inquit ARCHÆOPHILUS, unde cultum probabis? Neque enim vel de Jove, vel de Hercule Tarſi cultis me hactenus legiſſe memini. De Hercule, reſpondit DULODORUS, ſi Authores deſint, teſtabitur Numiſma Tarſenſium aliud à Card. Noris, in tractatu nobiliſſimo de Epochis Syro-Macedonum ex Cimeliarchio Magni Ducis Etruriæ memoratum, in quo Hercules dextra clavam, ſiniſtra exuvias Leonis Draconi tortuoſo Heſperidum cuſtodi opponit: De Jove autem eſt locus illuſtriſſimus apud Euſtath. in Dionyſium ad v. 868. ubi inter cœteras Tarſi Etymologias Ἐρατοσθένης, inquit φησι τὴν κλῆσιν τῇ πόλει εἶναι ἀπὸ Διὸς Τερσίου τοῦ ἐκεῖ καλουμένου, quo ex locô apertum eſt, non tantùm Jovem Tarſi cultum, ſed & Τέρσιον ibidem cognominatum, imò & ipſam urbem quibuſdam ab eô nomen accepiſſe, viſam eſſe, quod utique Numiſmati noſtro vel unicum ſuffecerit. Sequitur alia Ciliciæ urbs, cujus incolæ fuére

MOPSE-

MOPSEATÆ

LIBERI, ET SUIS LEGIBUS VIVENTES, A MOPSI FOCO DICTI, ET JOVIS CULTORES.



Mopſeatas dictos ἀπὸ τῆς Μόψȣ ἑςίας, *à Mopſi foco*, oppido videlicet Ciliciæ, docet Stephanus: Μόψȣ ἑςία, inquit Κιλικίας, ἐπὶ τῷ πυράμῳ ποταμῷ ἀπὸ Μόψȣ τȣ̃ μαντέως, ὁ πολίτης ΜΟΨΕΑΤΗΣ, quod vocabulum in noſtro nummo legitur. Non vocabulum tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed niſi fallor & Etymi ratio hîc exprimitur, eaque in foco aræ impoſito, quâ ratione & Veſtam Græcis Ἑςίαν dictam, & ignis ſuper aram ardentis ſchemate cultam etiam Romanis novimus, indeque Ovidius:

Nec Tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.

Si Veſtæ ſimulacrum in nummo eſſet, excepit DULODORUS, lubens utique conjecturæ tuæ ſubſcriberem; Cùm Jovis imago ſit, potius ad hujus cultum reſpexerim. Imò, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ſed Εφεςίȣ, quô cognomine Græcis cultum, ex Sophocle in Ajace flagell. conſtat. Quicquid demum ſit, Jovem & in Cilicia cultum, allato modò Tarſenſium Numiſmate utique indubium eſt. Altius aſcendere poteris, inquit DULODORUS, ad Argivos reſpiciendo, apud quos Jovem in veneratione fuiſſe, ex Pauſania diſcimus. Quid Argivi ad Mopſeatas? excepit ARCHÆOPHILUS. Id quod Metropolis ad Coloniam, reſpondit DULODORUS; Mopſus enim Mopſeatarum conditor, ut Cicero Lib. 1. de Divin. c. 40. ait, Argivorum Rex fuit: *Amphilochus* inquit *& Mopſus Argivorum Reges fuerunt, ſed iidem augures, iique urbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt.* Hæc cum ita ſint, quid mirum ſi & cultum Deorum ſimul invexerint? Nihil video obſtare, inquit ARCHÆOPHILUS, & jam etiam mihi intelligere videor, cur Mopſeatæ urbs ſacra, ſive ἱερὰ in Numiſmate vocetur, eâdem ſcilicet ratione, quâ & Tyrum Maximinus apud Euſebium, Θεῶν ἀθανάτων ἵδρυμα καὶ οἰκητήριον, *Deorum immortalium ſedem & domicilium* vocavit. Vulgata jam ſunt, inquit DULODORUS, in Nummis ejusmodi encomia. Et noſtra Μόψȣ ἑςία, quæ hic ἱερὰ & αὐτόνομος dicitur, eidem Plinio *Mopſus* & *Libera* audit. *Mopſos Liberum Pyramo amni impoſitum.* Sed plenius ejus titulos videas in Inſcriptione Gruteriana p. CCLV. quam etiam Harduinus protulit, Adriani honori poſitam, ubi inter alia:

ΣΩΤΗΡΙ ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΜΟΨΟΥ ΕΣΤΙΑΣ ΤΗΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΙΕΡΑΣ, ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑVΤΟΝΟΜΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΥΣ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΥ ΡΩΜΑΙΩΝ &c.

Syriam aſcendimus. Trahit, nec invitos, Urbs haud poſtrema ejus tractus

APAMEA



Duo hæc Apamenſium Numiſmata eò rariora cenſenda ſunt, quò plura in eo occurrunt nobis conſideranda. In primo caput Palladis, & in averſa Victoria: In ſecundo caput Bacchi, & in averſa Thyrſus, non vulgari figura, quâ una cuſpis foliis involuta cernitur, ſed ſingulari planè, utrinque cuſpide munita, & per totam haſtam foliis intecta. Rarum hoc eſt, fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, & dubito an ex Authoribus lux affulgeat? Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm tamen Thyrſum duplici cuſpide etiam in Marmore Manuſcripti Pighiani videamus, eumque Δίθυρσον dictum, ex Epigr. L. VI. c. V. calamo Agathii Scholaſtici doceamur:

Πορφυρὶς ἡ Κνιδίη τὰ ϛέμματα, καὶ τὸ ΔΙΘΥΡΣΟΝ
    Τȣ̃το τὸ λογχωτὸν καὶ τὸ περισφύριον,
Οἷς ἀνέδην βάκχευεν ὅτ' ἐς Διόνυσον ἐφοίτα,
    Κισσῷ τὴν ϛέρνοις νηβρίδ' ἀναπτομένη
Ἁβροκόμη Διόνυσε πρὸ παϛάδος ἠώρησεν
    Ταῦτα τὰ τȣ̃ κάλλȣς κόσμια καὶ μανίης.

Porphyris Cnidia coronas, & DUPLICEM THYRSUM
    Hunc lanceæ ſimilem, & ornamentum circa pedem,
Quibus licenter bacchabatur, cum in Bacchum curreret
    Hedera pellem cervinam pectori accommodans,
Lenicome Bacche, pro thalamo appendit
    Hæc pulchritudinis ornamenta & furoris.

Hæc ad Thyrſum benè, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed velim ſcire, ad quam Apameam Numiſmata pertineant? Cùm enim quatuor fuerint, ea res mihi admodum dubia videtur. Si me audias, reſpondit DULODORUS, ad Syriacam reſpexeris, quòd hæc ΙΕΡΑ καὶ ΑΣΥΛΟΣ etiam in alio, apud Cardinalem Noris vocetur, in eôque Elephas depictus ſit, quòd hanc ad Apameam Elephantos ſuos Reges Syriæ alere ſolerent, id quod Eminentiſſimus Author ibidem, pag. ſcilicet 81. de Epochis Syro Macedonum Ed. Lipſ. pluribus docet. Ego, repoſuit ARCHÆOPHILUS, ſi non utrumque, tamen ſecundum Numiſma potius ad Apameam Phrygiæ referendum cenſuiſſem, eò quod Bacchum in Phrygia cultum, in vulgus conſtat. At etiam in Syria cultum, reſpondit DULODORUS, jamdudum Cel. Vaillantius obſervavit, & demonſtratur ex Luciano de Dea Syria, in tantum, ut & Antiochus noviſſimus Antiochi Epiphanis filius ab eô cognomentum ſumſerit, ipſeque Bacchus videri voluerit: ut taceam, Strabone teſte Baccho totam Aſiam ad Indiam usque conſecratam fuiſſe: taceam & Vini in Syria culturam, cujus teſtis eſſe poteſt Laodicea Apamiæ noſtræ vicina, de qua Geographus: Λαοδίκεια χῶρον ἔχȣσα

πολύοι-

πολύοινον & iterum, τὸ ὑπερκείμενον τῆς πόλεως ὄρος πᾶν κατάμπελον ἔχουσα μέχρι σχεδὸν τι τῶν κορυφῶν. αἱ δὲ κορυφαὶ τῆς μὲν Λαοδικείας πολὺ ἄπωθεν εἰσὶν, ἠρέμα ἀπ' αὐτῆς καὶ κατ' ὀλίγον ἀνακλινόμεναι. τῆς Απαμείας δ' ὑπερκύπτουσιν ἐπ' ὄρθιον ὕψος ἀνατεταμέναι. *Laodicea agrum habet vini feraciſſimum*; Et iterum: *totum ſupra ſe montem habet vineis plenum usque ad vertices ferè. Hi à Laodicea longè abſunt paulatim ab ea aſſurgentes. Apameæ verò imminent in rectam altitudinem erecti.* Hæc Strabonis, inquit ARCHÆOPHILUS, non tantùm de Laodicea, ſed & de ipſa Apamea teſtantur, ut proinde de his plura non deſiderem. Potius ad primum Numiſma quæſierim, Caput Palladis & in aversâ Victoriam gradientem quò referas? Caput Palladis, reſpondit DULODORUS, vulgarem hujus Deæ in Syria cultum teſtatur, eôdem môdo, quô & in Numiſmatibus Regum Syriæ, qui ab Alexandro M. & Macedonia illam invexére, uti jam dudum monuit Celeb. Vaillantius de Regibus Syriæ. Quò Victoria referenda ſit, ſi non ex adſcriptis literis numeralibus pateat, haud facilè dixerim. Literæ numerales, reſpondit ARCHÆOPHILUS, in utroque nummo proſtant, ſed longo annorum numero diſtantes. In primo ΔK. viſuntur quæ annum 24. indicant, in ſecundo B q Σ quæ 292. deſignant, adeò ut ſi unius æræ hæc ſint, nummorum ætas 268. annis à ſe invicem differat. Ut unius æræ numeri hi credantur, reſpondit DULODORUS, non video quid obſtet; Licet enim Reges Syriæ anno 250. ut Vaillantius habet, defecerint, Epocham tamen Apamenſes non intermiſiſſe inde conſtat, quòd citante Eminent. Card. Noris, Chronici Alexandrini author Pulcheriam obiiſſe memorat, *anno Syro-Macedonum ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio*. Hæc facilè cedo, inquit ARCHÆOPHILUS, at probandum, Apamenſes ærâ Seleucidarum aut Syro Macedonum eſſe uſos? Id dubium non eſt, reſpondit DULODORUS. Latius adſtruxit allegatus Eminentiſſimus author, & quidem alio Chronici Alexandrini Loco: *Ab his Conſulibus*, inquit *numerantur anni Syro-Macedonum ſive Apamenorum ſecundum paſchalia*, adeò ut dubium non videatur, nec aliam in Nummis expreſſam eſſe: Quô poſitô primum Numiſma ſub Seleuco conditore adhuc percuſſum erit, Victoriaque proculdubio ad ejusdem gloriam pertinebit: Alterum autem Numiſma ad annum V. C. 734. projicietur, ſub Auguſto ſcilicet percuſſum, quô tempore Aſiam adiit, ſignaque parthica & captivos recepit. Proſteriorem numerum, inquit ARCHÆOPHILUS, de æra Syriaca forſan intellexerim, priorem autem neſcio an poſſim, cùm utique Seleucus Apameam non minus ac alias in Aſia urbes, anno æræ Syro Macedonum circiter vigeſimo condiderit, uti Vaillantius habet, quô poſitô annô urbis quarto Numiſma ſignatum fuerit, quod utique vix credibile eſt, præſertim cum jam IEPA & ACYΛOC in eô vocetur. Hæc cum ita ſint, mihi potius & prius Numiſma Auguſti temporibus videtur addicendum, æraque expreſſa non minus ac Victoria de Victoriâ Actiacâ ſumendæ. Conjecturam firmat eadem æra etiam ab aliis Aſiæ urbibus uſurpata. Si huc reſpicias, inquit DULODORUS, equidem haud magnoperè reſtitero, quanquam non videam, quid obſtet, ut etiam Syriacam æram intelligamus; proculdubio enim Apamea elogium & jus Sacræ & Aſyli ſi non ſtatim cum nativitate ſua, tamen paulò poſt, & nominatim accepit, cùm Seleucus Nicator, ut Joſephus habet, Judæis & conditis à ſe per Aſiam & inferiorem Syriam urbibus jus civitatis dedit, adeò ut mirum non ſit, ſi Apamea anno 24. Epochæ Syro-Macedonum jam ἱερὰ καὶ Ἄσυλος vocetur. Sed de his qui certiora docuerit, facilè fidem inveniet. Ad mare regreſſis occurrit

BERYTI
CUM BEDDORO FRATERNITAS.



Numiſma ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ inſcriptum, quale & propoſitum, memorat Rev. Harduinus; Sed adjectæ ibi literæ Η ΤΑ. ad *Heracleam* & *Tarſum* ei referuntur: Quæ autem ſit ea Hercalea, haud proclive putat augurari. In noſtro Monogrammata ſunt, ex quibus an certi quid elici poſſit, videbimus. Nihil ſanè de Tarſo, nihil de Heraclea. Inferius ex B. H & Υ. compoſitum rem ad Berytum videtur referre, latente litera P. ſub litera B. De hoc ego non dubitem, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem ſuperius? annon & in hoc B. H. & P. eandem urbem deſignabunt? Non dixerim, reſpondit DULODORUS, potius in tractu vicino aliqua nobis inveſtiganda, quæ literas has initiales præferat. De Beroë cogitarem, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi vel ſecunda litera obſtaret, vel etiam cùm Beryto eandem noſſem, ex Nonno Dionyſ. 41. v. 364.

Πρωτοφανὴς Βερόη πέλε σύγχρονος ἥλικι κόσμῳ,
Νύμφης ὀψιγόνοιο φερώνυμος, ἣν μεγανάςαι
Υἱέες Αυσονίων ὑπατήια φέγγεα Ρώμως
Βηρυτὸν καλέȣσιν, ἐπεὶ λιβάνῳ πέσε γείτων.

Prima apparens Beroë fuit coæva æquali mundo,
Nymphæ ſerò genitæ nomen habens, quam exules
Filii Auſoniorum eximia lumina Romæ
Berytum appellant, poſtquam Libano cecidit vicina.

Hæc, inquit DULODORUS, valeant, cùm & Beroë Nympha in Berytenſium nummis ſuffragari videatur: Fuiſſe tamen & aliam Beroën in Syria, quæ à Seleuco Nicatore condita, poſteaque Aleppo dicta eſt, omninò eſt monendum, & fateor, niſi ſecunda litera obſtaret, ad hanc libenter reſpicerem, cùm utique nominum affinitas etiam initæ fraternitatis rationem panderet; Sed mihi de tertia in Monogrammate litera dubium eſt, cum utique ſi P. ea ſit, inverſa ſit oporteat: quanquam ne P. inverſum ſtatuam, anguli obſtent, quibus potius literam Δ videtur exprimere, quô poſitô ingenuè fateor, me neſcire, quò reſpiciendum ſit? Neque enim ad ΒΗΔΔΩΡΩ poteris, Civitatem Judææ, quam Ptolemæus memorat, niſi Beryti nummum percuſſum ſtatuas, ideoque Jovis & fulminis inſignitum memoriâ. Quicquid credas, minimum indubium erit, ad Tractum Phœniciæ regionumque vicinarum ejuſmodi Numiſmata pertinere, & cùm ſupra Phœniciam in Syria etiam ΗΡΑΚΛΕΑ eidem Ptolemæo memoretur, inde & Numiſmati Harduini lucem exſurgere; Nec opus eſſe, vel ad Thracicam, vel ad Ponticam, Caricam, aut Æolicam abire. De his, inquit ARCHÆOPHILUS, ego ſollicitus non ſum, potius de Jove & fulmine

mine quæſierim; neque enim Beryti Jovem in veneratione fuiſſe memini. Et ubi non fuerit Jupiter? repoſuit DULODORUS. Cùm Berytus non Neptunum tantùm, ſed & Scrapidem, & Herculem, & Palladem, & Bacchum coluerit, ut ex aliis nummis cônſtat, quidni coluerit & Jovem? Sed hîc dum contradicis, alia adhuc conjectura ſubit: An ſcilicet ſub hoc Jove & fulmine non tertia civitas lateat, adeoque Numiſma ne quidem Beryti, ſed omninò Seleuciæ percuſſum ſit, in memoriam fraternitatis cum Beryto & Beddoro initæ? Fulmen Seleucienſium ſymbolum tantùm non proprium in nummis eſt, adeò ut ſufficiens conjecturæ meæ inde fulcrum exurgat; Sed hæc ut ſe habeant, me felicior explanabit. Ad alia transeo, inquit ARCHÆOPHILUS, præter monogrammata adhuc literas ΕΞΡ video. Numerales ſunt, inquit DULODORUS, unoque tantùm annô ab Harduini Numiſmate diſtant, annum 165. deſignantes, cum in illo ΔΞΡ 164. legantur. An æræ Seleucidarum? excepit ARCHÆOPHILUS, an particularis cujusdam? Si Harduinum ſequaris, reſpondit DULODORUS, particularis arbitraberis; Ille enim annum deſignari conjicit, ex quô vel Civitatis vel Libertatis jus oppido ei conceſſum, vel Metropoleos prærogativa, vel denique, quod verius putat, à civitatis ſtatu in meliorem formam revocato per Athenodorum Auguſti principatu, ut Strabo refert lib. XIV. p. 674. Hæc, infit ARCHÆOPHILUS, annon ſolidè? Non arbitror, reſpondit DULODORUS, cùm enim Monogrammata in Numiſmate noſtro expreſſa, non Tarſum & Heracleam, ſed alias quasdam urbes deſignent, adjectusque annorum numerus utrinque ferè idem ſit, utique haud difficulter judicaveris, generaliorem aliquam Æram intelligendam, ut ſcilicet diverſæ urbes eam ex æquo uſurpare potuerint, & quam ſi non Seleucidarum? adeò ut Numiſmata hæc ſub Alexandro Rege Syriæ percuſſa ritè ſtatuamus, & quidem eô tempore, quô in ſegnitiem prolapſus Demetrio contra ſe inſurgendi anſam præbuit. Et quidni præbuerit & Civitatibus, ut fraternitatibus ſibi proſpicerent? utilitatemque mutuam promoverent? Hoc ſanè eſt, quod Dio Pruſæus & Ariſtides locis ab Harduino allegatis intendunt, quorum alter: Νῦν χρῆ πάσας τὰς πόλεις ἀδελφὰς ἀλλήλαις ὑπολαμβάνειν: Et alter ad Nicomedienſes: ὄφελον ἐξῆν καὶ τὸν Ἐφεσίων ΔΗΜΟΝ ποιήσαθαι ἀδελφὸν ὑμῶν. Et iterum: ἐν δε ταῖς πόλεσι γενομένη ἀυτη ἡ ἀδελφότης ȣχὶ καὶ μεῖζον ἀγαθὸν ἔσαι καὶ καλὸν καὶ πλȣσιώτερον? Subit

TYRUS
CONDITOREM HERCULEM CELEBRANS.



Quatuor hîc Tyri Numiſmata produco, *Primum* argenteum & maximi moduli, quale & ex Gaza Medicea vulgavit Eminentiſſ. Card. Noris de Epoch. Syro-Macedonum: *Reliqua* ærea, ſed diverſis annorum numeris notata: *Omnia* Hercu-

Herculis in adversa caput, in aversa autem clavam cum imposito intra coronam monogrammate Tyri, præferentia. An caput laureatum, inquit ARCHÆOPHILUS, Herculis est? Est, inquit DULODORUS; Neque miraberis, cùm Hercules Tyriorum cùm Sole idem fuerit, ignea autem lauri natura Solem adumbret, notante de Wilde in selectis p. 134. nisi potius coronam oleaginam hanc arbitreris, respiciasque ad Tyri origines, quas & aquila & navis in memoriam revocant; Ex Nonno enim, Lib. XL. ut Hercules navium struendarum Tyriis author fuit, ita & aquila & olea fuére indicium loci, quo urbs ædificanda foret. At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon Aquila ad Jovem pertinet? aut ànnon Regum Ægyptiorum symbolum est? Ad Reges Ægyptios, respondit DULODORUS, hanc aquilam refert Vaillantius, sed Eminentiss. Norisius mavult ad origines abire; Ita nec Jovem excluseris, cùm aquilam eam Jovi & Neptuno immolatam, idem Poeta cecinerit:

Αετὸν αὐτοκέλευθον ἐδαιτρέυσαντο μαχαίρῃ
Ζηνὶ καὶ ὑγρομέδοντι.
Aquilam per se incitatam mactabant Machærâ
Jovi & Neptuno.

Hæc cùm ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, mirari subit, cur aquila hæc ramum palmæ, & non Oleæ præferat. An hoc ut Victoriæ maritimæ connotarentur? Fortassis, respondit DULODORUS, ideò enim videri potest & navis rostro insistere: Quanquam quòd Phœniciæ palma symbolum, Tyrus autem Phœniciæ metropolis fuerit, & inde ratio petenda sit. Cæterùm cum Eminent. Card. Noris notaverit, Numisma Musei Medicei Josepho memorari, & quatuor drachmas Attica s pendere, omninò & de nostro observandum, circulo eminentiore inclusum Drachmasque circiter sex suo pondere æquare: adeò ut inde constet, non tantùm quatuor, sed & plurium Drachmarum nummos Tyri fuisse. Facile assentior, inquit ARCHÆOPHILUS, imò nec de titulis ΙΕΡΑΣ καὶ ΑΣΥΛΟΥ dubitarem, cum audierim quid Maximinus apud Eusebium de ea scripserit, & ex Justino notum sit, Demetrium II. ab Alexandro II. circa Damascum victum, Tyrum petiisse *religione templi se defensurum.* Quid autem literæ reliquæ, nam video adhuc ante aquilam L. H. & post eum quasi à palma dependentem M? Priores illæ, respondit DULODORUS, indubiè numerales sunt, an autem cum posteriore hac sint conjungendæ, non omninò perspicio. Si conjungas designabitur annus 48. si non, annus 8. In nummo Mediceo sunt ante aquilam literæ EK annum XXV. designantes, indeque quòd à tergo monogramma sit, imò & in nostro posterior illa Monogrammati, quàm literæ M. proprior sit, nescio an errem, si anno 8. Numisma percussum statuam: Cùmque Epocham hanc anno V. C. 628. incepisse, docente eôdem Eminentissimo Card. certum sit, consequens est, Numerum in Numismate expressum cum anno V. C. 636. convenire, Seleucidarum scilicet, 194. qui in Nummo Antiochi Επιφάνȣς apud Vaillantium occurrit, adeò ut hujus tempore Numisma percussum tutò afferas, licet is annus, proculdubio quia pacificus, historici nihil reliquerit. Ad reliqua transeo, inquit ARCHÆOPHILUS, In his corona est, an quercea? Ea ipsa, respondit DULODORUS, & quidem suffragante Illustrissimo SPANHEMIO de usu & pr. Num. p. 873. quanquam Lucas Holstenius populeam agnoscat, quæ quidem utpote Herculi dicata concinnior foret; Sed ut verum fatear, figura foliorum Quernæ propior est, indeque nec dubium videtur, quin Romanorum honori ea signata sit, cum utique expressi in his anni, sub Imperatoribus hæc Numismata per-

percussa, evidenter arguant: Ita in *Secundo* IΣ sive 210. incidit in annum V. C. 883. quô Domitianus Romæ triumphavit: In *Tertio*, quod cum ultimo hîc intersero, angustiâ spacii supra exclusum,



Literæ numerales AMΣ sive 241. in annum V. C. 869. pertinguunt, quô Trajanus in Oriente bellum contra Armenios & Parthos gessit: In *Quarto* ΑΠΣ sive 281. in annum V. C. 909. quo M. Aurelius cum fratre Vero imperitavit. Præter autem has literas numerales, cernuntur adhuc literæ Phœnicicæ, quibus explicandis me imparem lubens fateor. Nec hoc desidero, reposuit ARCHÆOPHILUS, potiùs cùm sub Imperatoribus hos Nummos percussos, ex hactenus dictis jam pateat, velim scire, annon & sub imagine Herculis Tyrii, imagines Imperatorum lateant? Id conjectura foret, respondit DULODORUS, nescio an admittenda; licet enim in secundo & tertio, simile quid locum habere possit, non tamen potest in quarto, cùm constet, M. Aurelium & Verum non imberbes, sed prolixè barbatos fuisse: Potius Monogramma Tyriorum Te velim inspicere, Clavæ Herculeæ impositum, Titulumque ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC, qui in posterioribus Nummis legitur. Strabonis testimonium hîc in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS, is enim, cùm de Sidone dixisset, Tyrumque egregiè laudasset, ὁπότεραν inquit, δ' ἄντις εἴποι Μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐςί. *Controversum manet inter utrasque, quænam earum Phœnicum METROPOLIS dici debeat.* Controversiam illam, respondit DULODORUS, Nummi decidunt. Tyrum jam sub primis Imperatoribus *Metropolim* dictam, ex similibus inter Medicea Cimelia asservatis, probat Eminentiss. Card. Noris, cùm tamen Sidon eo honore, usque ad Elagabalum abstinuerit. Ex Oriente simul cum Phœnicibus in ultimum Maris Mediterranei angulum descendimus. Trahit nos Phœnicum Colonia

CARTEJA,
PISCIUM CAPTURA, ET NEPTUNI CULTU NOBILIS.



An Carteja eadem, quæ Tartessus? inquit ARCHÆOPHILUS. Ita quibus-


busdam visum est, respondit DULODORUS, si Strabonem & Plinium audis; sed notandum, Tartessum ad flumen Bætin sitam fuisse, ubi Cartejam non collocares; Hæc enim ad Calpen in ipsis freti Gaditani angustiis jacebat, id quod latius probant Bochartus in suo Phaleg, & Salmasius ad Solinum. Ubicunque fuerit, inquit ARCHÆOPHILUS, munita necesse est fuerit, id enim caput turritum indicat. Si Bocharto fides, respondit DULODORUS, Cartha Linguâ Phœnicum *Urbem* denotat, indeque non ad munitiones tantùm, sed etiam ad Etymon Cartejæ hoc caput turritum referrem; Cartejam enim à *Cartha* dictam, idem Author verisimiliter conjecit. Quid autem, excepit ARCHÆOPHILUS, in aversa Numismatis primi? an Ligonem vibrans, ut metalla eruat? Hæc sententia, respondit DULODORUS, mihi aliquando placuit, sed nunc eam deserere non pudet; Piscatorem enim, hamo piscem extrahentem agnosco, idque cum Luca Holstenio, & ex Historia; Piscosam enim fuisse Cartejam, imò etiam Thynnorum capturâ nobilem, ex Strabone docemur. Ita ille ex interpretatione Xylandri: *Apud Cartejam,* inquit, *Ceryces sive Buccina, & Purpuræ inveniri dicuntur, decem cotylas implentes: & in exterioribus locis Murænæ, Congrique, qui appendant XXC. minas, Polypi qui talentum: bicubitates Teuthides, aliique id genus pisces. Huc etiam plurimi THYNNI compelluntur, à calore externi Maris antiquo pingues & crassi.* Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, de piscibus marinis testantur, cùm autem in Numismate

Lino Piscator & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces

videatur, qui piscandi modus marinis non convenit, dubitari utique potest, an locus huc quadret? Nihil dubii est, respondit DULODORUS, idem enim Strabo in sequentibus asserit, *hoc animal*, Thynnos scilicet, *propè terram in mari degere*, & *glande delectari, cùmque glandium copia nascitur, multos etiam nasci Thynnos*, hôc positô quid mirum, si scopulo imminens Piscator calamo salientem ducat? Acquiesco, subjecit ARCHÆOPHILUS, non tantùm de Piscatore, sed & de Neptuno, cùm exemplo Corcyræorum apud Pausaniam in Phocicis constet, capturam Thynnorum Neptuni beneficium esse, & quis de Neptuno dubitet in urbe maritima culto? Hoc equidem benè, respondit DULODORUS, placet tamen etiam, ad Phœnicum origines respicere. Phœnices enim Cartejæ conditores fuisse, vel ex nomine constat. Phœnices autem à Phœnice dictos esse, eô videlicet, qui Neptuni filius fuit, Stephanus tradit sub Φοινίκη. Ὁ Φοίνιξ, inquit, ἦν Αγήνορος παῖς ἢ Ποσειδῶνος καὶ λιβύης. *Phœnix erat Agenoris filius, vel NEPTUNI & Libyæ.* His ita deductis, Congerrones Nostri ad Prandium abiere, eô finitô ad Antiquitatis Gazas reversuri; Sed ecce! dum amicè consident, nunciatur, in Theatro Electorali, lætitiæ Populi Venationem adornari. Perculit ARCHÆOPHILUM rei novitas, incessitque cupido eam præsenti oculo lustrandi; petitâ igitur à DULODORO veniâ, & ut postero die ad constitutum redire liceret, surrexit & votis suis fruturus abiit.

Nunc






Unc mihi Septenis videor consistere Clivis,
Priscasque Æneadum, miranda palatia, moles
Lustrare, & reduces post secula cernere ludos!

Exclamavit ARCHÆOPHILUS, viso VENATIONUM THEATRO ad DULODORUM regressus. Quid enim ad complendam, pergebat, Romanorum magnificentiam JOVI BRANDENBURGICO deerit? si eorum non *Pontes* tantùm, & *Templa*, & *Palatia*, sed & *Amphitheatra* jam intra Regiæ suæ Mœnia cernat? non plurium sæculorum intervallo educta, sed suis unius sumtibus, tantô splendore ædificata omnia, ut nemini obscurum esse possit, ad Romanorum, si non invidiam, tamen æmulationem esse exstructa? Minimùm, subjecit DULODORUS, ad leges Romanorum, aut si mavis, sapientissimi Regum, Architectonicas ELECTOR NOSTER operatur. Omninò enim heic memorandum, quod Reverendissimus PATER VOTA, Majestati Polonicæ à Confessionibus, Vir in omni Scibili versatissimus, judiciique acerrimi senex, dum nuper Bibliothecam & Cimeliarchium, aliaque Electoralia Decora lustraret, & observavit, & ex Villalpando demonstravit, *Rationem Romanorum Architectonicam eandem esse, quæ fuit & Salomonis in Templo Hierosolymitano:* adeò ut hanc prudentissimo consilio Elector Noster sibi imitandam censuerit; simul enim, ut in conservanda pace, procurandaque subditorum suorum felicitate, ita & in operibus reliquis se dignum *Salomonis* elogio, dignum & Nomine demonstret. In uno Electorali Palatio, excepit ARCHÆOPHILUS, res manifesta est. Nunc autem de Theatro Venationum potissimùm loquimur, ubi lubet quærere, unde edendis lætitiæ publicæ spectaculis cogantur feræ? Neque enim vel Leones vel Elephantos hæc tellus nutrit. At nutrit *Cervos* & *Apros*, inquit DULODORUS, ut lupos, vulpes, & lepores taceam, & quidem tantô numerô, tantâque magnitudine, ut spectantibus non raro stupori sint. Et quid? An Tu nescis Prussiam *Alcium* & *Ursorum* feracem esse? Prussiam, inquam, quæ Supremo ELECTORIS NOSTRI Dominio gloriatur, & non succinum tantùm, sed & feras exquisitissimas ministrat. Dum hæc considero, inquit ARCHÆOPHILUS, omnis mihi Romam visendi cupido evanescit. Quis enim rudera respiciat, tantis itineribus semota, si renata eorum simula-

cra in Germania offendat integra? Aut vanus augur ſum, aut priſca Romanorum Gloria BEROLINUM migrabit. Migravit enim jam, & munificentia TANTI PRINCIPIS adhuc migrat, omnis Antiquitatis ut venuſtiſſima ſupellex, ita & Numiſmatum veneranda congeries. Ad delicias tuas, inquit DULODORUS, Te revolvi video, idque me non invito facis; Expectant enim

ANTIQUISSIMA ROMANORUM
EX AERE GRAVI NUMISMATA,



Quæ Livio teſte, plauſtris in ærarium convehebantur. Plura, inquit ARCHÆOPHILUS, jam vidimus in CONTINUATIONE; Sed hæc typis diverſiſſima ſunt. In primo, quod aſſem eſſe, ex magnitudine colligo, idem utrinque viſitur caput, an Apollinis tæniati? hunc enim & venuſtas, & revinctum tæniâ capillitium videtur arguere. Rectè judicas, reſpondit DULODORUS, Ejus enim nec ratio abſcura eſt, cùm Apollinem inter præcipuos Urbis tutelares Roma coluerit. Hoc ſcio, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed dubito, an etiam antiquiſſimis id fecerit temporibus? Hæc enim Numiſmata memini aliquos ad Janum referre. Quid tum? reſpondit DULODORUS, An jam oblitus es loci Victoris, in CONTINUATIONE allati, quô Janus Apollinis ex Creuſa filius ſtatuitur? Et an neſcis Apollinem Trojæ conditorem, & toto contra Græcos bello ejusdem & defenſorem fuiſſe? adeò ut in congruum

gruum non ſit, ſi & cum Ænea ejus cultum influere potuiſſe credamus. De Apolline, inquit ARCHÆOPHILUS, acquieſco. Quid autem Pegaſus Numiſmatis ſecundi, quod ego Semiſſem eſſe ex litera S colligo? Pegaſus, reſpondit DULODORUS, proculdubio ad Corinthum reſpicit, cùmque Tarquinius, Quintus Romanorum Rex, Corintho oriundus fuerit, quis miretur, vulgatiſſimô Corinthi ſymbolô in Romanorum Nummis honorem & locum eſſe? Ad eundem ſanè Tarquinium etiam reſpicit Caput Equinum Numiſmatis Tertii, quod Triens ex quatuor punctis noſcitur; Jam enim Tomo Primo ex Boiſſardo notavi, ſecundum quosdam in fundamentis Capitolii non caput humanum, ſed Equinum repertum eſſe. Niſi etiam ad Neptunum Equeſtrem reſpicias, excepit ARCHÆOPHILUS, cui ludos Romulus fecit, cùm matrimonia ſuis negata eſſent. Vel etiam ad Apollinem, reſpondit DULODORUS, cui Equus ſacer perhibetur & ipſi. Quicquid ſit in Numiſmate Quarto, Quadrante ſcilicet, tribus punctis indicato, manus patula & ſpicæ Fidem Publicam, profluentemque ex ea rerum abundantiam adumbrant, quam cùm Appio authore, Populo negarent Patres, ſeceſſione factâ, agri inculti jacuére, ſequentiumque annorum gravis annonæ penuria incubuit. Ultimum Numiſma reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS. Id ſextans ex duobus punctis noſcitur, quid autem Teſtudo? quid Draco? Teſtudo, reſpondit DULODORUS, Peloponneſi ſymbolum eſt, uti Tomo Primo ad Numiſma Ægii demonſtratum dedi: Et ex Peloponneſo Romam Colonos traxiſſe, nemo negabit, ſi meminerit, ex Arcadia Evandrum, Argis autem Herculem deſcendiſſe. Draconem ego ad Lanuvinum retulerim, eôdem ferè ſenſu, quô & in Numiſmate L. Papii, Lanuvio oriundi, qui hôc ſymbolô origines ſuas cum Romanis eleganter videtur conſecraſſe. De his, excepit ARCHÆOPHILUS, facile aſſentior; Nam ſcio, quæ ad familiam Papiam de Dracone Lanuvino attuleris; Cùm autem his Numiſmatibus As aſſisque partes exhibeantur, velim ſcire, an & pondere ſibi reſpondeant? Omninò, excepit DULODORUS; As enim viginti tres ſemuncias pendet, Semis ſemuncias undecim cum dimidia, Triens ſeptem & duas Tertias, Quadrans quinque & tres quartas, Sextans Tres & quinque ſextas, differentiâ in omnibus non majore, quàm quæ ærugine vetuſtatisque injuriâ ſurrexiſſe haud abs ratione creditur. Cæterùm ut illud Tibi libens ceſſerim, iis temporibus, quibus hæc percuſſa ſunt, non Romæ tantùm, ſed & aliis Italiæ in urbibus talia Numiſmata ſignata eſſe, ut ſcilicet commerciorum ratio ſubſiſtere poſſet; Ita propoſita non aliùs ac Romæ eſſe, ex rebus impreſſis, ponderisque proportione mihi firmiter perſuadeo. Succedunt

NUMISMATA FAMILIARUM,

Quo ex genere, non minus ac Imperatoriorum, plura hactenus Cimeliarchio Electorali acceſſére. Ego autem ne denuò vulgaria admiſceam, pauca tantùm hîc producam, ſed talia, quæ vel dignitate vel obſcuritate ſuâ, operâ noſtrâ videbuntur indigere. Principem locum ſibi vindicat


ANTONIA,
& ſub ea
M. ANTONIUS CLEOPATRAE AMORIBUS, OCCUPATISQUE BACCHI PER ASIAM HONORIBUS MEMORANDUS.



Dignitatem hoc in Numiſmate rectè conſideras, excepit ARCHÆOPHILUS, Maximi enim id moduli eſt, & Vaillantio judice, elegantia & ſingularitate etiam id ſuperat, in quo, loco Bacchi, Caput Cleopatræ ciſtæ impoſitum cernitur, quodque & ipſum in hac Electorali Gaza aſſervari, ex Continuatione memini. Quid autem de obſcuritate? Annon Capita Antonii & Cleopatræ notiora ſunt, quàm ut dubitari de his poſſit? Annon Antonii veſanus amor, quo Cleopatram Octaviæ prætulit? Annon veſana ambitio, quâ Bacchi per Aſiam honores occupavit, jam aliis dilucidatæ? Ita & ſerpentes Aſiæ ſymbolum eſſe, peculiari Dialogo Te demonſtraturum, ex ſuperioribus recordor: ut taceam Numiſmatis modulum, cujus ponderis ab impreſſa Ciſta Bacchi myſtica *Ciſtophoros* dictos, ex Livio conſtat. Et quid præterea requiritur? Figura Ciſtæ impoſita controverſa eſt, reſpondit DULODORUS; Hanc enim Urſinus, & eum ſecutus Patinus, Minervam credidére: Rubenius Pietatem: Vaillantius Bacchum. Pro Baccho decernerem & Ego, excepit ARCHÆOPHILUS; Hunc enim non Cantharus tantùm, ſed & Thyrſus evincit, nec obſtat veſtis fœminea; quis enim neſcit Bacchum & hâc indutum inter antiquitatis reliquias occurrere? Si in Baccho ſubſiſtas, reſpondit DULODORUS, non refragabor, moneo tantùm, hôc poſitô ſub hoc Baccho ipſum Antonium latitare. Quicquid autem ſit, Conjecturam tamen & meam adferre licebit, altero illo Numiſmate fultam, in quo Caput non Bacchi, aut Antonii, ſed *Cleopatræ* ciſtæ impoſitum eſt; Quidni enim inde colligas, figuram propoſiti, habitu muliebri indutam, nec Bacchum, nec Antonium, ſed omninò ipſam Cleopatram eſſe, Antonium ſuum tanquam altera *Ariadne* Bacchico cultu venerantem? Quod de Ariadne conjicis, inquit ARCHÆOPHILUS, admitterem, niſi Cleopatræ, habitus Iſidis convenientior foret. Non in Ægypto, reſpondit DULODORUS, ſed in Aſia, inter Gentes Græcas, verſabantur & Antonius & Cleopatra, cùm Numiſma percuteretur, eaque cauſa eſt, quòd Antonius non Oſiridis, ſed Bacchi: Cleopatra autem, non Iſidis, ſed Ariadnes cultum oſtentent, adeoque conjectura mea hactenus non vacillet. An impoſterum validiore pulſu caſura ſit, exſpectabo. Interim

M. AN-

M. ANTONII VICTORIA ARMENIACA, ET CLEOPATRÆ POTENTIA NAVALIS,



Se contemplandas nobis offerunt. Illam excepit ARCHÆOPHILUS, & inſcriptio docet, & affictâ à tergo Tiara innuit. Hanc exprimit navali roſtro impoſita Cleopatræ effigies: Nec deeſt Hiſtoria; conſtat enim vel ex Titulis Cleopatræ, quibus REGINA REGUM FILIORUM REGUM vocatur, Numiſma hoc eô tempore percuſſum eſſe, quò Antonius, Captô per fraudem Artavaſde, Regnum Armeniæ occupavit, & in Ægyptum regreſſus, Cleopatram *Reginam Regum* appellavit, filiisque ejus Cyprum, Syriam cis Euphratem, Africam item, & Armeniam largitus eſt. Conſtat Cleopatram claſſe non modicâ fuiſſe inſtructam, etiam in Prælio contra Cæſarem. Hæc plana ſunt, inquit DULODORUS, nec ideo Numiſma repetendum cenſeo, licet inter rariora connumeretur. Diadema ei pretium conciliat, quod Cleopatra Capiti circumdatum oſtentat, in Patiniano autem omiſſum eſt. Diadema, excepit ARCHÆOPHILUS, Reginæ Regum optimè quadrat; An autem nihil præterea? Nihil omninò, reſpondit DULODORUS, niſi fortè ad navis roſtrum, Navim Cleopatræ Regiam Tibi in mentem revoces, quam *Antoniada* dictam apud Plutarchum legimus: ἡ δὲ Κλεοπάτρας Ναυαρχὶς ἐκαλεῖτο μὲν Ἀντωνιάς. Subit

LOLLIA, IN QUA L. LOLLIUS DIANAM ET CERVUM EXPRESSIT,



incertum quâ ratione? Rationem, excepit ARCHÆOPHILUS, ſe ignorare fatetur Patinus; Sed ego in Annalibus Pighii eam inveni. Sub Quæſtoribus Provinciarum Anni VC. DXCIX. L. LOLLIUS... f.... *nepos*, inquit, *cujus*

cujus exstant denarii argentei cum DIANA Pharetrata & illi sacro CERVO, sub quo F. id est FASCELLINÆ: quod Aricinæ Dianæ cognomen fuit ad lacum Nemorensem, ut alibi latius. Adest nomen L. LOLLIUS. Vidimus ejusdem alios item cum Mensa sacra, supra quam L. LOLLIUS, in quorum altero latere vittâ coronatæ Deæ caput expressum, sub cujus mento B.B. & sceptrum Regium. Suspicor BASILIM vel BASILISSAM VENEREM esse à Tarentinis cultam: cui sacrum antiquitus ludicrum fuit, quod Basilinda vocabant. Hinc Vittâ pro Diademate coronatur, & juxta est Sceptrum. Per reges & milites sorte ductos ludicrum hoc fiebat. Meminit Hesychius in Lexico. Hactenus Prghius, & ad propositum quàm aptè? Nihil video, excepit DULODORUS; *Primò* enim dubium est, an ad eum L. Lollium Numisma pertineat, qui Anno VC. DXCIX. Quæstor Provincialis fuit? An potius ad eum, qui Anno VC. DCC. apud eundem Prghium *Quæstor* memoratur? An denique ad alium quendam Nominis ejusdem? *Deinde*, Numisma nostrum argenteum non est, imò nec illud, quod Patinus edidit. *Tertiò*, in nostro non litera F. sed litera B. sub Cervo visitur, uti sub Patiniano IZ. quâ differentiâ vel solâ omnis Pighii conjectura corruit; apertum enim est, literâ B. non *Basilindam* intelligi posse, quæ Venus fuit, & non Diana: Imò nec litera F. *Fascellinam*, cùm aliæ in aliis exstantes liquidò demonstrent, notas has monetales esse, quales in aliis etiam familiis frequenter videas. Quid igitur est? excepit ARCHÆOPHILUS, quid credendum? Nisi conjecturis, respondit DULODORUS, verisimilibus acquiescas, non dixero. Dianam Romæ cultam quis nescit? Quis nescit, ejus Templum in Aventino fuisse? Quis denique Sæculares ei, non minus ac Apollini, dicatos? Hæc cùm ita sint, non mirum utique, Dianæ effigiem, sacratumque ei Cervum in Numismate Romano cernere, sive L. Lollius hic Dianæ templum ædificaverit, sive ei ludos ediderit, Sæcularibusve præfuerit. Sed hæc utcunque credantur, in parvo discrimine pono. Sequitur

PAPIRIA,
UBI
CARBO CUM HERCULE, ET NAVI IMPOSITO FULMINE,



Se sistit. Herculem, excepit ARCHÆOPHILUS, sub familia Papiria hactenus non vidi, indeque dubito, an Carbo? Annon potius Varro hîc legi debeat? pertineatque Nummus ad familiam Terentiam, in qua similis Hercules cum navi in aversa C. TER. LVC. inscribitur? Etiam mihi ea res dubia fuit, respondit DULODORUS; sed penitius, & per Microscopium literas examinanti, vox Carbo, navi inscripta, apertissimè apparuit. Apparebit & Tibi, si simili artificio eam examines. Morem gessit ARCHÆOPHILUS,

LUS, cùmque veritatem deprehendiſſet, rarum hoc, inquit, Numiſma eſt, eòque adhuc magis æſtimandum, quòd nobiliſſimo virore & ſibi venuſtatem circumpoſuit, & ſpectantes voluptate non exigua afficit. Ad quid autem Hercules? Ad quid Navis imminente fulmine, in nummo Carbonis? Conjecturis hîc agendum, reſpondit DULODORUS, non minus ac in Nomine; cùm enim plures ex Papiriis CARBONIS cognomine memorentur, propoſito autem in Numiſmate nullô is vel prænomine vel dignitatis officiô à reliquis diſtinguatur, difficile omninò eſt dicere, ad quem Numiſma pertineat? Eò tantùm quòd ſimile nomen in Denario Gentis Papiriæ exſtat, Jupiterque in eo fulmen vibrans, cum fulmine propoſiti conveniat, haud forſan abſurdè conjicias, unum eundemque Carbonem Numiſma utrumque ſignaſſe; ſive ſub Hercule & Navi ad origines Romanas reſpexerit, quòd Hercules navibus in Italiam advenit: ſive rem aliquam contra Africanos, quorum numen Hercules fuit, navali prælio benè geſtam eô conſecraverit. Hoc tamen poſterius ut præferas, adjectum fulmen, Jupiterque in argenteo fulmen vibrans ſuadere poterunt, cùm prælii vehementia, divinumque juxta auxilium his ſignis commodè credi poſſit adumbratum eſſe. In

POMPEJA,

SEXTI POMPEJI
IN PATREM PIETAS, ET UTRIUSQUE IN ITALIAM MERITUM ET POTENTIA NAVALIS




ſe commendant. An ad Pompeji filium reſpicis? inquit ARCHÆOPHILUS; At Erizzo, niſi fallor, Pompejo Patri hoc Numiſma adjudicavit, percusſum arbitratus in memoriam curatæ annonæ, id qnod *Spicæ* videntur arguere *capiti Jani impoſitæ*, qua de re non verba Plutarchi tantùm, ſed & Ciceronis, & Dionis Caſſii citat. Scio hæc, reſpondit DULODORUS; ſed juxta & Angelonis ſententia innotuit, qui Numiſma hoc Pompejo Patri non convenire, ſed poſt ejus mortem à filio Sexto percuſſum judicat, idque ex inſcripto Titulo PIUS, qui Patri non dabatur, filio autem Sexto etiam in Nummis tantùm non proprius fuit, fulciente aſſertum etiam Appiano, qui in prælio contra Cæſarem Hiſpanienſi *Pietatem Pompejanorum teſſeram* aſſerit fuiſſe. Si rem probe conſiderem, excepit ARCHÆOPHILUS, Mihi nec cum Angelone convenit. Qua in re? quæſivit DULODORUS. In Vultibus, reſpondit ARCHÆOPHILUS, ex quibus hæc Jani effigies compoſita eſt. Angelonus Pompejum Patrem & Sextum filium agnoſcit, Ego autem pro Pompejis filiis Cneo & Sexto pronunciaverim. Pompejum Patrem, retorſit DULODORUS, utique ἀναςολὴ τῆς κόμης videtur arguere; Ea enim, uti ſub familiis Naſidia & Minatia

Pompejum Patrem demonstrat, de qua re Seguinus in Epistola de Nummis Pompejanis videri potest, ita & hîc apertè visitur, adeoque simile etiam judicium exprimit. Pompeji Patris effigies, respondit ARCHÆOPHILUS, in omnibus, quæ hactenus eam exhibuére, Numismatibus, vetula & rugis obsita apparuit; Quæsò autem, DULODORE, an simile quid in proposito? Annon potius utrinque succulenta plenitudo? ætatisque non major differentia, quàm Fratrum solet esse? Si fratrum hæ effigies forent, retorsit DULODORUS, juvenilior in iis radiaret ardor; proculdubio enim Numisma Cneo Sexti fratre adhuc vivente percussum foret, adumbraretur que utriusque in ulciscendo Patre Concordia & Pietas; sed pace tuâ dixero, neutra effigies tantam juventutem præfert, ut eò respici possit. Potius etiam Sexti vultus, qui tamen natu minimus fuit, plenam jam virilitatem præfert. Et quid? Nonne facies prior, quæ & ἀναςολὴν τῆς κόμης præfert, frontem sub Coma rugis plenissimam ostentat? adeoque de Patre ne dubium quidem relinquit? Inspice Numisma & judica! Negare non ausim, excepit ARCHÆOPHILUS, quanquam nondum capiam, quâ ratione sub forma Jani, Pater & filius convenire possint, Illô, cùm Numisma percuteretur, rebus humanis jamdudum exempto? Spicæ rationem pandunt, respondit DULODORUS; Eæ enim super utrumque caput frequentes exsurgunt, adeoque ad simile utriusque meritum Numisma reducunt. De Patre res certa est; De filio Sexto discas ex Legibus Pacis, cum Cæsare & Antonio initæ, quibus Authore Dione Cassio inter alia continebatur, *ut certam summam frumenti ad urbem Pompejus mitteret:* id quod etiam fecisse, vel inde docetur, quòd Cæsar alias pacis conditiones neglectas ei exprobrans, de annona retenta ne verbulum addidit. Cùm Siciliam, excepit ARCHÆOPHILUS, Populi Romani horreum, Pompejus obtinuerit, opinio basi speciosâ nititur, quanquam ne sic quidem ratio appareat, cur Jani figurâ effigies filii, effigiei Patris jungatur; si enim verum sit, quod alibi Te docuisse memini, Effigiem Jani bifrontis, ex duplici facie imperantium simul, Jani scilicet & Saturni, conflatam esse, utique inventum minus quadrat duobus, non simul, sed plurium annorum intervallo rerum potitis, & eô quidem tempore procusum, quô alterius meritum infelicitas jamdudum obscuraverat. Neutrum arbitror, respondit DULODORUS, licet enim Pater, jam anno V C. 706. perierit, Numisma autem hoc post annum V C. 715. nam tunc pax facta est, percussum esse, probabili conjecturâ assequamur; Notandum tamen, Sextum Pompejum, Patrem suum, non ut mortuum, sed ut *Deum* considerasse, cujus favore potentia maris sibi parta fuisset, & incolumis staret. Id inde utique constat, quod successu tumidus, se non tantùm, Dione teste, *Neptuni filium* tulit, sed etiam in Numismatibus, Patris effigiei, NEPTUNI nomen addidit, adeo ut simultaneum hoc & concors maris Imperium, Neptuni patris scilicet & Sexti filii, utique ritè figurâ Jani bicipitis adumbrari potuerit; Et quàm pulchrè Pompejo Patri convenit Janus, Aurelio Victore teste, *Pater* & ipse cognominatus? quàm pulchre Sexti Romæ frumentum ministranti Saturnus, qui post Janum in Italiam venit, & populis, agriculturam docendo, frumentum subministravit & ipse? Quàm pulchrè utrique navis, quæ non minus in Antiquissimis Romanorum Numismatibus memoriæ Jani & Saturni additur? De Sexto locum Dionis adscribere placet. Ita Ille, Libro XLVIII. de Sexto Pompejo νᾶυς πλείους ἐναυπηγήσατο, καὶ τῆς πέριξ θαλάσσης ἐκράτησε δόξαν τε τινὰ καὶ φρόνημα, ὡς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος παῖς ὤν, ὅτι πάσης ποτὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ τῆς θαλάσσης ἦρξε, προσέθετο. *Naves* inquit, *plures exstruxit, mare circum insulam obtinuit, auctus ea etiam gloria atque*


atque fastu, quasi Neptuni filius esset, quod Pater quondam ejus imperium mari universo habuerat. Sed hæc de Pompeja. Sequitur

RUBELLIA,
&
C. RUBELLIUS BLANDUS,
IIIVIR A.A.A.F.F. SUB AUGUSTO.



Sub Augusto? excepit ARCHÆOPHILUS; At Patinus, qui hunc Nummulum vulgavit, sub Nerone ejus ætatem videtur radicare, ab eo percussum arbitratus, qui Cornelio Tacito *Rubellius Plautus* dicitur, dubitante Lipsio, annon *Rubellius Blandus* eò loci legi debeat? Mirum hoc, respondit DULODORUS, cùm tamen Lipsius ipse fateatur, utrumque & *Blandus* & *Plautus* in stemmate Augustæ domus occurrere, Ipseque Tacitus non tantùm RUBELLII PLAUTI *sub Nerone*; sed & RUBELLII BLANDI sub Tiberio meminerit, idque non uno loco: *Primò* Annal. Lib. III. in Lepidæ causa: *Itum est*, inquit, *in sententiam* RUBELLII BLANDI, *à quo aquâ & igni arcebatur. Secundò*, eodem Libro, in causa Lutorii Prisci, in qua M. Lepidus duriorem sententiam pronunciaverat: *Solus*, inquit, *Lepido* RUBELLIUS BLANDUS *è Consularibus adsensit. Tertiò* Ann. L. VI. *Tot luctibus*, inquit, *funestâ civitate pars mœroris fuit, quòd Julia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum* RUBELLII BLANDI, *cujus avum Tiburtem, Equitem Romanum plerique meminerant.* Sufficiens hæc est, excepit ARCHÆOPHILUS, & de Rubellio Blando, & de ejus Genere notitia. Cùm autem sub Tiberio claruerit, nescio, quâ ratione Trium vir monetalis sub Augusto statuatur? Ex vicinia Temporum, respondit DULODORUS, solitaque sub Augusto Nummuli forma. Talia enim, cum solo Monetarii & nomine & officio, plura videas apud Goltzium, sub Augusto, Tabula LXVI. Ara, excepit ARCHÆOPHILUS, ad officium non pertinet: potius videtur Augusti consecrationi dicata. At ara hæc non est, respondit DULODORUS, sed INCUS, Monetæ feriundæ instrumentum, & basis. Eâdem sanè figurâ etiam in Numismate Junii Salvii prostat, adjectis Malleo & forcipe, adeò ut de Incude, hâc figurâ designatâ, dubitari non possit. Sequitur

INCERTA
UBI
AGRI PUBLICI PROMOTI FINES



Memorantur. An ita, excepit ARCHÆOPHILUS, expreſſas intra Lauream literas, A. P. P. F. arbitraris legendas? Quæ autem Lecturæ ratio? Terminus, reſpondit DULODORUS, quem in adverſa cernimus; Ita enim Sextus Pompejus Feſtus: *Termino*, inquit, *Sacra faciebant*, *quòd in ejus tutela Finis Agrorum eſſe putabant.* De Agrorum Finibus hæc inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, non autem de Finibus Promotis. Mihi alia conjectura ſedet. Apud Aurelium Victorem lego, *Galerium Maximianum*, *Agrum ſatis Reipub. commodantem*, *cæſis immanibus ſylvis*, *atque emiſſo in Danubium lacu Pelſone apud Pannonios feciſſe:* Quid igitur ſi literas has, AGRUM PANNONIÆ PUBLICUM FACTUM, interpreter? Si hoc arbitreris, excepit ARCHÆOPHILUS, poteris & Agrum Pomtinum, aut alium quendam ſubſtituere; Sed Terminus non agri faciendi, ſed finiendi præſes eſt: Ideoque ſi non de agri publici finibus promotis hæc ſumas, poteris Agros Publicos Publice Finitos ſubſtituere, de quo more, ne forte dubites, unicus locus Livii docebit. Ita Ille: Dec. V. cap. 2. princ. *Senatui placuit, L. Poſtumium Cos. ad AGRUM PUBLICUM A PRIVATO TERMINANDUM in Campaniam ire: cujus ingentem modum poſſidere privatos, paulatim proferendo Fines, conſtabat.* Etiam hinc, excepit ARCHÆOPHILUS, alia lectio ſurgit. Quid enim ſi ita legas: AGRUM PUBLICUM POSTUMIUS FINIVIT? Hâc ſanè ratione Numiſma incertum non eſſet, ſed ad familiam Poſtumiorum pertineret. Nomina propria, reſpondit DULODORUS, unicâ literâ, niſi adjunctis aliis quibusdam indubiè clareſcant, exprimi non ſolent, eaque cauſa eſt, ut Ego lectionem meam præferendam cenſeam; Neque enim ſemel rem in Republica accidiſſe credideris, cùm Terminum agrorum finibus jam Numa præfecerit, indeque agri publici fines ſæpius producti, ſæpius ager publicus à privatis occupatus ſit, ut Coſſ. Sp. Caſſio & Proculo Virginio, eodem docente Livio: ut taceam, etiam Civitates interdum de agrorum finibus contendiſſe. Exemplo eſſe poteſt contentio Carthaginenſium & Maſſaniſſæ apud eundem Dec. V. cap. 10. quæ cum à Legatis terminari non poſſet, Romæ diſceptata eſt: Adeò ut agrum publicum utique non à privatis tantùm, ſed interdum etiam à vicinis urbibus vindicari, publiceque finiri, neceſſe fuerit. Sed hâc ratione, inquit ARCHÆOPHILUS, incertum erit, cui debeatur corona literis his circumdata. Nullô modô, reſpondit DULODORUS, omninò enim credenda eſt ea, quâ Terminum coronari ſolitum, Tibullus cecinit, Lib. I. El. I.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agro,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Florea

Florea ferta, excepit ARCHÆOPHILUS, interpretes ea ftatuunt, quæ vulgò Feftoni dicuntur. In propofito autem Numifmate non tale, fed omnino laureum vifitur. Tale, refpondit DULODORUS, quale & juxta Terminum in Nummo M. Pifonis M. F. Frugi proftat, qua bafi vel florea ferta prolaurea pofita Poetæ, vel certè non florea tantùm, fed & Laurea Termino facra fuiffe, rectè utique concluderem. Succedunt

NUMISMATA IMPERATORUM.

Antequam progrediamur, inquit ARCHÆOPHILUS, pauca de Methodo præmittenda funt; Ea enim, quam in Continuatione fecuti fumus, licet confufis & metallorum generibus, & Numifmatum magnitudinibus, evitare tamen non potuit, ut feriei concinnandæ etiam Vulgaria adfpergeret. Velim ergo, præfenti operâ, non feriem fequaris, fed metalla & magnitudines diftinguas, id quod & Electoralis in Cimeliarchii difpofitione fatis accuratè Te feciffe video. Spicilegium agimus, refpondit DULODORUS, ea tantùm proponentes, quæ ab Editione Continuationis Sereniffimus ELECTOR BRANDENBURGICUS coëmit: Imò nec hæc omnia, fed ea tantùm, quæ etiam peritiffimis placitura confido. Hâc bafi facilè intelliges, ARCHÆOPHILE, absque vel Publici offenfa, vel Cimeliarchii Electoralis detrimento Methodum mutari non poffe; Si enim rariora ex Continuatione repetam, quid egero, nifi actum? fi omittam, annon opinionem fparfero, ex quocunque metallo, quacunque magnitudine, plura propofitis in Cimeliarchio Electorali non contineri? quô, factô utique gloria ejus in immenfum decrefceret; Neque enim mihi objeceris, reliqua jam in Continuatione publicata effe; Non enim tam publicata funt, quàm fub multitudine latent; Quis enim ibi agnofcat, quot AUREA *maxima?* quot *magna, mediocria* & *parva?* Quot iisdem magnitudinum diftinctionibus ARGENTEA & ÆREA Cimeliarchium Elect. poffideat, omnibus indiftinctè inter fe permiftis? Hæc equidem, abundante nunc ubique rariorum fegete, facta non vellem, fed cum facta fint neceffariò, tot Numifmatibus tunc nondum congeftis, omninò nunc cenfeo eâdem methodo pergendum, ita tamen, ut libera poteftas fit, omnem impofterum Cimeliarchii Electoralis Thefaurum denuò percurrere, jucundaque repetitione, omiffis vulgaribus, Rariorum & metalla & magnitudines diftinguere: Ita enim apparebit, quot & quam rara quocunque in genere præftò fint. Placuit Confilium ARCHÆOPHILO; Igitur, amplius, inquit, progreffurum non morabor. Imò potius tritam nobis femitam, contemplationis novitate jucundiorem confido futuram. Id dabo operam, refpondit DULODORUS. In limine fe fiftit

JULIUS CÆSAR,



Licet in Continuatione propoſitus, ideò tamen hîc iterandus, quòd integrior Cimeliarchio Electorali hactenus acceſſit, quòdque paulò penitius inſpici mereatur. Omnia clara ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Effigies macilenta ex Nummis adſtruitur, nequicquam contradicente Suetonio: Coronam lauream à Senatu ſibi decretam, ad tegendam calvitiem libertiſſimè Cæſar admiſit: Dictaturam Perpetuam ultimô vitæ annô geſſit. Hactenus benè, reſpondit DULODORUS, quid autem de averſa? Nec in his dubium eſt, reſpondit ARCHÆOPHILUS; Quis enim neſcit, Dextras junctas *Concordiæ*, Caduceum *Pacis*, Faſces *Juſtitiæ*, Securim *Sacrorum*, Globum *Orbis Terrarum* ſymbolum eſſe? adeoque Cæſaris pacificum hîc regimen celebrari? Nec hoc malè, ſubjecit DULODORUS, ſed mihi adhuc aliud dicendum videtur. Et quid poſſis? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Symbolorum ſitum contemplor, reſpondit DULODORUS; Non enim abs ratione talem videtur L. Buca ordinaſſe, qualem hic cernimus. Nomen ſuum loco inferiore poſuit, & quidem eô ſitu, ut legenti Manus junctæ locum ſupremum obtineant, idque ut mihi quidem videtur, non tantùm humilitatis ergò, ſed ut oſtenderet, qui verum Numiſmatis ſenſum aſſequi cupit, eundem ſitum & in contemplando ſervare debere. Si hoc ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, erraverit ſculptor, ut aliorum, ita & Tuus in Continuatione. Nam L. Bucæ nomen communiter in latere exhibent. Cæcus Cæcum ducit, inquit DULODORUS, ſed mihi ratio allata eò firmior nunc videtur, quò planior inde & ſenſus reliquorum elicitur. Quæsò ARCHÆOPHILE, cùm omnes hactenus ſub dextris junctis Concordiam adumbrari dixerint, quis unquam docuit, cùm quo Cæſar concors fuerit, poſtquam omnes Romani imperii potentias ſuppreſſiſſet? Fateor, inquit ILLE, res difficilis eſt judicatu. Difficilis, reſpondit DULODORUS, ſi L. Bucam in latere ponas; Sed non difficilis, ſi ponas loco infimo, ita enim altera manus alteri imminet, apertô indiciô, alteram dominantis, alteram ſuccumbentis eſſe, & cujus, ſi non Senatùs, à quo Cæſar cum hoſtis judicatus fuiſſet, devictis adverſariis in gratiam volebat videri rediiſſe? Tanta ſanè Senatus eo tempore adulatio dicam, an lætitia? fuit, ut Dione memorante νέων ὁμονοίας καινῆς, ὡς καὶ δὶ αὐτȣ̃ εἰρηνȣ̃ντες, οἰκοδομῆσαι, καὶ πανήγυριν αὐτὴν ἐτησίαν ἄγειν ἔγνωσαν. *Concordiæ novæ templum ædificari, annuumque ibi feſtum celebrari juſſerint, quòd Cæſar ipſis pacem reſtituiſſet.* Si cætera, excepit ARCHÆOPHILUS, ratione ſimili evolvas, jam non pœnitebit, Numiſma denuò inſpexiſſe. Ne dubita, reſpondit DULODORUS, cùm enim ex hac Concordia, ut ex eodem loco patet, pacem & juſtitiam ſibi promiſerint Romani, quis arbitretur ſine cauſa dextris his junctis Faſces & Caduceum ſuppoſitos eſſe? Cùm juſtitia pacem tueatur, & Pax juſtitiæ rigorem mitigare ſoleat, quis ſine

cauſa

causa, dicat, Fasces & Caduceum decussatim positos? Cùm Pax & justitia tam in Sacris, quàm in Terrenis vigorem suum exerant, quis sine causa in lateribus positos agnoscat, hinc Securim Sacrorum, inde Orbem, Terrenorum symbolum? Unicum dubium subit, inquit ARCHÆOPHILUS. Si hoc ordine procedas, Caduceus & Fasces inversi videbuntur. Nec hoc sine causa, respondit DULODORUS, sed ideò; ut ex concordia intelligantur procedere; Imò ut intelligantur Sacra *justitiâ* Terrena *pace* fulciri; Caduceo enim imminet globus. Securis autem fascibus. Cæterùm de Numismate memorandum, subæratum id esse, adeoque indubiæ antiquitatis. Succedit

AUGUSTUS
CUM
TEMPLO CONCORDIÆ.



Augustus Divus hîc exprimitur, inquit ARCHÆOPHILUS: Quidni igitur Templum hoc eidem consecratum arbitrer? illudque ipsum esse, quod Decreto Senatûs à Livia & Tiberio factum, Dio Cassius author est? Me judice non facies, respondit DULODORUS; Alia enim hujus delineatio in Nummo Caji prostat, qui à Tiberio cœptum & absolvit & dedicavit, uti Suetonius, & idem Dio memorant, ut taceam Templum Numismatis propositi Augusto adhuc vivo exstructum, Numisma sequens Tiberii



evincere, & ipsum maximi moduli, & ipsum Electoralis hujus Cimeliarchii. Templum hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm superiore idem esse, facile largior, Augusto autem vivo exstructum quî fatear, cùm Augusti successor id signaverit? Nonne potius hôc ipsô opinio mea firmabitur? Nullô modô, respondit DULODORUS. Tiberius enim hoc in Numismate Imperator. v. scribitur, qui honoris Imperatorii numerus in Annos VC. 761. 762. & 763. incidit, quibus Augustus utique in vivis adhuc erat, Anno VC. 767. demum mortuus. Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, unica hæc ratio omnem

omnem opinionis meæ cardinem evertit. At meam ſententiam firmat, reſpondit DULODORUS; Anno enim VC. 764. Tiberius Ædem Concordiæ dedicavit. Ita enim poſt Annum VC. 763. Dio Caſſius: Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τὸ, τε Ὁμονόειον ὑπὸ τȣ̃ Τιβερίȣ καθιερώθη, καὶ αὐτῷ τὸ, τε ἐκείνȣ ὄνομα καὶ τὸ τȣ̃ Δρȣ́σȣ τȣ̃ ἀδελφȣ̃ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. *Anno ſequenti Tiberius ÆDEM CONCORDIÆ ſacravit, inſcriptis ſuo & fratris Druſi, vita pridem functi, nominibus.* Anno ſequenti? excepit ARCHÆOPHILUS; At eo anno Tiberius jam Imperator VII. erat, id quod Numiſmati non convenit. Diſtinguendum, inquit DULODORUS, inter Anni tempora. Ovidius Dedicationem in Junium rejicit. Dio ſtatim in principio, antequam adhuc Conſules nominaſſet, dedicationis mentionem facit. Quicquid ſit, Tiberium adhuc imperatorem V. fuiſſe, ex hoc nummo credibile eſt, præſertim cùm Expeditio Tiberii in Germanos, ex qua Imp. VI. & VII. appellatus eſt, poſt eam dedicationem Dioni memoretur; Niſi forte, quòd contrarium Suetonius habeat, Numiſma ante dedicationem percuſſum ſtatuas. Hæc miſſa facio, inquit ARCHÆOPHILUS, eâ tamen conditione, ut doceas, ſi Tiberius ædem Concordiæ dedicavit, id quod etiam Suetonius teſtatur, quomodo Ovidius Faſt. Lib. VI. v. 637. id Liviam feciſſe memoret?

Te quoque magnificâ CONCORDIA dedicat æde
LIVIA, quam caro præſtitit illa viro.

Hæc verba, reſpondit DULODORUS, opportunè citas; teſtantur enim etiam de magnificentia ædis, in Numiſmatibus ſplendidè radiante: imò & cauſarum unam videntur aperire, cur ædes hæc exſtructa? cur Concordiæ dedicata fuerit? Concordiam ſcilicet Viro Auguſto præſtitam: Ut proinde abſonum non ſit, ædem hanc non in Tiberii tantùm, ſed & in Auguſti Numiſmate intueri, & quidem poſt mortem ejus percuſſo; procul dubio enim concordiæ memoriam eô & conſecraverit & renovaverit Livia: idque eò magis, quòd licet Tiberium ædem hanc dedicaſſe alii memorent, Ovidius tamen eum honorem Liviæ adſcripſerit, quod mirum non eſt, cum Tiberius eam dedicationem cum matre curaſſe potuerit, eôdem modô, quô & Fani Liviæ, de quo Dio Lib. LV. Τὸ τεμένισμα τὸ Λιȣΐον καθιέρωσε μετὰ τῆς μητρὸς. *Templum Liviæ dedicavit cum matre.* Eodem ſanè modo etiam reſtitutionem Templi propoſiti Tiberius cum matre communicavit, canente eodem Ovidio, Tiberium id feciſſe, Liviam autem rebus & aris conſtituiſſe. En verba! Faſtor. I. v. 640. ſeqq.

Nunc bene proſpicies Latiam CONCORDIA turbam:
Nunc Te ſacratæ RESTITUERE manus.
Furius (antiquum) populi ſuperator Etruſci
Voverat, & voti ſolverat ante fidem.
Cauſa, quòd à Patribus ſumtis ſeceſſerat armis
Vulgus; & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſa recens melior: Paſſos Germania crines
Porrigit auſpiciis, DUX VENERANDE, Tuis.
Inde triumphatæ libaſti munera gentis,
Templaque feciſti, quam colis ipſe, Deæ.
Hæc tua conſtituit GENETRIX & rebus, & ara,
Sola toro magni digna reperta jovis.

quibus ex verbis inſuper diſcimus; Templum hoc non de novo ædificatum, ſed

ſed à Furio Camillo jam olim & votum & conditum, à Tiberio autem & Livia tantùm reſtitutum eſſe; De his enim interpretor illud:

Nunc Te SACRATÆ reſtituere manus.

Non, ut vulgò, de *manibus pontificum.* Ovidius, excepit ARCHÆOPHILUS, ſibi non videtur conſtare. Qui Libro VI. Faſtorum, Concordiam Liviæ & Auguſti in cenſum vocavit, is in primo Concordiam Tiberii producit, cauſamque Templi ſtatuit, non tàm Concordiam, quàm Germaniam devictam. Ovidius, reſpondit DULODORUS, contra hiſtoriam in his nihil canit. Revera enim Germania devicta Templi reſtituendi cauſa fuit: Revera Tiberius ſuam cum fratre Druſo concordiam, Livia autem ſuam cum marito reſpexit, non minus ac S.P.Q.R. in frontiſpicio templi publicam. Facit ad rem locus Dionis Lib. LV. ſub Anno VC. 747. Cum jam ante Tiberium contra Germanos moviſſe, Rhenumque tranſiiſſe, imò & Triumphum meruiſſe memoraſſet, Τιβέριος, ſubjicit, ἐν τῇ νȣμηνίᾳ ἐν ᾗ ὑπατεύειν μετὰ Γναίȣ Πείσωνος ἤρξατο, ἔσ τε τὸ Οκταȣ́ειον τὴν βȣλὴν ἤθροισε, διὰ τὸ ἔξω τȣ̃ Πωμηρίȣ αὐτό εἶναι, καὶ τὸ Ομονόειον αὐτὸς ἑαυτῷ ἐπισκευάσαι προστάξας, ὅπως τὸ, τε ἴδιον καὶ τὸ τȣ̃ Δρȣ́σȣ ὄνομα ἐπιγράψῃ, τάτε νικητήρια ἤγαγε. *Tiberius Kalendis Januarii, quibus conſulatum inivit cum Cn. Piſone, in Octavii fanum, (hæc enim extra Pomerium erat) convocato Senatu, FANUM CONCORDIÆ ſibimet ipſi reficiendum injunxit, ut SUO id & DRUSI nomine inſcriberet, ac deinde triumphavit.* Res aperta eſt, inquit ARCHÆOPILUS. Imò & illud hinc clareſcit, perrexit DULODORUS, ſeptendecim annos Reſtitutionem ſuſceptam dedicatione priorem fuiſſe, tot enim ab Anno VC. 747. ſuſceptæ ſcil. Reſtitutionis, ad A. VC. 764. ſive Dedicationis, fluxére. De his hactenus. Subeunt

ALIA AUGUSTI NUMISMATA.



Elegantia hæc ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & rara, ſed non obſcura; Primum enim Lauream Julii Cæſaris referre, ex inſcriptione DIVOS JULIUS patet: Et cui Laurea Cæſaris non innotuit, quam & poſt ejus fata Theatris illatam ex Nummis conſtat? Rectè meminiſti, reſpondit DULODORUS, in Nummo autem notanda etiam ſtella, quæ ante collum viſitur, inſigne adoptionis, quâ per Julium in familiam Veneris tranſiit, cujus hæc ſtella eſt; Neque Cæſaris animam ſive Cometem credas, cùm candata non ſit, & inſuper inſcriptio DIVI. F. priorem opinionem apertè fulciat. An eadem Laurea, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam in Numiſmate altero? Imò alia, reſpondit DULODORUS, & quidem non Cæſari, ſed Auguſto decreta; Id enim SC. evincit. Imò nec tempus facto deeſt. Nomini IMP. AUGUST. additur TR. POT. quam A. VC. 731. ei delatam, Dio memorat. Succedit

AUGUSTUS
CUM
NEPOTIBUS, CAJO ET LUCIO.



Nummum hunc, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor Vaillantius publicavit, à Colonia Concordia NorbenſiCæſariana, Decreto Decurionum exiſtimans percuſſum, id quod Literæ C. CN. C. DD., in propoſito injuria temporum ablatæ, teſtantur. Benè hæc, inquit DULODORUS, & licet etiam, quòd ad Capita CAJI & LUCII attinet, ex eodem diſcamus, diſſident tamen à noſtro Nomina II. virorum. M. PETRONIUM & C. JULIUM ANTONIUM legit Vaillantius; In noſtro autem apertè M. ANT. CUDAT. & C. P. . . . ſubſtituntur. Cùm hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, non abs ratione Reverendiſſimus Harduinus prænomina apud Vaillantium permutata conjecerit, in Antirrhetico. Id ex ipſo Numiſmate dijudicandum, reſpondit DULODORUS. Noſtris certè non hoc tantùm, ſed & Antonii cognomen pretium conciliat. CUDATUS apertè legitur, quod cognomen neſcio, an alibi unquam prodierit. Sequitur

LIVIA
CUM
CORONA QVERCEA AUGUSTI.



Nec Liviæ, inquit ARCHÆOPHILUS, nec Auguſti nomen video, indeque miror, quô indiciô Tibi res innotuerit? Effigie, reſpondit DULODORUS. Convenit enim cum aliis, quæ hactenus prodiére, & ornatu capillorum, & filô faciei, & longitudine colli. Sed de his confabulandi prolixior dabitur ad Imagines Marmoreas occaſio. In Numiſmate noſtro ſuffragatur averſa; Conſtat enim, coronam querceam Auguſti in Numiſmatibus frequentiſſimam eſſe. Frequens, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam eſt in aliorum Imperatorum Nummis. Hos, reſpondit DULODORUS, tantùm non omnes, rejicit

rejicit expreſſa intra querceam Chronologia L. ΛΘ. quibus Annus Imperii 39. indigitatur, quem numerum præter Auguſtum & M. Aurelium in imperio ſuperiorum nemo attigit: & M. Aurelium quidem, ut in cenſum adducas, notiſſima uxoris Fauſtinæ & effigies & mors prohibet. Remanet igitur Auguſtus ſolus, cujus uxor Livia non tantùm Anno Imperii ejus trigeſimo nono adhuc ſuperſtes fuit, ſed & poſt mortem ejus adhuc ſub Tiberio glorioſè vixit. Exemplo Tibi ſit

CARPENTUM
JULIÆ AUGUSTÆ A SPQR. DECRETUM,



An hoc ſub Tiberio? excepit ARCHÆOPHILUS, at Nonnius, Goltzii interpres, multò aliter. *Non fuit hic nummus*, inquit, *vivente Tiberio ſignatus, ſiquidem is parcos admodum, imò nullos penè defunctæ matri Liviæ, quæ Julia Auguſta mox dicta) honores decerni paſſus. Eſt autem Carpentum vehiculi genus quod mulis vehitur, Matronis dedicatum, quod ſolebat in defunctæ honorem cum illius imagine per Circum duci. Claudius mox rerum potitus Aviæ hunc honorem tribuit, quem filius negaverat, ut in Auguſto Tab. LXXX. diximus.* Multiplex n his, inquit DULODORUS, eſt Nonnii peccatum. Nummum ſub Tiberio ſignatum negat, cùm tamen averſæ inſcriptio ſub Tiberio, & quidem Trib. pot. XXIIII. id eſt octavô poſt Auguſti obitum annô ſignatum apertè doceat, quô tempore Julia adhuc ſuperſtes, ambitionis plus quàm muliebris gloriam ſuſtentabat, annô videlicet poſt mortem Auguſti decimo quinto lemùm mortua. *Deinde*, cum Liviæ defunctæ Tiberium nullos honores decerni paſſum memoraſſet, interjicit, Eam Juliam, *Auguſtam* mox dictam: Cùm amen Julia, non poſt obitum ſuum, ſed ſtatim poſt obitum Auguſti, imò & ex jusdem teſtamento, Auguſta fuerit appellata; Ita enim Tacitus: *Nihil primô enatûs die Tiberius agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti, cujus Teſtamentum illaum per Virgines Veſtæ Tiberium & Liviam hæredes habuit. LIVIA in famiam JULIAM, nomenque AUGUSTÆ adſumebatur. Tertiò*, Carpentum ſuponit Matronis non niſi mortuis dicatum, quòd ſcilicet in earum honorem uci per Circum ſoleret: Cùm tamen ex ipſiſſimo hoc nummo pateat, etiam viis dedicatum fuiſſe, adſtipulante Suetonio, qui ſub Claudio c. 17. *Currum ejus*, nquit, *Meſſalina uxor CARPENTO ſecuta eſt. Quartò*, Claudiùm mox reum potitum hunc Aviæ honorem ait tribuiſſe: Cùm tamen Claudium non viæ, ſed matri Carpentum decreviſſe, ipſe Nonnius ex Suetonio etiam Tab. XXX. ſub Auguſto docuiſſet. Mater autem non fuit Julia Auguſta, ſed Anonia junior, quæ ſub Cajo perierat, ſive veneno, ſive mœrore confecta. Mium, inquit ARCHÆOPHILUS, Virum Erudititiſſimum hæc non obſervaſſe. aufa, reſpondit DULODORUS, videri poteſt, quòd Agrippinæ, Domitillæ

& Juliæ Titi, ſimile Carpentum non niſi poſt mortem decretum, ex Numismatibus meminerat. De more autem, vivis etiam decernendi Carpentum, teſtatur Dio, cujus locum eò libentius produco, quod & de Livia loquitur: Ἐψηφίσαντο τῇ Μεσσαλίνῃ τὴν προεδρίαν, ἣν καὶ ἡ Λιβία ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδωσαν. *Meſſalinæ primum in conſeſſu locum, ut LIVIÆ quondam, utque CARPENTO veheretur, decreverunt.* Quanquam in Livia, aut Julia Auguſti, non S P Q R tantùm Decretum concurrere videatur, id quod Numiſma arguit, ſed & ambitio ejus, & Sacerdotium Auguſti. Perſuadet locus Taciti, Annal. Lib. XII. licet de Livia non loquatur, *ſuum quoque faſtigium Agrippina extollere altius, CARPENTO Capitolium ingredi: QUI MOS SACERDOTIBUS & SACRIS ANTIQUITUS CONCESSUS, venerationem augebat fœminæ.* Si hoc admittam, inquit ARCHÆOPHILUS, cautè videtur Numiſma non AUGUSTÆ, ſed AUGUST. inſcriptum, ut ſcilicet non tantùm *Auguſtæ*, ſed & *Auguſti* legi poſſit, intelligique, Auguſti ſacerdoti Carpentum decretum. Si hoc arbitreris, reſpondit DULODORUS, ſacerdotium ſub Carpento intelliges, cùm autem uſus Carpenti latius pateat, eò Numiſma non reſtringerem, præſertim cum non ſtatim à Morte Auguſti, quô tempore Sacerdotium Julia nacta eſt, ſed octavo poſt eam annô percuſſum ſit. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an tanta tunc Juliæ adhuc authoritas? aut, an tanta Senatûs Populique libertas? cùm tamen Tiberius ab initio ſtatim imperii honores Juliæ pleroſque impedierit? Eos impedivit, reſpondit DULODORUS, quos ſuprà ſexus ſui decorem Julia affectabat: Carpentum autem mulieri conveniebat, adeoque quid mirum, ſi Tiberius id decerni, ſuoque ſub auſpicio & nomine ſignari permiſerit? Sed ad ipſum tranſimus.

TIBERIO
STATUA HABITU MERCURII CARTHAGINE POSITA.



Rariſſimum hoc Numiſma eſt, infit ARCHÆOPHILUS, idque ob caput Tiberii, quod rarius exprimi ſolet; Noſcitur enim non effigie tantùm, ſed & Inſcriptione: TI CAE. DIVI AUG. F. AUG. IMP. . . . . . Quid autem deſignet Mercurium, cùm tamen hunc nullum inſigne determinet? Galerus, inquit DULODORUS, in capite *alatus* eſt, aliique ac Mercurio dari nequit; Imò & Caduceum manu præferentem deprehendo, licet iniquitas temporis hîc Numiſma valdè corruperit. Sit ita, excepit ARCHÆOPHILUS, unde autem tu ſtatuam hanc Tiberio poſitam demonſtras? An ex Tiberii facie? Non ex hac tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed etiam ex Permiſſu Romani Proconſulis, ita enim inſcriptio PERMIS. P. CORNELI. DOLABELLÆ PROCOS. C. P. CAS. DD. C. P. Dolabella Proconſul, inquit ARCHÆO-

CHÆOPHILUS, etiam in Numiſmate Tiberii apud Cl. Vaillantium legitur, quamvis alia cum figura, & inſcriptione in fine mutilâ: ſed is Numiſma, licet in Africa ſignatum, ex nomine Proconſulis afferat, qui Tacito memoratur, tamen quòd nomen Civitatis in eo detritum fuerit, inter incerta poſuit: Indeque mirari ſubit, unde Tu Carthagine propoſitum ſignatum afferas? Ex ſimulacro Mercurii, reſpondit DULODORUS, adjectisque ei literis C. P. has enim, cum prioribus junctas, quid interpretaberis, ſinon: *Cajus & Publius Caſſii Decuriones Carthagine Poſuerunt?* non quòd nulla in Africa civitas fuerit, cujus nomen à litera C. inceperit, ſed quòd nulli harum tanta ratio fuerit Mercurium ſignandi, ac Carthaginenſibus. Ego potius pro Clupea ſentirem, inquit ARCHÆOPHILUS; Plinio enim teſte, *Clupea in Mercurii Promontorio ſita erat*. Clupea, reſpondit DULODORUS, non Colonia, ſed eôdem Plinio teſte, *libera* fuit. Carthaginem autem Coloniam jam Cæſar deduxerat, id quod ex Dione patet, noſtroque Numiſmati non parum opitulatur. Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, quidni etiam nummum Vaillantii hac in urbe ſignatum arbitremur? Quid obſtet, reſpondit DULODORUS, non video. Imò ego etiam alium apud eundem, Druſi honori ſub Aproniano tertium Proconſule percuſſum, eodem referrem, idque vigore Mercurii, cujus in eo caput viſitur, & cum noſtro egregie conſentit, quanquam laudatiſſimus author maluerit ad Leptin parvam reſpicere, eò quòd & Leptis magna ſub Tiberio Mercurium expreſſerit. Valeant hæc, utcunque poſſunt, excepit ARCHÆOPHILUS, mihi tamen ad propoſitum adhuc pro Clupea ſentire placet, cùm hoc oppidum, in promontorio Mercurii ſitum utique Plinius apertè dicat; ubi enim, & quid ſimile de Carthagine? Carthago, reſpondit DULODORUS, licet in promontorio Mercurii non jacuerit, haud tamen procul ab eo diſtabat; Mercurium ſanè impensè eam coluiſſe, vel hoc argumento eſſe poſſet, quòd promontorium hoc ditione ſuâ comprehendit, ipſaque Clupea Straboni *Carthaginenſium urbs* vocetur. Non alium autem hîc intelligi debere Mercurium, quàm eum, qui in promontorio colebatur, ex ipſo nummo palàm eſt. Saxo enim inſidet, non perpendiculariter jacenti, ſed pronô, & cùm apice, cui Mercurius inſidet, quaſi in Mare protensô. Subeunt

TIBERII SPINTRIÆ,

Et quidem N. VIIII. cum venere averſa, & N. XVI. cum adverſa, quos Tibi oſtendere quam publicare malo; vereor enim, ne caſtioribus talia offenſæ ſint. Caſtis, inquit ARCHÆOPHILUS, omnia caſta ſunt: Simulati, licet publicè carpant, libidinoſis tamen oculis pabulum objectum in ſinu gaudent; Sunt enim

Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.

Sed hos non curamus, neque enim eô fine hæc producerentur, ut exemplum præbeant; ſed ut hominum etiam inter priſcos malitiam detegant & ſi[illegible] [illegible]-teſtentur, eôdem auſu, quô & Goltzius concubitum Sapphûs vulgavit [illegible] hæc puellas amare docuiſſet; ſed ea modeſtiâ, ut quæ dici poſſent, iis rel[illegible]n-quantur, qui ex profeſſo viſcidam hanc mentium humanarum materiam tractârunt. Quicquid ſit, reſpondit DULODORUS, mihi ſuffecerit ſenilem Tiberii ſtultitiam hîc notare, quæ talibus Nummis originem dediſſe, vulgò creditur. De ea ſequentia narrat Suetonius: *Seceſſu Capreenſi etiam Sellariam excogitavit, ſedem arcanarum libidinum, in quam undique conquiſiti Puellarum & exoletorum greges, monſtroſique concubitus repertores, quos SPINTRIAS appellabat, triplici ſerie connexi, invicem infeſtarent ſe coram ipſo, ut aſpectu de-*

 ficien-

ficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam diſpoſita, tabellis ac ſigillis laſciviſſimarum picturarum & figurarum adornavit, libriſque Elephantidis inſtruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatæ ſchemæ deeſſet &c. Sed hæc ad notitiam Numiſmatum ſufficiunt; neque enim dubium videtur, numeros adjectos, numeros Tabellarum obſcœnique ſchematis arguere. Non ſchematis tantùm, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & ſchematis in lucta Victoriam; ideò enim numerus hic laureâ videtur circumdatus. Niſi potius coronam hanc Myrteam arbitreris, repoſuit DULODORUS,; Myrtum enim Veneri ſacram fuiſſe, indubium eſt, & Victoriis Venereis aptam, vel inde colligas, quòd Venus eâ redimita in Dearum certamen memoratur deſcendiſſe. Sed libidinoſa conjunctio fructum non intendit; Maritalis vel cœlitùs beatur.

DRUSO TIB. FIL.
GEMELLI EODEM PARTU EDITI, PACIS ET ABUNDANTIÆ PIGNORA.



Gemellos Druſo, inquit ARCHÆOPHILUS, eôdem partu editos, ex Tacito conſtat, an autem eò pertineat Numiſma, dubitari poteſt; percuſſum enim eſt cùm Druſus, ut ex inſcriptione patet, *ſecundam* jam *tribuniciam poteſtatem* obtineret, Gemelli autem editi narrantur ſtatim poſt Germanici mortem, quatuor ante ſecundam Druſi Tribuniciam poteſtatem annos. Ita ſanè Tacitus ſub finem Lib. II. Annal. *Recenti adhuc Mœſtitia, ſoror Germanici Livia, nupta Druſo DUOS VIRILIS SEXUS ſimul enixa eſt, quod rarum lætumque etiam modicis Penatibus, tantô gaudiô Principem affecit, ut non temperaverit, quin jactaret apud Patres, nulli ante Romanorum ejuſdem faſtigii viro geminam ſtirpem editam.* Hæc benè obſervas, reſpondit DULODORUS, quanquam aſſerto nihil derogent. Quid enim, ſi typus annô nativitatis inventus, poſt quadriennium SC. recuſus ſit? Annô nativitatis inventum, arguit Numiſma Triſtani, in quo in averſa iidem, caduceum medium reſpicientes, & ex cornubus copiæ emergentes Gemelli, qui & in propoſito: ſed averſa non SCtum, non Pontificatum, non Tribuniciam poteſtatem, ſed caput Druſi exhibet, DRUSUS CÆSAR. TI. F. DIVI. AUG. N. inſcriptum. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed Cornua-copiæ ibi uullo fructuum genere ornantur, in propoſitis autem ex utroque, niſi fallor, Uva dependet, an quod Bacchi munera Druſus amaret? hoſque ſuos Gemellos ex Bacchici liquoris abundantia ſibi videretur genuiſſe? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, Druſi enim vinolentia in propatulo jacet: Adeò ut hanc etiam Senatus hoc invento ſubſpecie honoris ſugillaſſe credi poſſit, præſertim, quum nativitas hæc Gemellorum, eôdem Tacitô authore, Populo dolorem tulerit, tanquam auctus liberis Druſus, domum Germanici magis urgeret. Prodeunt

GER-

GERMANICUS ET CAJUS.



lique tribus in Numifmatibus, omnibus fub Cajo percuffis, omnibus à Patino am vulgatus. At rara funt, inquit ARCHÆOPHILUS, ideoque vel hoc nomine denuò proponenda. Duo pofteriora, refpondit DULODORUS, non tantùm ob raritatem veniunt iteranda, fed etiam quòd capita laureâ careant, quâ apud Patinum redimita proftant, ut taceam literam M. in voce GERManicus omiffam. In priore cum vocem ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ ærugo detraxerit, dubium Patini an ΓΟΡΤΙΝΙΩΝ? an verò ΓΟΡΤΙΝΙΟΝ, legi debeat? ntactum dimittere cogimur. Sequuntur

CLAUDIUS ET AGRIPPINA
CUM
AGRI FERTILITATE ET CURA ANNONAE.



Claudium, excepit ARCHÆOPHILUS, licet nomine vetuftate abfumtô, arguunt tamen faciei lineamenta: Agrippinam autem evincit infcriptio, licet Cereris coronâ infignitam. Quid autem fertilitatem agri? Quid curam annonæ? cùm Spicæ & Panarium etiam aliorfum detorqueri poffint. De cura annonæ, refpondit DULODORUS, adftipulatur Suetonius cap. 18. *Arctiore* inquit, *annonâ ob affiduas fterilitates, detentus quondam mediô forô à turba, convitiisque ac fimul fragminibus panis ita inftratus, ut ægrè non nifi pofticò evadere in Palatium valuerit, nihil non excogitavit, ad invehendos etiam tempore hiberno* com-

commeatus. Nam & Negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno si cui quid per tempestates accidisset, & naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit. Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, curam Annonæ quidem adstruunt, sed simul & fertilitatem negant, non minus ac illa Dionis: λιμȣ͂ τε ἰσχυρȣ͂ γενομένȣ, ȣ̓ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν ἀλλὰ καὶ τῆς ἐς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα αἰῶνα πρόνοιαν ἐποιήσατο. ἐπεισάκτȣ γὰρ παντὸς ὡς εἰπεῖν, τȣ͂ σίτȣ τοῖς Ρωμαίοις ὄντος. *Fame ingenti exorta non modò ad præsens tempus copiæ alimentorum, verùm in perpetuum prospexit. Nam frumentum quô Roma utitur, omne propemodum aliunde advehitur.* Quæ verba utique ad manum spicas cum papaveribus porrigentem apprimè quadrant; Quis enim dubitet, annonæ abundantiam Populo Romano ab imperatore exhibitam hoc schemate adumbrari? Rectè sentis, inquit DULODORUS, quanquam opinionem de fertilitate agrorum non videaris evertere. Numismata hæc non Romæ, sed in Ægypto, aut alia quadam transmarina regione percussa, ex inscriptione Græca noscuntur. Quid mirum igitur, si hæ fertilitatem agrorum suorum sub Claudio jactent, cùm tamen, nisi hæc præcessisset, tanta inde annonæ copia Romam devehi non potuisset? Adde quòd hanc agrorum suorum fertilitatem ritè utique Claudii beneficio adscribere videantur, quicunque Numisma prius signarunt; cùm hujus liberalitate frugum apud se pretium, & cum pretio agri colendi studium, procul dubio creverit: adeò ut pulchrè *Numismate primo* frugum abundantiam & fertilitatem sibi à Claudio quasi manu porrectam innuant: *Numismate secundô* autem, Agrippinam, tanquam alteram Cererem, tanti beneficii promam condam venerentur. Verisimiliter hæc dicuntur, inquit ARCHÆOPHILUS, sed unde rem probabis? ex ipsis Numismatibus, respondit DULODORUS. In primò enim ΕΥΤΟΚΙΑ satis adhuc clarè, nisi fallor, manipulo adjicitur. Ἐυτοκία, inquam, quæ fœcunditatem aperte designat. Fœcunditatem partûs, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc vox designat, an autem eadem etiam de agris sumatur, & fertilitate terræ? Quidni? respondit DULODORUS, cùm tamen ager καρποτόκος Epigr. Libro I. dicatur. Ita & Æsch. apud Athenæum, observante Stephano, de Terra: Τίκτεται βροτοῖς μῆλον τε, καὶ βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον. Succedunt

NERO ET OCTAVIA.



Nummum hunc, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Patinus, & quidem post Tristanum vulgavit. Vulgavit & Vaillantius, & omnes quidem proposito integriorem, adeò ut non videam, quid causæ subesse possit, ut actum jam denuò agamus: præsertim, cum commentum de *Urino & Volumnio* Diis, post illustrissimum SPANHEMIUM Vaillantius jamdudum exploserit, non URINO, sed LURINO, legendum asserens. Duo movent, respondit DULODORUS. *Primò* enim in nostro, literis hoc loco satis evidentibus, non LURINO, sed LUPINO legitur,

legitur, quod indicare utique neceſſe eſt, ut videri poſſit, an & in aliis ita habeatur? *Deinde*, quòd communiter nomina hæc *Volumnio Lupino* dividant, duobusque diverſis tribuant, neſcio an ſatis accuratè fiat: Quidni enim Lupinus Volumnii cognomen ſit? Id non dixero, excepit ARCHÆOPHILUS, II. viros enim adjectus numerus II. apertè demonſtrat, & opinioni tuæ etiam illud obſtat, quòd in alio Numiſmate *Lurinus*, an *Lupinus*, Volumio non poſt-ſed præponatur, uti apud eosdem, Patinum ſcilicet, & Vaillantium videre eſt. Ordo, reſpondit DULODORUS, nihil obſtat, jamdudum enim ex Illuſtriſſimo SPANHEMIO Diſſ. VI. p. 365. monui, *Cognomina interdum Nominibus præponi ſolere.* Ita nec adjectum Numerum in contrarium adduxeris, cùm is non *IIviris*, ſed *IIviro* legi debeat, non minus ac in aliis Neronis Nummis, apud eundem Vaillantium in Coloniis, ubi T. CLAUDIO OPTATO II. viro, C. JULIO POLYÆNO II. viro, P. VINICIO II. viro, Q. FUL. FLACCO II. viro, ipſe Vaillantius legit. Perſuades, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem aſtra, *Sol* & *Luna*, capitibus Neronis & Octaviæ impoſita? An vera conjectura Triſtani, qui votum Amoris & Concordiæ Æternæ ſub iis latere arbitratur? Sol & Luna, reſpondit DULODORUS, æternitatis quidem ſymbola ſunt, ſed in æternitatis manu. Capitibus Imperatorum & imperatricum impoſiti, non tam æternitatem, quàm cum aſtris illis convenientiam videntur arguere, quòd ſcilicet Imperator Imperio Romano idem ſit, quod Sol orbi terrarum: Imperatrix idem, quod Luna. Hinc non tantùm Cæſares Soli orienti paſſim collatos videas, ſed & Cleopatræ liberos Solis & Lunæ nomine inſignitos. Sequuntur

NERO ET AFRICA.



In Numiſmate ab Acraſiotis Lybiæ percuſſo. An ii hi ſunt, excepit ARCHÆOPHILUS, qui & nummum Severi cum effigie Æſculapii, & Elagabali cum icone Dianæ Epheſiæ ſignarunt? Ita ſentit Harduinus, inquit DULODORUS. Ego autem cum Cl. Vaillantio hos nummos malim ad Acraſiotas Phrygiæ referre, cùm utique Æſculapius & Diana Epheſia his magis conveniant; Quanquam Reverendiſſimo Harduino vel hoc nomine gratias debeam, quòd Acraſum Lybiæ, ex Notitia Eccleſ. pag. 15. & 49. produxit, ubi inter Lybiæ Epiſcopos etiam ὁ Ακρασȣ͂, & ὁ Ακράσσȣ memoratur, non minus ac ex Leunclavio, apud quem pag. 94. pariter ὁ Ακρασȣ͂; Licet enim ad hanc Acraſum Nummi Severi & Elagabali, ut dictum non videantur pertinere, inde tamen conſtat, Numiſma propoſitum eò loci percuſſum eſſe, cùm non inſcriptio tantùm AKPA, ſed & Caput Africæ Elephanti proboſcide ornatum, rem extra dubium ponant: Indeque omnem Africam Neroni devotam eſſe, Acraſiotæ hoc ſymbolo indicare voluiſſe, facile utique collegeris. Veriſimiliter

 hæc,

hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem Lineæ, aut literæ ante Africæ collum, L.H? Annum octavum indicant, respondit DULODORUS, Imperii scilicet Neronis, quô Corbulo rem à Cæsennio contra Parthos in Asia malè gestam fortitudine restituit, sinistramque adeò de Neronis imperio famam aliquantisper dissipavit: adeò ut mirum non sit, si tunc potissimùm etiam remotissimorum in Nummis Nero celebretur: Non mirum, si cultu eô cupidine invisendæ non Græciæ tantùm, sed (ut Tacitus, quanquam sub anno sequente, habet) etiam Ægypti fuerit incensus, quàm tamen expeditionem omisit, cùm ad templum Vestæ, tremore internô correptus esset. Ultra pergimus. Ut ex nummis sequentibus patet,

NERO
VENATIONES ET LUDOS CIRCENSES EDIDIT.



Conturniata sunt hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, & typis suis opinionem eorum videntur stabilire, qui talia percussa existimant, occasione Circensium. Non typi tantùm, respondit DULODORUS, sed & additus Circulus id innuunt; Quis enim dubitat, Circulum à Circo derivari, indeque hujus indicium esse posse? adeò ut assertum eorum, qui ejusmodi Nummos ultra Constantini tempora rejiciunt, utique fragili fundamento laboret; Quæ enim tunc Neronis, aliorumque ratio poterit fuisse? Artificium, regessit ARCHÆOPHILUS, tersissimum Neronis ævum non attingit. Pleraque ejusmodi Numismata rudiore cælo facta sunt. Quid tum? respondit DULODORUS, an nescis hodienum non omnia exquisitâ arte Numismata cudi? Quid si Temporis brevitas & festinatio, aliave causa rudius artificium expresserit? quæ ratio & esse potest, ut iidem typi diversis sub imperatoribus repetiti prostent. Sic Aprum Venabulo juxta arborem à Venatore exceptum, assiliente feram cane, videbimus eôdem planè modô sub Vespasiano. Si hæc ita sint, excepit ARCHÆOPHILUS, non capio, quâ ratione talia extra Romam percussa Erizzus tradat? Artificii ruditas, respondit DULODORUS, & absentia SC. hunc moverunt; quæ tamen mihi sufficere non videntur. Cæterum ex his palam est, in primo non Meleagrum, sed vel ipsum Neronem, ut & in secundo agnosci debere: vel in genere ad editas in Circo Venationes & ludos Circenses Numismata esse referenda. De utrisque unico Sueotnii loco satisfecero: *Nec multò post*, inquit, *duxit uxorem Octaviam, ediditque pro Claudii salute CIRCENSES & VENATIONEM.* Hoc Claudiô adhuc vivô factum, excepit ARCHÆOPHILUS, Numismata autem Nerone jam imperatore percussa ex inscriptione noscuntur. Rectè mones, inquit DULODORUS; Sed juxta cogites velim, Venationes & Ludos Circenses ei quasi avitos fuisse.

De

De avo enim ejus Domitio idem Suetonius: *Non minus AURIGANDI arte in adolescentia clarus, quàm deinde ornamentis Triumphalibus.* Et iterum: *VENATIONES & IN CIRCO & in omnibus urbis regionibus dedit.* Hæc si avus, quidni & Nepos? cùm tamen idem Author & de hoc: *Spectaculorum plurima & varia genera edidit, juvenales, CIRCENSES, scenicos ludos, gladiatorium munus.* Et paulò post: *Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque Equites R. & quosdam fortunæ atque existimationis integræ ex iisdem ordinibus, CONFECTORESQUE FERARUM, & ad varia arenæ ministeria.* Nota *Confectores ferarum!* ad quid enim hi, nisi & venationes edidisset? Id quidem fateri cogor, inquit ARCHÆOPHILUS, sed dubito, an de Venatione in Circo edita typus sumi possit, cùm arbor apposita utique rem apertè ad Sylvas reducat? Quasi verò, respondit DULODORUS, arbores in Circo absuissent. Audi Vopiscum de Probo: *Venationem*, inquit, *in CIRCO amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. ARBORES validæ permilites radicitus vulsæ, connexis longè latèque trabibus, affixæ sunt; terra deinde superjecta, totusque CIRCUS ad SYLVÆ consitus speciem, gratiâ novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille Cervi, mille APRI.* Non tantùm de *arboribus*, inquit ARCHÆOPHILUS, sed etiam de *Apris* locus instruit, quid autem ad Circum & Quadrigas? Nil nisi Suetonii testimonium, respondit DULODORUS. *Equorum studio vel præcipuè ab ineunte ætate flagravit, plurimusque & sermo, quanquam vetaretur, de CIRCENSIBUS erat. Cùm inter initia imperii eburneis QUADRIGIS in abaco luderet, ad omnes etiam minimos CIRCENSES commeabat è secessu, primò clam, deinde propalam. Mox & IPSE AURIGARE atque etiam spectari sæpius voluit, positoque in hortis inter servilia & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in CIRCO præbuit.* Sed hæc ad propositum satis. Imò de Titulis adhuc dicendum, inquit ARCHÆOPHILUS; video enim non *Germanicum* tantùm cognominari & *Pontificem maximum*, sed & *Imperatorem* & *Patrem Patriæ*; cùm tamen Suetonius, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus *Patris Patriæ* nomen eum recusasse, author sit. Id primo imperii in limine, respondit DULODORUS, sed hoc non obest, ut eum titulum paulò post admisisse credatur: Ut proinde Numisma cum Circo ad prima imperii exordia ritè referas, utpote titulo P.P. omissô, alterum autem ad annum imperii primum quidem, ut ex TR. P. patet, sed exeuntem, postquam jam & *Imperator* & *Pater Patriæ* audiit, qui tituli etiam in aliis Numismatibus leguntur. *Germanicum* dictum, hæreditario jure, non quòd ipse Germanos vicisset, sed quòd à Claudio Claudiique parente Druso, per adoptionem descenderet, ex Suetonio recordaberis, ubi de Druso. *GERMANICI cognomen*, inquit, *ipsi POSTERISque ejus.* Subit

VESPASIANUS
IMPERII PIGNUS A VICTORIA RECIPIENS,



In Numismate, cujus nec apud Illustrissimum Mediobarbum, nec apud alium quemcunque, quem equidem viderim, mentio exstat. Victoriam, inquit ARCHÆOPHILUS, Vespasiano dextram porrigentem in pluribus vidi. At non vidisti porrigentem Palladium, excepit DULODORUS, qualiter hîc pingitur, apertò indiciô, sub Victoria hâc eam intelligendam esse, quâ Vitellium, fusis ejus ad Cremonam copiis, & imperio & vita spoliavit, cujusque nuncium memoratur accepisse, cùm adhuc Alexandriæ subsisteret. Nummus Romæ percussus est, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem SCto. Ea ratio opinionem confirmat, respondit DULODORUS; neque enim Roma, nisi Vitelliô dejectô, tale Numisma in Vespasiani honorem cudere publicô consiliô potuisset. Quis autem dijudicabit, inquit ARCHÆOPHILUS, annon ad Victoriam Judaicam hæc pertineant? cusumque sit Numisma tempore Triumphi de Judæa amplissimi? Inscriptio adversæ obstat, respondit DULODORUS, Triumphum enim de Judæa Cos. III. egit, at in Nummo, licet inscriptio post TR. P. detrita sit, nec spacium tamen, nec literarum vestigia, nisi literas Cos. I. admittunt: Quô positô utique apertum est, anno imperii primo Numisma percussum esse, adeoque Victoriam de Vitellio denotari, Triumphum autem de Judæa excludi. De Palladio Imperii pignore res vulgata est. Nisi forsan Romæ hoc simulacrum sit, excepit ARCHÆOPHILUS, Imperium enim Vespasianus Vitelliô nondum devictô receperat. Quicquid statuas, respondit DULODORUS, perinde est, sive Romam Imperii caput, sive Palladium, imperii pignus. Romam Palladis ritu armatam nemo nescit; Mihi tamen pro Palladio sentire vel ideò lubet, quòd majus sit, imperii pignus habere, quàm habere Romam. Illud imperii firmitatem promittit, hæc sæpissimè vel se obtinentibus fata rupit, id quod suo malo & interitu etiam Vitellius ostendit. Sequuntur

VESPA-

VESPASIANUS ET SERAPIS, CUM AUXILIIS ET COMMEATU AD BELLUM JUDAICUM.



Serapis, excepit ARCHÆOPHILUS, in priore Numiſmate ex Calatho noſcitur; Quid autem Serapis ad Veſpaſianum? Plus quàm ad reliquos Imperatores, reſpondit DULODORUS; licet enim etiam in horum Nummis interdum occurrat, aperta tamen de Veſpaſiano eſt hiſtoria apud Tacitum & Suetonium, quòd ſub initia Principatûs Alexandriæ, Serapidis potiſſimùm ope, Generis obſcuritati authoritatem conciliaverit, cœco ad Dei vaticinium oculos reſtituendo, debilique manum, aut ſi mavis, pedem confirmando. Tantâ ſanè poſt ſucceſſum veneratione hoc Ægyptium numen dignatus eſt Imperator, ut & Templum ejus adierit, & apparente Baſilide, qui procul ab Alexandria æger detinebatur, de imperio confirmatus legatur. Id ab initio factum, repoſuit ARCHÆOPHILUS: Numiſma autem, ut ex adjectis literis Numeralibus L. E. conſtat, *Annô* Imperii *Quinto* percuſſum eſt. Quid tum? reſpondit DULODORUS. Annon licuit Ægyptiis per totum imperii decurſum id facti renovare? gratiamque imperatoris, ejus memoriâ aucupari? Et qua re id poterant aptius, quàm Numiſmate? Ad ſecundum Numiſma tranſeo, inquit ARCHÆOPHILUS. Id Veſpaſiani eſſe, non tantum ex *dura nitentis facie*, quæ utrinque evidentiſſima eſt, ſed etiam ex ſuperſtite inſcriptionis fragmento diſcimus. Quid autem in averſa? An figura muliebris turrita cum vexillo & Cornu-copiæ? Talis omninò, reſpondit DULODORUS, indeque agnoſcis Genium urbis alicujus eſſe, Imperatori Copias militaris, quæ vexillo denotantur, & commeatum offerentem, qui ſub Cornu-copiæ latet. Cujus autem urbis hic Genius ſit, ob ereptam ærugine inſcriptionem difficile eſt determinare. Ante vexillum, excepit ARCHÆOPHILUS, video literas BΛP. Hæ numerales ſunt, inquit DULODORUS, indicantque Numiſma Anno 132. percuſſum eſſe: Cujus autem Æræ, cum nomen urbis deſit, haud facile dixeris. Inveſtigandum, excepit ARCHÆOPHILUS, quænam Æra Imperante Veſpaſiano tot annos numeraverit? Hôc enim inventô, utique etiam de urbe poterimus pronunciare. Et quidem, niſi fallor, nulla Æra propior eſt, quàm Philadelphenſium Cœleſyriæ; Hæc enim cum AVC. 691. Autonomiam acceperit, eôdemque, probante ex Chronico Alexandrino Eminentiſſimo Noriſio, Epochæ ſuæ initium radicaverit, Titoque inde Numiſma L. ΓMP. anno 143. ſignaverit, Titi ſcilicet ultimo, apparet Numiſma noſtrum ſub initia Veſpaſiani percuſſum eſſe, cùm Titus adhuc in Judæa belligeraret: Ut proinde ex his Philadelphenſium nomen detritum ritè utique

 arbitre-

arbitreris. Id credere, reſpondit DULODORUS, per me quidem liberum erit: quanquam juxta conſideres velim, non Philadelphenſes tantùm, ſed in genere omnes CœleSyriæ urbes, eandem à Pompejo Αὐτονομίαν adeptas eſſe, eandemque etiam deinceps Æram ſignaſſe, id quod exemplo Gadaræ, Doræ, Gazæ & Raphiæ Eminentiſſimus Author ex Nummis probat: Quô poſitô utique adhuc dubium manet, ad quam Cœle Syriæ urbem Numiſma pertineat? Quamcunque autem ſtatuas, illud minimùm ex Typo certum erit, Veſpaſiano Romanorum Imperatori, cujus auſpiciis Titus in vicinia bellum contra Judæos urgebat, ut dictum eſt, & vires bellicas eam miſiſſe, & commeatus ſuppeditaſſe. Prodeunt

VESPASIANI
VENATIONES CIRCENSES,



Hujus Numiſmatis Typus, inquit ARCHÆOPHILUS, in averſa idem planè eſt, qui fuit & ſub Nerone, cumque Conturniatum & ipſum ſit, eundemque artificii redoleat genium, apertè utique evincit, eôdem tempore talia ſignata eſſe, licet diverſa Imperatorum capita oſtendant. Conjectura hæc, reſpondit DULODORUS, acutiſſimi noſtri Morellii eſt, qui plura de Numiſmatibus Conturniatis, ſcitu non indigna, ad Tab. III. Speciminis Rei Nummariæ antiquæ, edit Lipſ. tradidit; ſed dabit veniam Vir celeberrimus, ſi eam nondum admittam; Nero enim & Veſpaſianus tantùm non diſtant, ut unius horum Numiſmata artificis fuiſſe, credi non poſſint; Trajani, quod infra vulgabimus, multò his adhuc rudius eſt, adeoque differentiam non temporis, ſed & artificum apertè demonſtrat. Ruditatem artificii ſupra ex celeritate excuſavi, aliave quadam cauſa nobis incognita, quæ allegari etiam poterit, ad Typum averſæ, ex Neronis Numiſmate in Numiſma Veſpaſiani translatum; Eôdem enim id modô credi poteſt factum eſſe, quô hodiénum Artifices, Numiſmatum formas permutare, diverſiſque vel averſas adverſis, vel adverſas averſis accommodare ſolent. Utcunque hæc ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, in parvo equidem diſcrimine pono; An autem Veſpaſianus Venationes in Circo ediderit, id quod ſecundum ea ſtatuendum erit, quæ ad Nummum Neronis docuiſti, haud abs re utique dubitem; Quis enim Authorum earum meminit? Dio è Xiphilino, reſpondit DULODORUS, ita enim Lib. LXVI. σφαγὰς δὲ ὁ Οὐεσπασιανὸς θηρίων μὲν ἐποιεῖτο ἐν τοῖς θεάτροις. *Cædes belluarum Veſpaſianus fecit in Theatris.* De *Theatris* loquitur author, excepit ARCHÆOPHILUS, Numiſma autem ad *Circum* pertinere, uti ſupra dixiſti, ex addito ei Circulo patet. Hoc me non ferit, reſpondit DULODORUS; Licet enim Theatra propriè Comicis, Amphitheatra Venationibus & Luctis, Circi curſibus inſer-

inſervierint, conſtat tamen, antiquiſſimis temporibus, quibus Theatra & Amphitheatra nondum erant, omnes indiſtinctè ludos in Circo celebratos, indeque & *Circenſes* dictos, licet alibi agerentur, idque more tantò tolerabiliore, quòd Theatra Semi-Circulum, Amphitheatra autem Circulum integrum obtinerent, adeoque & ipſa Circulô in Nummo expreſsô præfigurari poſſent. Subit

VESPASIANUS
CUM
JOVE SALAMINIO,



Ita Celeberrimus Vaillantius, excepit ARCHÆOPHILUS, idque in Præſtantioribus p. 98. ubi & novam de Inſcriptione ſententiam tradit, ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ non de *Anno Novi Templi*, ſed de *Anno novo ſacro* interpretatus, quòd ſcilicet poſt tres Principes, ſub quibus afflicta nutansque Reſpublica fuerat, Anni Veſpaſiani, in omen & augurium Fauſti Sanctique ejus Imperii, quòd ille Rem Romanam renovaturus atque reſtauraturus erat, non *novi* tantum, ſed & *ſacri* ſint vocati. Rectiſſimè hæc Vaillantius, inquit DULODORUS, quanquam nudâ conjecturâ rem videatur aſſequi. Imò hoc mihi dubium movet, repoſuit ARCHÆOPHILUS; Quidni enim cum Cl. Seguino Æram *Novi Templi* hîc ſtatuamus, quòd ſcilicet Veſpaſianus Templum Jovis Capitolini reſtituerit? Hanc ſententiam, reſpondit DULODORUS, jure rejicit Vaillantius, idque non tantùm, quòd Jupiter *Salaminius* hîc, & non *Capitolinus* fulgeat; ſed etiam, & quidem præcipuè, quòd & Titi, & Domitiani, & Nervæ Numiſmata eandem Inſcriptionem præferant, annum autem à primo Veſpaſiani non numerent, ſed ſui cujusque regiminis exprimant: Ita Nervæ Nummus, ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. & Β. inſcriptus, ſanè non de anno novi Templi, ſed de anno Imperii ipſius Nervæ intelligi & poteſt & debet. Capio rationem, inquit ARCHÆOPHILUS, unde autem Jovem Salaminium agnoſcas non video. Ex ſimili ejus ſimulacro, reſpondit DULODORUS, in Numiſmate Druſi apud eundem Vaillantium de Coloniis, ubi ante templum Veneris Paphiæ ſtat, dilucidaturque, non tàm verbis Taciti, quibus Templum ejus à Teucro conditum diſcimus, quàm Lutatii, quæ Meurſius citat, aram Jovis Deæ Veneris proximam fuiſſe, aſſerentibus. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm autem humanis Victimis hunc Jovem Cyprii placaverint, vereor ut immanis ſacrificii memoriam hoc ejus ſimulacro credi poſſint renovaſſe. Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm utique Imperatori Ethnico potius devotionis ſuæ magnitudinem eô factô videri poſſint demonſtraſſe, utpote qui non vulgares pro ejus ſalute Victimas immolarent; Sed aliud adhuc connotari arbitror. Et quid? interrogavit ARCHÆOPHILUS; neque enim

enim aliud quid video. Originem Sacrorum, respondit DULODORUS, in Patera, quam Jupiter hic prætendit; Cyprios enim rationem sacrificandi invenisse, docet ex Gregorio Nazianzeno, Tatiano, aliisque Meursius in Cypro. Quid hoc ad Vespasianum? excepit ARCHÆOPHILUS. Ut indicarent Cyprii, non sua tantùm Vota pro salute Imperatoris vigilare; Sed & omnia totius Orbes Romani sacra suô beneficiô concurrere. Hoc quidni gratum fuerit Imperatori extremô jam seniô vitæ longioris haud dubiè cupido? Ultimis enim Imperii annis hos nummos signatos, ex numeris H & Θ VIII. & IX. apertum est, cum Anni Imperii, ut supra dictum est, his denotentur. Vespasiani uxor fuit

DOMITILLA.



Primum Domitillæ Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, Vaillantio suspectum, & à novo artifice eximiè elaboratum videtur. Fateor, inquit DULODORUS, ejus integritas & elegantia etiam mihi dubium movet; quanquam, quòd aliæ rationes desint, nec genius artificii iis respondeat, quæ moderno cælo elaborata magno numero prostant, ei fidem negare non ausim. Fidem, respondit ARCHÆOPHILUS, sola in aversa Fortuna ei negat; Hæc enim quô modô conveniat Domitillæ, jam inter Divos relatæ? Eôdem, respondit DULODORUS, quô inter Divos relata, Dea credita est; quid enim si matrem Titus, à se consecratam, Fortunæ solium occupasse, adeoque sibi Augusto eandem felicitatem hoc typo innuat conciliaturam, quam alias Fortuna, sive Augusta, sive Augusti, credebatur? Sed Numisma secundum, utpote subæratum, majoris authoritatis erit. Imò & majoris claritatis, excepit ARCHÆOPHILUS. Ad eam pietatem typus refertur, quam in Tito educando & tutando Domitilla adhibuit, cujus memor Titus, illam Pietatis habitu, velatam & sedentem, repræsentari jusserit, cui puer adstat prætextâ togâ vestitus, quam gerere solebant nobiles usque ad 17. annum. An placito accedere possim, inquit DULODORUS, haud abs ratione dubito. Domitilla enim Titulum *Augustæ*, non nisi post obitum nacta est; Quomodo igitur *Pietas Augustæ* inscribi potuit educatio prolis, quam viva adhuc curasse supponitur? Distinguendum, respondit ARCHÆOPHILUS, inter figuras & inscriptionem. Figura Pietatis ad Domitillam pertinet, quæ filium ante se stantem protegit; sed inscriptio Titum concernit, cujus pietas educationis maternæ beneficium hôc typô celebrat; Ne sic quidem assentior, inquit DULODORUS. Distinctio nimis violenta foret, & Titum non prætexta, sed toga virili indutum vel inde colligas, quòd sub hoc *Pietatis Augustæ*, adeoque *Maternæ* ex cœlis *præsidio*, ramum oleæ prætendat, & pacem promittat, quod sanè juvenis, & adhuc privatus, vix est ut credi possit fecisse; Et quale est, quòd Titum non apud matrem, quæ sordidis ædibus habitabat, sed in aula

cum

cum Britannico educatum, Suetonius memorat? ut taceam de velo Pietatis in Numiſmate expreſſæ, quod laxiore circulo caput ambit, adeoque potius æternitatis ſymbolum credi debet, quàm pietatis: taceam & ſceptrum ſiniſtræ, quod & ipſum non Auguſtam, ſed Deam arguit. His ſanè, ut merentur, conſideratis, ad educationem Titi non amplius opinor reſpicies, ſed Pietatem Auguſtæ, etiam inter Divos in filium efficacem agnoſces, eum tam validè tuentem, ut & pacem, populis ſuis communicare potuerit. Si hæc ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, ego nec illud Numiſma rejecerim, quod PACI AUGUSTÆ inſcribitur, Victoriâ caduceum ſerpentis tergo imponente; quid enim, ſi & hîc ſub Victoria, Domitilla jam diva lateat? Rem capis, inquit DULODORUS, indeque typum ex Veſpaſiani nummis translatum ſtatuere, opus non eſt. Sequitur

TITUS
CUM
VICTORIA ET TROPÆO JUDÆÆ CAPTÆ.



Hæc Numiſmata, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Patinum exſtant; ſed nec inſcriptio capitis eadem eſt, nec averſa ſatis videtur dilucidata; Quid enim ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ, an *captæ*? Non aliud, reſpondit DULODORUS; Eſt enim perfectum Participii Medii, à verbo ἁλίσκω, *capio*, cujus futurum eſt ἁλώσω præteritum ἥλωκα & atticè ἑάλωκα, indeque ἑαλωκυία deſcendit. De Victoria Clypeo, palmæ affixo, inſcribente, non minus ac de Tropæo, plura dicere ſupervacaneum arbitror. Triumphi inſignia ſunt, quem Titus de Judæa capta anno VC. 824. cum Patre ampliſſimum duxit. Succedit

DOMITIANUS
CUM
TROPAEIS ET ARCU TRIUMPHLI.



Tropæum, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & Arcum video: Cùmque de Trium-

Triumpho, quem Domitianus præter meritum de Germanis egit, historia testetur, Germanicique cognomen in Numismate priore, Capiti imperatoris appositum sit, dubium non est, quin Tropæum à Tergo Palladis: imò & ab ejus fronte palma, navique cum noctua insistens, & fulmen vibrans Minerva ad eandem, licet scenicam, de Germanis Victoriam pertineant. Eadem, respondit DULODORUS, & in Tribus sequentibus



clarius adhuc adumbratur, Imperatore juxta Rhenum fluvium stante, *imò* & Rhenum calcante: Germano *inde* cum clypeo Imperatori supplice: Et *tandem* Tropæo inter Captivos, stantem scilicet Germanum, & Germaniam clypeis insidentem, erecto. Consulatum in his, inquit ARCHÆOPHILUS, XI. & XII. video, cùm tamen expeditionem Germanicam Domitianus Cos. VIII. susceperit. Triumphi hæc monumenta sunt, respondit DULODORUS, quem Cos. XI. demum egit, indeque nec mirum est, quòd ejusdem decora etiam anno sequenti videamus repetita; Ut autem in his & oblonga Germanorum scuta observari merentur, ita interpretationi inhærere operæ pretium non arbitror, cum res obscura non sit, aliique jam satis eam dilucidaverint. Priora, ut his rariora videntur, ita & stylo operosiore indigent. Oportunè regrederis, inquit ARCHÆOPHILUS; omninò enim docendum, quid Pallas fulmen vibrans? quid eadem cum noctua navi insistens? *Navi insistit*, respondit DULODORUS, ut Rheni transitus adumbretur, quô sensu & Domitianus Rhenum calcans modò apparuit: Navi insistit *cum noctua*, ut prudentia clarescat, quâ in pellendis hostibus Domitianus videri vult fuisse usus: *Fulmen vibrat*, ut fortitudinis & prælii fervor eluceat, quô Germanos à se pulsos mentitus est. Si ipse Domitianus hoc faceret, inquit ARCHÆOPHILUS, asserto acquiescerem, cùm autem Pallas fulmen torqueat, nescio annon ad hanc respiciendum sit, præsertim cùm fulminis jactum, ut aliis jam observatum memini, non minus hæc sibi vindicaverit ac Jupiter. Fulmen, respondit DULODORUS, in alio Numismate etiam Domitianum præferentem videas, sed hoc non obest, ut proposito typo suam simul gloriam cum Minerva credi possit communicasse; Hanc enim præcipuè coluit, totâque vitâ quasi propugnatricem credidit. Id non tantùm patet ex Quinquatriis, ejus honori quotannis in Albano celebratis; sed etiam, & quidem præcipuè, ex somno

ſomno, inſtantis cædis ſuæ prænuncio, quô Minervam ſomniavit ſacrario excedere, negantem ultra ſe tueri eum poſſe, quòd exarmata eſſet à Jove: adeò ut auxilium Deæ quidem hîc adumbratum, ſed ſub eo tamen & Domitiani Virtus videatur expreſſa. Si ita ſentias, excepit ARCHÆOPHILUS, ultra gravis non ero. Ad Numiſma alterum tranſeo, quod niſi fallor etiam Erizzus vulgavit. Rectè ais, reſpondit DULODORUS, ſed noſtrum integrius eſt, & vel ideo locum meretur, quòd Domitianus in eo ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ *Dei* ſcilicet Veſpaſiani *filius* appelletur, quòdque Erizzus literas ΙΔ. non intellexerit, quas tamen numerales eſſe, & cum præcedente litera L. Nummum anno Imperii XIV. ſignatum arguere, nunc in vulgus patet. De arcu ſatisfacit locus Suetonii: *Janos*, inquit, *ARCUSque cum quadrigis & inſignibus Triumphorum per regiones Urbis tantas & tot exſtruxit, ut cuidam Græcè inſcriptum ſit: ARCUI, APKEI.* Non quadrigas huic impoſita video, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed ſejuges. Id gloriam auget, reſpondit DULODORUS, ſejugibus enim & Dii vehebantur, ut exemplo Solis Elagabali conſtat, quem ſejugibus Romam advectum Herodianus prodidit, quanquam Numiſmata non niſi quadrigas exhibeant. Subit

DOMITIANUS
HABITU APOLLINIS, CUM CORVO ET RAMO LAURI.



Apollinem Tu hunc? excepit ARCHÆOPHILUS; At Illuſtriſſimus Mediobarbus *Caput Muliebre* hoc arbitratur, *Oleâ redimitum, cum ramo Oleæ*, cujus in averſa *Corvus ramo Oleæ* inſiſtat? Ex Angelono Numiſma citat, inquit DULODORUS, quanquam Angelonus caput hoc ipſius Domitiani afferat eſſe, capillis tamen longioribus adornatum, ut non niſi fœminæ videatur. Non tamen Oleâ, ſed Lauro ait eſſe redimitum, affixumque collo ramuſculum, an lauri? an palmæ? incertum: Cornicem autem inſiſtere ramo non Oliæ, ſed lauri. Ego pro olea ſentirem, inquit ARCHÆOPHILUS, referremque Numiſma ad Pacem, cujus & Effigies muliebris teſtis eſſe poſſet. Angelonus, reſpondit DULODORUS, ad Minervam reſpicit, cui Cornix etiam Antiquitùs ſacra fuerit, ut ipſa apud Ovidium Met. II. fab. 8.

Data ſum comes inculpata Minervæ;

Sed mihi ſecus videtur; non enim Cornix ramo inſiſtit, ſed *Corvus*, ales Phœbejus, & ſacer tripodum cuſtos: Et quidem ramo non Oleæ, ſed Lauri, cujus corona, ut alia taceam, Horatio *Apollinaris* vocatur: Ut proinde non abs ratione caput hoc laureâ redimitum, ramoque Lauri determinatum, Apollini vindicem, qui etiam aliis in nummis juvenili cultu, fœmineâque planè venuſtate

ornatus proſtat. Sed quid Apollo ad Domitianum? excepit ARCHÆOPHILUS. Id quod uterque ad Poëtas, reſpondit DULODORUS, Poëtas in Apollinis tutela eſſe, nemo neſcit, & Poëtarum certamina Domitianum inſtituiſſe, ex Suetonio conſtat: Conſtat & ex Papinio, qui ut ipſe ad uxorem ſcribit, iis in certaminibus *ter Victor* deceſſit.

Ter me vidiſti Albana ferentem
Dona comes, ſanctoque indutum Cæſaris auro
Viſceribus complexa tuis, ſertisque dediſti
Oſcula anhela meis.

Id in Quinquatriis Minervæ factum, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque adhuc cum Angelono ſentirem. Sub Capite hoc, reſpondit DULODORUS, ipſum Domitianum latere, nec Angelonus inficiatur, indeque quid mirum, ſi is ſub Apollinis ſpecie, tanquam Patronum Poëtarum, etiam in quinquatriis ſe exhibuerit? Neque enim uni tantùm Numini in talibus honos erat, cùm utique & in Quinquennali Jovis Capitolini Certamine, in quo non Gymnicum tantùm & equeſtre, ſed & *Muſicum* celebrabatur, non Jupiter tantùm, ſed & Juno, & Minerva Domitiani coronam ornaverint, imò & ipſius Domitiani effigiem Dialis Sacerdos & Flaviales addiderint. Sed hæc ſi minus placeant, poteris ingenere ad favorem Poëtis exhibitum, reſpicere, de quo Martialis Lib. VIII. Epigr. LXXXII. vel in genere ad Laurum, de quo Poëta ibidem:

Non quercus Te ſola decet, nec Laurea Phœbi.

Vel ad Templum Apollinis à Domitiano exſtructum, teſte eodem Lib. IX. Ep. IV. vel ad Ludos Apollinares, vel certe ad Sæculares, de quibus poſterioribus ſub Domitiano XIII. Cos. celebratis, res vulgatiſſima eſt, pertinetque eo &

SUFFIMENTUM
S. P. Q. R. PUBLICE DATUM.



Itane legis hæc verba? inquit ARCHÆOPHILUS. An autem non brevius diceres, ut communiter: SUFFIMENTUM Populo Datum! Si literæ SPQR. deeſſent, reſpondit DULODORUS, uti deſunt in aliis, tecum ſentirem; cùm adſint, omninò meam lectionem præferrem, ne videlicet neceſſe habeamus vocem *Populo* repetere. Publicè ſanè hunc liberalitatis actum fuiſſe celebratum, vel inde patet, quòd juxta templum Domitianus ſubſtructioni inſidet. Ita & Senatum & Populum in figuris accedentibus, & dextras porrigentibus, facilè diſtinxeris, Senatum ſub *majore* illa, Populum ſub *minore* intelligendo, quòd ſcilicet Senatus Populum dignitate præceſſerit. Veriſimiliter hæc, excepit ARCHÆOPHILUS; ad quid autem vaſa illa coram Domitiano ſtantia? Suffimentis plena erant, reſpondit DULODORUS, ex iisque paterâ depromtum Imperator videtur diſtribuere. Quid erant ſuffimenta? perrexit

perrexit ARCHÆOPHILUS, & ad quid dabantur? Suffimenta, respondit DULODORUS, Festus ex faba, milioque molito, mulso sparso facta, diisque data asserit, eo tempore, quo uvæ calcatæ prælo premebantur. At Erizzus ait fuisse Libamina, id est Sulphur & Thus, quæ populo dabantur ad se expiandum & purgandum ante sacrificia: id quod solenne fuerit in ludis Sæcularibus. Ludos Sæculares certe liberalitati huic etiam sub Domitiano locum dedisse, non tantùm ex Cos. XIIII. sed etiam ex inscriptione LUD. SÆC. palam est. Succedunt

CERES
&
CERIALIA MUNERA.



Angelonus, inquit ARCHÆOPHILUS, caput hoc non Cereris, sed Domitiæ arbitratur, spicis ideò ornatum, quòd in gloriam, vel abundantiæ populo procuratæ, vel frugum populo distributarum, & ipsa venerit. Cæterùm non fasciculum spicarum, sed corbem spicis refertum is publicavit. Talem, respondit DULODORUS, etiam apud Erizzum videas, qui Caput nec Domitiæ, sed ipsi Domitiano adjudicat, explicatque ex Numismate eo, quo distribuente Domitiano Fruges à populo acceptæ, Ludis Sæcularibus celebrantur, additis sequentibus Suetonii: *Septimontiali sacrorum die Senatui Equitique PANARIIS, plebi sportellis cum obsonio distributis.* Optimè hæc, subjecit ARCHÆOPHILUS, Domitiano enim lineamenta Effigiei Cereris egregiè quadrant. Hoc equidem non negarem, respondit DULODORUS, quanquam in cæteris non subscribam; Aliud enim fuerunt Septimontiale sacrum, aliud Ludi Sæculares: Aliud panarium, aliud spicæ in panario. Ita panaria non Populo, sed Senatui Equitique data memorantur, plebi autem sportellæ cum obsonio. Cæterum nec Sæcularium nostro in Numismate mentio est, sed caput spicis coronatum, fasciculusque ex spicis & papaveribus. Si non ad liberalitatem typus referri debeat, excepit ARCHÆOPHILUS, quo respiciam, non habeo. Habebis, respondit DULODORUS, si Domitiani edictum intuearis, quo agriculturam promovere conatus est: quanquam ut præposterô consiliô, ita & irritô successu: De eo Suetonius cap. 7. *Ad summam quandam ubertatem Vini, Frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret, utque in Provinciis vineta succiderentur, relictâ ubi plurimum, dimidia parte.* Mirum! subjecit ARCHÆOPHILUS, si hoc factum Domitiani gloriæ appositum sit, cùm tamen totius Asiæ nomine Scopelianus Sophista ejus executionem fuerit deprecatus, ut Philostratus in ejus vita docet: Imò cum censurâ nec publicâ nec privatâ id caruerit; Notum enim est, quid eôdem memorante Philostrato Apollonius judicaverit:

præclarus, inquit, *Imperator, qui mares castrari vetuit, terram Eunucham fecit*
Noti Libelli, cum his versibus etiam Romæ sparsi:

Κἢν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυνμένῳ.

Omnia hæc, respondit DULODORUS, de vineis exscindendis. De cur autem agriculturæ promovendæ dubitandum non est, quin laudem Domitianus tulerit, & quidem Numismatibus nostris docentibus, ab adulatione tantam, quantam Ceres ipsa, quæ agriculturam memoratur & invenisse & per Orbem terrarum multiplicasse. Fœcunditatis sanè Symbola, sunt capita Papavarum Spicis admixta, eamque laudari publicô monumentô, patet ex adjecto SC. adeò ut vix dubium sit, Domitianum Vineis omissis aliâ ratione agrorum fœcunditatem promovisse. Hoc eò facilius admitto, inquit ARCHÆOPHILUS, quô clarior & in Numismate secundo Ceres stans Domitiano spicas porrigit. Vel hinc intelligis, perrexit DULODORUS, Asiaticos, cùm edictum de vineis exscindendis deprecarentur, vel de Agro frugibus sufficiente, vel etiam de agricultura aliâ ratione promovenda, Domitianum docuisse. Cyziceni enim Asiæ populus erant, eorumque urbs Proserpinæ Cereris filiæ sacra fertur, de qua re ad Cyzicenorum Numisma Tomo I. dictum est. Rarum est Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS. In nullo adhuc Authore publicatum vidi: Imò nec Celeberrimus Vaillantius ejus meminit, cùm tamen de Nummis Imperatorum in Græcia percussis peculiarem Catalogum vulgarit. Quis autem Prætor? An Tiberius Agnus? ita enim literæ superstites sonant: ΕΠΙ ΤΙΒ. ΑΓΝΙΟΥ ΣΤΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Assurgerem placito, respondit DULODORUS, nisi post literas ΤΙ. punctum cerneretur, & post Β. adhuc spatium, minimùm unius literæ, intercederet: quibus positis, haud forsan improbabili conjecturâ ΕΠΙ ΤΙΒερίȣ ΒΛΑΓΝΙΟΥ legendum existimarem. Sed hoc integrior Nummus vel confirmabit, vel evertet. Nos ultra tendimus. Subit

NERVA
cum
FRUMENTO PLEBI URBANÆ CONSTITUTO,
&
FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA.



De frumento, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil legisse memini; indeque Numismatum utilitatem veneror, quòd multoties suppleant, quod historia vel neglexit vel amisit. Ad propositum certè cum Oiselio, Illustrissimi SPANHEMII conjecturam censuerim amplectendam, qui ad certam & stabilem frumenti divisio-

divisionem, exemplô liberalitatis menstruæ respexit, cujus Philo Legat. ad Cajum de Augusto meminit: ȣ̓ μὲν ἀλλὰ κἀν ταῖς μηνιαίοις τῆς πατρίδος διαμαῖς, ἀργύριον ἢ σῖτον ἐν μέρει παντὸς τȣ̃ δήμȣ λαμβάνοντος, ȣ̓δέ ποτε τȣ̀ς Ἰȣδαίȣς ἠλάττωσε τῆς χάριτος &c. *Domi quoque, quoties MENSTRUAS pecuniæ FRUMENTIque distributiones populus acciperet, Judæorum rationem haberi voluit.* Bene hæc, excepit DULODORUS, nec quicquam adderem, nisi spicæ ex modio cum capite papaveris prominentes etiam ejus liberalitatis me admonerent, quâ Civibus Romanis, qui in summa erant egestate, agrum dedisse Sexcenties Sestertiûm Dioni memoratur. En verba! Τοῖς τε πάνυ πένησι τῶν Ρωμαίων ἐς χιλιάδα καὶ πεντακοσίας μυριάδας γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο, βȣλευταῖς τισι τήν τε ἀγορασίαν αὐτῶν καὶ τὴν διανομὴν προστάξας. *Summè egenis Romanorum Mille quingentas Myriades Terræ possessionem donavit, Senatoribus quibusdam emptionem earum & divisionem demandans.* Si hoc ita sit, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego hanc ipsam liberalitatem in nummo priore designatam arbitrer, apertè enim dicitur *Romanorum maximè egenis* eam collatam, quod sanè idem est, quod in Nummo *Plebei:* Et quæ tutior frumenti constitutio præsumi posset, quàm ex *donatis agris*, quorum cultura *frumentum annuum* conficitur? Adde quòd nec agris donatis constitutio frumenti alia, nec frumento constituto donatio agri necessaria fuisset: nisi forte donationem agrorum in locum constituti frumenti successisse arbitreris. Quicquid sit, spicæ sanè & papaver non tam frumentum, quàm fœcunditatem agrorum videntur evincere. Acriter pugnas, inquit DULODORUS, & accederem placito, nisi inscriptio apertè non agros donatos, sed *frumentum constitutum* assereret. Re igitur in medio relictâ ad secundum Numisma transeo, in quo *Fisci Judaici calumnia sublata* dicitur; Nihil hîc obscurum, inquit ARCHÆOPHILUS. Fiscum Judaicum sub Domitiano acerbissimè actum, Suetonius author est: & hunc à Nerva sublatum, docet hic Nummus. Non Fiscum, respondit DULODORUS, sed Fisci Judaici calumniam sustulit Nerva. Per *Fiscum* designatur Tributum à Judæis fisco Romano solvendum; per *Calumnias* autem, delationes, quibus innumeri impietatis & ritûs Judaici & accusabantur & damnabantur. Has calumnias magnâ calumniantium pœnâ etiam Domitianus repressisse, Suetonio memoratur: quanquam in clementiæ tenore non pertiterit. De Nerva autem Dio, appositè ad Numisma: Τοῖς ἄλλοις ȣ̃τ᾽ ἀσιβείας, ȣ̃τ᾽ Ἰȣδαϊκȣ̃ βίȣ καταιτιᾶσθαι τινὰς συνεχώρησε. *Neminem impietatis aut ritus Judaici accusari permisit. Multi enim*, persequitur Author, *per CALUMNIAM damnati fuerant; quibus cognitis Nerva talia fieri in reliquum tempus vetuit.* Addo & Sexti Aurelii Victoris testimonium. *Iste*, inquit, de Nerva locutus, *quicquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit.* Sed de his satis. Post Nervam

TRA-

TRAJANUS
HERCULEA VIRTUTE IMPERIUM SUSCEPIT.



Herculem, inquit ARCHÆOPHILUS, in *ſecundo*, *tertio* & *quarto* Nu-miſmate cerno; adjectâ in *tertio* Clavâ, in *quarto* Sue, quam Aprum Eryman-thium interpretantur; Sed dubium eſt, an hæc ſub imperii primordia Trajanus meruerit? Apud Illuſtriſſimum ſanè Mediobarbum Biragum non ab initio, ſed in fine Herculis nomen Trajano additur. Idem Author, reſpondit DULO-DORUS, Numiſmata noſtra non in fine, ſed in initio recenſet, & rectè; Per-peram enim Erizzus & Angelonus, ad lucem his Numiſmatibus affundendam omnes Trajani actiones adduxére; Neque enim ſpem tantùm, ſed ipſam rem in Trajano, jam in imperii primordio venerabantur Romani. At, inquit AR-CHÆOPHILUS, quid Hercule dignum tunc egerat? An tantùm honori ob Germanos devictos meruerit, ex quibus & Germanici cognomen Numi-ſmatibus impreſſum eſt? Non ex his tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed ex omnibus ſub Domitiano geſtis; Domitianum enim Euryſtheo, Traja-num autem Herculi, Tyranni juſſis obtemperanti, monſtraque per orbem do-manti, etiam Plinius in Panegyrico contulit. Locum, licet jam Triſtano vul-gatum, tamen hîc repetere eò convenientius eſt, quò certior inde afferto meo lux affunditur. Cùm memoraſſet, Trajanum Parthicâ lauro gloriam patris auxiſſe, nomen *Germanici* meruiſſe, Parthorum ferociam ſuperbiamque ter-rore cohibuiſſe, Rhenum & Euphratem admirationis ſuæ famâ conjunxiſſe, Or-bem terrarum non pedibus magis quàm laudibus peragraſſe, idque nec dum imperator, nec dum Dei filius &c. *Non dubito*, ſubjecit, *quin ille*, *qui Te in-ter illa Germaniæ bella*, *ab Hiſpania usque*, *ut validiſſimum præſidium exciverat*, *iners ipſe alienisque virtutibus*, *tunc quoque invidus imperator*, *cùm ope earum indigeret*, *tantam admirationem tui non ſine quodam timore conceperit*, *quantam ille GENITUS JOVE poſt labores*, *duraque imperia*, *Regi ſuo indomitus ſemper*, *indefeſſusque referebat*, *cùm aliis ſuper alias expeditionibus munere alio dignus invenireris.* Hæc benè ſe habent, inquit ARCHÆOPHILUS, & appoſitè ad

ad aprum, inter Trajani expeditiones etiam Hiſpania videtur memorari; Hunc enim cum venabulo, labaro HIS inſcripto adjeciſſe Cœlium Caldum, ex ejus Numiſmate memini. Fortaſſis ratio ſubeſt, reſpondit DULODORUS, quanquam mihi incognitam ultrò fateor. Ad Clavam res apertior eſt; hanc enim Herculeæ virtutis ut inſtrumentum, ita & ſymbolum eſſe, nemo neſcit. Clava, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in primo Numiſmate cum arcu & arbore viſitur, adſcriptis ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. TRIBUNITIA POTESTATE ET CONSULATU SECUNDO, indubiô argumentô, Numiſma Imperii initiô percuſſum eſſe, adeoque & reliqua tunc ſignata credi poſſe, licet nihil in iis determinetur. Quid autem Arcus? quid Arbor? Arcum, reſpondit DULODORUS, & ipſum Herculis geſtamen fuiſſe, vel Neſſus ſuô fatô didicit. Appoſitè autem in Numiſmate, Clavæ videtur conjungi, quòd hæc præſentes, ille autem etiam abſentes feriat. Arbor adjecta vel Olea eſſe poteſt, vel Laurus. Si Laurus, tunc in memoriam Tibi revocabis Ηρακλέα δαφνηφορήσαντα, *Herculem laurigerum*, cujus Pauſanias meminit in Boeoticis, ſimulque veneraberis Trajani gloriam, quòd debellatis virtute hoſtibus, Lauream & ipſe meruerit. Sin oleam præferas, recordaberis, non oleam tantùm ab Hercule ex Hyperboreis in Græciam allatam, ut idem Author Eliac. priore memorat; Sed etiam Clavam Herculis ex Oleaſtro deſumtam, quô commentô, quin Virtus Pacifica adumbretur, ne dubitari quidem poteſt. De Pacifico ſanè Trajani genio teſtatur & ſequentium



Numiſma primum, eôdem annô percuſſum, quô & ſuperius. Caduceum, inquit ARCHÆOPHILUS, Pacis ſymbolum eſſe, notum eſt; An autem hæc Trajani primordia coronaverit, valdè dubito. Contra Germanos belligerans, Imperator renunciatus eſt, vixque Romam regreſſus contra Dacos movit. Quodnam hîc Pacis intervallum? Si non aliud, reſpondit DULODORUS, certè quod Plinius ſuggerit: Ita ille in Panegyrico, de primo Trajani adventu. *Iter*, inquit, *placidum & modeſtum, ut plane à PACE redeuntis.* Et non iter tantùm, imò & reliqua Romæ inſtituta, de quibus hîc longior eſſe ſuperſedeo. Ultimum Numiſma ſubit, excepit ARCHÆOPHILUS; Cùm Κοινὸν Συρίας inſcribatur, proculdubio ad eos imperii annos pertinebit, quibus in Oriente contra Parthos Trajanus bellum geſſit. Ex inſcriptione, reſpondit DULODORUS, id non apparet, potius cùm nec *Dacici*, nec *Parthici* cognomen ea præferat, & ipſum ad imperii primordia retuleris; Quid enim obeſt, ut Trajano & Plotinæ Syri hôc Nummô de imperio credantur gratulati, illum *Auguſti* & *Germanici* cognomentis, hunc autem & *Deæ Syriæ* ſimulacro venerantes? De hac, ſi plura deſideres, adi Patinum.

TRAJANO
IN ORIENTE BELLIGERATURO ABUNDANTIAM NILI COMMENDARUNT ÆGYPTII.



Fluvius in Numiſmate jacet, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem dextrâ arundinem, ſiniſtrâ Cornucopiæ præferens: An autem Nilus is ſit, non adeò diſcerno. Nilum, excepit DULODORUS, evincit adjectus ſub Cornucopiæ *Hippopotamus*, quem *Nilo adſcribi* ex Philoſtrato, *in Nilo vivere*, ex Solino conſtat: Evincit Cornucopiæ, quod ad notiſſimam Ægypti fertilitatem pertinere, quam inundatione ſuâ Nilus quotannis promovet, in vulgus utique patet. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed non capio, quâ ratione Trajano in Oriente belligeraturo hoc Numiſma aſſeras eſſe percuſſum? Chronologia adjecta eſt, reſpondit DULODORUS, literæ L. K. *Annum Imperii XX.* denotant, quô annô Trajanus contra Parthos, Regem ſibi datum aſpernantes movit, adeò ut Ægyptii Abundantiam ſuæ regionis, ex ubertate fluminis quotannis fœcundiſſimæ, hôc typô adumbraſſe, eôdemque inventô ſimul commeatum Imperatori belligeraturo obtuliſſe, non abſurdè utique credantur. Nota eſt Ægyptiorum verſutia, inquit ARCHÆOPHILUS, ideoque Ego non fruſtrà huic Nili ſimulacro Hippopotamum ſub Cornucopiæ, non fruſtrà & in dextra arundinem additam crederem; Quid enim ſi in ſpeciem quidem Commeatum hôc typô promittere videantur, re ipsâ autem eum ſibi copioſius ademtum querantur? Hippopotamus opinioni baſin ſubſternit; Hunc enim ſegetes depaſcere, & cùm nimiâ ſatietate diſtenditur, per arundines recens cæſas tamdiu obverſari, Solinus author eſt, quoad ſtirpium acuta pedes vulnerent, ut profluvio ſanguinis levetur ſagina. Hæc cùm ita ſint, non abſurdè & culpam & culpæ pœnam his ſymbolis Nilus videbitur oſtentare. Arguta eſt conjectura, reſpondit DULODORUS, ne autem eam admittam, Virtus Trajani facit, quâ non hoſtes tantùm glorioſè ſolebat vincere, ſed & amicos ab injuria defendere, tantùm abeſt, ut ipſe credi poſſit immodicis frumenti rapinis & exactionibus eos irritare voluiſſe. Si tamen ſiniſtri quid intenderint Ægyptii, Apologum ex Panegyrico oppones: *Percrebuerat antiquitus*, inquit, *urbem noſtram, niſi opibus Ægypti ali ſuſtentarique non poſſe. Superbiebat ventoſa & inſolens natio, quòd Victorem quidem populum, paſceret tamen, quòdque in ſuo FLUMINE, in ſuis manibus, vel abundantia noſtra vel fames eſſet. Refudimus NILO ſuas copias, recepit frumenta, quæ miſerat, deportataſque meſſes revexit. Diſcat igitur ÆGYPTUS, credatque experimento, non alimenta ſe nobis, ſed TRIBUTA præſtare, &c.*

TRA-

TRAJANI CIRCENSES.



Numiſma conturniatum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, adeoque confirmat & ipſuin opinionem eorum, qui ut ſuprà dictum eſt, Conturniatos Nummos occaſione Circenſium arbitrantur percuſſos: Unde autem Conturniatorum nomen? Vel à *Torno*, reſpondit DULODORUS, quô Circulus his nummis & excavatus & additus fuit: vel à *Conturno*, quâ voce, ut ex Du Cange in Gloſſario Cel. Morellius notat, *circuitus* aut *flexus* ſignificatur: Et quid ſi poſterior hæc ex priore deſcendat? Opinio veriſimilis eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, & Numiſma eò pretioſius quò apertius nobis Circum à Trajano reſtitutum ob oculus ponit, de quo Dio: Ὥτω καὶ μεγαλόφρων καὶ μεγαλογνώμων ἔφυ, ὥϛε καὶ τῷ ἱπποδρόμῳ ἐπιγράψαι, ὅτι ἐξαρκȣ͂ντα αὐτὸν τῷ τῶν Ρωμαίων δήμῳ ἐποίησεν ἐπειδὴ διαφθαρέντα πη, καὶ μείζω καὶ περικαλλέϛερον ἐξειργάσατο. *Adeò magnificus natura & magnanimus erat, ut poſtquam CIRCUM collapſum RESTITUIT, majoremque reddidit, atque pulchriorem, inſcripſerit in eo, perfeciſſe ſe, ut Populo Romano ſufficeret.* Benè hæc obſervas, inquit DULODORUS, non minus ac alii; ſed notandum, in Nummo noſtro non integrum Circum exhiberi, ſed tantùm ſpinam cum quadrigis decurrentibus, eamque non eô modô ornatam, quô apud Erizzum aut Angelonum proſtat, quorum ille inter Metas & obeliſcum Equos interjecit, hic locô apri Leonem repoſuit; Rectius Onuphrius Panvinius, qui cum noſtro conſentit, præter Metas, obeliſcum, menſam cum Delphinis & Matrem magnam, etiam *Aprum cum Venatore* exprimendo, ut & Venationes in Circis editas agnoſcas, de quibus & allata ſuprà Neronis & Veſpaſiani Numiſmata teſtantur. Illud præterea monendum, Numiſma hoc eô tempore, quô Circum Trajanus ædificavit, percuſſum non eſſe. Quando igitur? quæſivit ARCHÆOPHILUS; Eam enim opinionem video Erizzum fovere. Circus, reſpondit DULODORUS, Trajano vivo reſtitutus eſt, Numiſma autem poſt ejus mortem percuſſum, ex inſcriptione DIVO NERVÆ TRAJANO noſcitur. Si his inſiſtas, excepit ARCHÆOPHILUS, utique Ludos Trajano non addixeris. Trajano vivo non addixerim, reſpondit DULODORUS, quid autem hoc impedit, ut addicam Trajano mortuo, cùm & poſt mortem triumphaverit, ludique hi occaſione Triumphi poſſint eſſe celebrati? De Conſecratione & Triumpho ita habet Ælius Spartianus in Adriano: *Trajano*, inquit, *divinos honores datis ad Senatum, & quidem accuratiſſimis literis poſtulavit, & cunctis volentibus meruit, ita ut Senatus multa, quæ Hadrianus non poſtulaverat, in honorem Trajani ſponte decerneret.* Et paulò poſt: *Cùm Triumphum ei Senatus, qui Trajano debitus erat, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque IMAGINEM TRAJANI CURRU TRIUMPHALI vexit, ut*

ut optimus Imperator NE POST MORTEM quidem Triumphi amitteret dignitatem. Hæc equidem de Triumpho, excepit ARCHÆOPHILUS, quis autem de ludis? Dio, reſpondit DULODORUS, in excerptis Libro LXIX. Τὰ τȣ̃ Τραιανȣ̃ ὀςᾶ ἐν τῷ κίονι ἀυτȣ̃ κατετέθη, καὶ αἱ θέαι αἱ Παρθικαὶ ὀνομαθεῖσαι ἐπὶ πολλὰ ἔτη ἐγένοντο. *Trajani oſſa in Columna ipſius ſepulta fuerunt, & SPECTACULA, quæ PARTHICA nominabantur, per multos annos celebrata ſunt.* Succedit

HADRIANUS
CUM
LIBERTATE RESTITUTA;



Sed cui? excepit ARCHÆOPHILUS: Id enim apud Authores dubium eſt, niſi ex Oiſelii conjectura, ſub fœmina Principi infantes offerente, vel Provinciam agnoſcas, ab Hadriano libertate donatam, ex Eutropio: vel etiam filiam Coſdrois Regis Parthorum, ſub Trajano captam, patrique ab Hadriano libertate reſtitutâ remiſſam, ex Spartiano. Neutrum dixerim, reſpondit DULODORUS, cùm nec Provinciam, nec Coſdrois filiam vel minimum indicium deſignet. Potius Angelonis ſententiam amplecterer, libertatem eam hoc Nummo celebrari arbitrantis, quâ Populus Romanus ſub Adriano fruebatur; quanquam, quod omninò dicendum, rei baſin aſſecutus Angelonus non fuerit. Et quî poterat, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nullo apud Authores rei occurrente indicio? imò & hiſtoria apertè contrariante? cùm hanc libertatem non Hadrianus reſtituerit, ſed vel Nerva, vel ſanè Trajanus; Hi enim oppresſam ſub Domitiani tyrannide Populi libertatem reſtituerunt. Benè hoc obſervas, reſpondit DULODORUS, indeque & libertatem reſtitutam eôdem modô interpretaberis, quô Urbium Conditores dicuntur non tantùm, qui primitus urbes fundârunt, ſed & ii, qui beneficia urbibus conceſſa inſigni aliquâ additione auxerunt. De Hadriano certè, id quod ad nummum apprimè facit, ita Ælius Spartianus: *PUERIS*, inquit, *ac PUELLIS, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, INCREMENTUM LIBERALITATIS adjecit.* Quid hoc ad Numiſma? excepit ARCHÆOPHILUS. Puerum quidem & Puellam in eo mulier Hadriano exhibet, porrectâque imperator dextrâ ſe ad puerum inclinat, ſed ſubſcriptio de libertate teſtatur, non de liberalitate. Liberalitas, reſpondit DULODORUS, & libertas hoc typo junguntur. Expreſſus is videtur, ut Numiſmate ſub Hadriano, ita linguâ ſub Trajano. *Fœminas*, inquit Panegyricus *fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiit, cùm cernerent, cui Principi Cives, cui Imperatori milites peperiſſent.* Ei ſcilicet, ſub quo ſecuri vivere poſſent, alimentaque acciperent, non aliis erepta, quod ſub Tyrannide fit; Sed innocua, qualia libera in civitate Imperator de ſuo largitur.

Ita

Ita enim perſequitur: *Hæc prima*, inquit, *parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus Tu daturus alimenta, hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent. Super omnia eſt tamen, quòd talis es, ut ſub Te LIBEROS tollere libeat, expediat. Magnum quidem eſt educandi incitamentum, tollere LIBEROS in ſpem alimentorum, in ſpem congiariorum: Majus in ſpem LIBERTATIS, in ſpem SECURITATIS. Atque adeo nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat: Non alat, dum non occidat, nec deerunt, qui filios concupiſcant. Contrà largiatur & auferat, alat & occidat, næ ille tam brevi tempore effecerit, ut omnes non poſterorum modò, ſed ſui Parentumque pœniteat. Quocirca nihil magis in tua tota Liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neque à te Liberi Civium, ut ferarum catuli ſanguine & cædibus nutriuntur, quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum.* En libertatem Populo reſtitutam! quâ nemini aliquid eripiebatur, nemo propter opes occidebatur. En liberalitatem pueris puellisque, ut à Trajano datam, ita ab Hadriano auctam! adeò ut mirum non ſit in Numiſmate fœminam Romanam intueri, lætam fœcunditate ſuâ, quòd eo ſub principe Liberos produxiſſet, cujus Liberalitate alimenta, & quidem innocua acciperent, cujusque Clementia in libertate, ut nati eſſent, ita & ſecuri vivere poſſent. Sed alia ſubeunt

SUB
HADRIANO
APIS INVENTUS.



Apim, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in mediocri Hadriani Numiſmate te produxiſſe memini, & publicavit jam ante Te Patinus. Imò, reſpondit DULODORUS, ſed in illo Luna deerat, quæ tamen in propoſito, ad bovis latus afficta cernitur, eôdem planè modô, quô Ammianus Marcellinus Apim deſcripſit: *Eſt APIS bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximèque omnium CORNICULANTIS LUNÆ SPECIE LATERE dextro INSIGNIS:* Quem locum ad hoc ipſum, quod hîc expendimus, Numiſma Triſtanus attulit. Si Triſtanus hoc Numiſma vulgavit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nobis ad id ne ſpicilegium quidem reliquerit; Nota enim eſt viri diligentia, pleraque ſumma cum ἀκριβείᾳ dilucidantis. Duo ſunt, reſpondit DULODORUS, quæ denuò proponendum ſuadent: *Ara* ante bovem, hæc enim apud Triſtanum non eſt: Et *cauſa*, cur ſub Hadriano Apis occurat, hanc enim nec ipſam Triſtanus prodidit. Hoc tamen neceſſarium erat, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque operæ pretium feceris, cauſam docendo. Eam ecce ex Ælio Spartiano, reſpondit DULODORUS: *Compoſitis,*

positis, inquit, *in Britannia rebus, transgressus Hâdrianus in Galliam Alexandrinâ seditione turbatus, quæ nata est ob APIN: qui quum REPERTUS esset POST MULTOS ANNOS, turbas inter Populos creavit, apud quem deberet locari omnibus studiosè certantibus.* Locus addicit, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem est, quòd Apis *post multos annos inventus* dicitur? Id ex Ammiano doceri poteris, respondit DULODORUS; Is enim, quum Apin, post vivendi spatium præstitutum, sacro fonte immergi, & ita è vita abire solitum memorasset: *Alter*, subjicit, *cum publico quæritur luctu, & si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur Memphim urbem præstantem &c.* Si hæc ita sint, excepit ARCHÆOPHILUS, forsitan annorum numerus in Numismate adjectus erit; Suprà Apim enim literæ L. ENNE. *Annum Nonum* videntur designare: Et sub eo video ΕΛ. ΚΔ. Annum scilicet 24. adeo ut ritè Apin *Anno* Hadriani Nono & post annos 24. qui secundum Æl. Spartianum *multi* sunt, inventum, non utique absurdè afferam. Si ratio temporis congrueret, inquit DULODORUS, & ipse tecum sentirem, præsertim cùm & præcedens litera E commodè εὑρεθεὶς *inventus* explicari posset; sed Hadrianus in Britannia Apim inventum audiit, adeoque non anno Imperii Nono, sed Sexto; Tunc enim in Britannia erat. Objectio, excepit ARCHÆOPHILUS, ab opinione mea me non dimovet, superior enim numerus, non eum annum exprimit, quô Apis inventus, sed quô Numisma percussum est. Credibile autem non est, eôdem annô id percussum esse, quô Apis inventus; tunc enim omnia adhuc seditione turbabantur; sed post triennum demum, quando Hadrianus Athenas accesserat. Ita & Numerum annorum Api subscriptum cum hoc imperii coincidere necesse non est; Cùm enim eos annos denotet, quibus Api Ægyptus caruit, utique constans is fuerit, adeoque cuicunque imperii anno potuerit jungi. Solerter causam tueris, inquit DULODORUS, memoranda tamen & Tristani conjectura. Is literas ΕΛ. Κ. Δ. Ἐλαίτης, Κανόβικον Δέλτα interpretatur, Numisma Canopi signatum arbitratus, urbe Præfecturæ Elaiticæ, sitæ in introitu Ægyptii Delta, de quo Strabo Lib. 17. p. 801. Quicquid sit, Apis sanctitatem, demonstrat & ara ei apposita. Subeunt

HADRIANI
EXPEDITIO ET EXERCITUS RAETICUS.



Elegantia sunt hæc Numismata, excepit ARCHÆOPHILUS, sed nisi fallor, satis obscura; Quis enim Authorum, vel exercitûs Rætici sub Hadriano, vel etiam expeditionis meminit? De expeditione, respondit DULODORUS, sunt verba Ælii Spartiani: *Audito tumulto Sarmatarum & Alanorum præmissis exercitibus, Mœsiam petiit.* De Exercitu Rætico, licet Authores sileant, loquitur tamen cum Numismate ratio, cùm Gentes devictas, non nisi Legio-

Legionum & Exercituum præsidiis Romani tuerentur, imò & ex ipsis Exercitus conscriberent. Rætorum sanè cohortes apud Tacitum Annal. l. 2. memorantur. Et si de Rætia quæras, eam jam Augustus, aut si Tacito & Vellejo credis, Tiberius subjugaverat. Ita & Ducem Rætici limitis memorat in Aureliano Flavius Vopiscus. Quidni igitur fuerit & Exercitus? Non de exercitu dubito, inquit ARCHÆOPHILUS, sed de adventu in Rætiam Hadriani; Is enim proculdublo est, qui Eques signiferos alloquitur. Cùm Rætia, respondit DULODORUS, Italiæ contermina sit; Hadrianus autem ex Italia in Galliam, & inde in Germaniam transiisse, & ubique disciplinam militarem exercuisse, eidem Ælio Spartiano memoretur, Numismate suffragante utique indubium arbitraberis, & in Rætia Hadrianum fuisse. Verba addo eò libentius, quòd & de disciplina militari docent, quam peculiari etiam Numismate Hadrianus consecravit. *Posthæc*, inquit, *profectus Hadrianus in Gallias. Inde in Germaniam transiit, pacisque magis quàm belli cupidus, MILITEM quasi bellum immineret, EXERCUIT* &c. Sed piget his diutius inhærere, cùm sufficienter jam apud Erizzum & Tristanum explicata prostent, nisi cum posteriore locum Cassiodori iterare placeat, *RÆTIOS munimina Italiæ, EXERCITUMQUE EUM, Clypeum Romanorum* appellantis, id quod ad propositum jure memineris. Sequenti in Numismate

HADRIANUM REDEUNTEM
EXCIPIUNT
SENATUS ET ROMA.



Adeone? excepit ARCHÆOPHILUS. Sed Vaillantius hîc aliter, qui tamen Numisma rarum judicat. *Jupiter*, inquit, *& Hadrianus porrigunt manus, Româ intermediâ.* Ubi hic Senatus? ubi Hadrianus adveniens? Quod de Jove memoras, inquit DULODORUS, mihi planè absonum videtur, cùm ne minimum Jovis insigne eum determinet, sed omnia talia sint, qualia Senatum demonstrare, ex nummis & descriptione Dionis novimus. Hæc *togatum & coronatum, virumque grandævum* prodit; Illi addunt & sceptrum, quod in Nummo Antonini Pii Senatûs Genius sinistrâ præfert, & in nostro retrò sinciput prominet, non minus, ut existimare licet, sinistrâ retentum. Si hoc ita se habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, corruet & Erizzi opinio, qui typum hunc ad adoptionem Antonini retulit. Adoptionem, respondit DULODORUS, etiam ex Adriani vultu rejicerem, constat enim, sive Ælium sive Antoninum adducas, extremis imperii annis eam celebratam esse, cùm tamen in Nummo, Hadriani non senilis, sed vegeta ætas radiet: adde, quòd Roma non tam in medio, facie directâ ad utrumque vertatur, sed ad Hadrianum respiciat, eique non minus ac Senatus, dextram jungat, qui gestus, quin adventûs etiam

etiam in aliis indicium ſit, ne dubitari quidem poteſt. Roma, excepit ARCHÆOPHILUS, in hoc nummo non tam dextram jungit, quàm dextras jungentibus ſuam imponit, adeoque concordiæ videtur gratulari. Si hoc arbitreris, reſpondit DULODORUS, poteris in genere in concordia & benevolentia ſubſiſtere, quâ Hadrianus Senatum proſecutus fertur. *Senatui legitimo*, inquit Ælius Spartianus, *cùm in urbe vel juxta urbem eſſet, ſemper interfuit. Senatûs faſtigium in tantum extulit, difficile faciens Senatores, ut cùm Tatianum ex Præfecto Prætorii, ornamentis conſularibus præditum, faceret Senatorem, nihil ſe amplius habere, quod in eum conferri poſſit, oſtenderit.* Ultra tendimus. Prodit

ANTONINUS PIUS
CUM
TEMPLIS.



Templa, inquit ARCHÆOPHILUS, in prioribus ROMÆ ÆTERNÆ & VENERI FELICI inſcribuntur; Inter ea autem, quæ Antoninus ædificaſſe Julio Capitolino memoratur, neutrum recenſetur. Et qui poſſet? reſpondit DULODORUS, cùm non Antoninus, ſed Hadrianus ea ædificaverit. Omninò enim, ſi non utrumque hoc Templum, certè alterum, quod VENERI FELICI inſcribitur, illud ipſum arbitror eſſe, cujus Dio meminit, de Hadriano locutus: Αυτὸς μὲν γὰρ τȣ̃ τῆς Αφροδίτης, τῆς τε Ῥώμης ναȣ̃ τὸ διάγραμμα αὐτῷ πέμψας, δι ἔνδειξιν ὅτι καὶ ἄνευ ἐκείνȣ μέγα ἔργον γίγνεσθαι δύναται, ἤρετο ἐι ἐῦ ἔχοι τὸ κατασκέυασμα, *Ipſe quidem deſcriptionem TEMPLI VENERIS & ROMÆ ad eum, Apollodorum, mittens, ut oſtenderet, etiam magna ædificia absque ejus opera fieri poſſe, quæſivit num benè ſe haberet architectura.* An aſſertum ſtabilire poſſis, excepit ARCHÆOPHILUS, valdè dubito; Inſcriptio enim & forma, hæc templa diverſa arguunt. Adde quòd ex Numiſmatibus non ſub Hadriano, ſed ſub Antonino Pio ædificata videantur. Numiſmata, reſpondit DULODORUS, ſub Antonino Pio ideo hæc templa exhibere poterunt, quòd vel aliquid addidit imperator, vel etiam quod ea conſecravit: Idque eò facilius credas, quò clarius ex Caſſiodoro eſt, Coſſ. Pompejano & Æliano, id eſt quarto ante obitum anno, Hadrianum templum Romæ & Veneris feciſſe: imo quò clarius,

clarius, & ad Numiſma alterum conventius, quod Dio in ſequentibus memorat, de Apollodori reſponſo. Ὁ δ᾽ ἀναπέστειλε περί τε τοῦ ναοῦ, καὶ ὅτι καὶ μετέωρον αὐτὸν καὶ ὑπεκκεκενωμένον γενέσθαι ἐχρῆν. ἵν᾽ εἴς τε τὴν ἱερὰν ὁδὸν ἐκφανέσθερον ἐξ ὑψηλοτέρου εἴη, καὶ ἐς τὸ κοῖλον τὰ μηχανήματα ἐσδέχοιτο, ὥστε καὶ ἀφανῶς συμπήγνυσθαι, καὶ ἐξ οὐ προειδότος εἰς τὸ θέατρον εἰσάγεσθαι. καὶ περὶ τῶν ἀγαλμάτων, ὅτι μείζονα ἢ κατὰ τὸν τοῦ ὕψους τοῦ μεγάλου λόγον ἐποιήθη. ἂν γαρ αἱ θεαὶ, ἔφη, ἐξαναστήσεσθαί τε καὶ ἐξελθεῖν ἐθελήσωσιν, οὐ δυνηθήσονται. *Is de templo reſcripſit, altius ampliusque multò fieri oportuiſſe, quò magis & propter altitudinem ipſius ad viam ſacram eſſet ſpectabile, & propter amplitudinem machinas reciperet, quæ clam in eo compactæ, de improviſo in Theatrum perducerentur. Porrò ſimulacra majora facta eſſe dicebat, quàm ratio altitudinis ampletudinisque templi pateretur. Etenim, inquit, ſi Deæ ſurgere atque inde exire voluerint, non poterunt.* Si hæc cum Numiſmatibus conferam, excepit ARCHÆOPHILUS, neſcio annon Dio dividenda credi debeat conjunxiſſe, uni Templo tribuendo, quæ duorum erant. Sanè quòd defectum altitudinis carpit, quòdque ſimulacra Dearum majora cenſet, quàm ut ſurgentes è templo prodire poſſent, id ad Templum Veneris, nullô modô autem ad Templum Romæ, vel teſte Numiſmate aſſeruero. Contrà, quòd defectum amplitudinis, id de Templo Romæ, non autem de Templo Veneris dixerim; hoc enim proportione ad altitudinem habitâ latius, illud autem anguſtius etiam in Numiſmatibus meritò judicatur. Sed quis indubiè aſſerat, an hæc eadem templa ſint, quæ Hadrianus ædificavit? Id inde diſcas, reſpondit DULODORUS, quòd licet non templa, id quod ob reſponſionem Apollodori mirum non eſt, tamen Illuſtriſſimo Mediobarbo teſte, VENERIS FELICIS, & ROMÆ ÆTERNÆ ſimulacra, etiam in Numiſmatibus Hadriani occurrant; Quid enim hæc ſub Hadriano, cùm Venus ei felix non fuerit? cùmque Romæ æternitati, vel adoptione proſpicere neceſſe habuerit, id quod eò juſtius hîc recordaberis, quòd eô ipsô Annô, quô Templum Romæ & Veneri exſtructum Caſſiodorus prodidit, eô ipsô, inquam, & Ælium adoptaverit: ut proinde vel hinc pateat, ſe felicitate Veneris, non ſuæ, ſed adoptivorum, Romæ æternitati conſulere voluiſſe; Et quid ſi ex eodem fonte & ratio petenda ſit, cur Antoninus templa hæc Numiſmatibus ſuis expreſſerit? Uxorem quidem amiſerat, Venerem tamen felicem eò usque fuerat expertus, ut Romæ æternitati collocatâ M. Aurelio, quem & ipſum adoptaverat, filiâ, imò & ſuſceptâ ex eâdem jam Nepte, ſe luculenter proſpexiſſe, jure utique perſuadere ſibi poſſet. Cæterùm non idem, ſed diverſa fuiſſe *Romæ* & *Veneris* templa etiam ex Prudentio contra Symmachum adſtruxeris, qui non *Templum*, ſed *Templa* memorat, quamvis pari culmine, cultuque ſimultaneo, id quod Dioni & Caſſiodoro cauſa fuisſe poteſt, ut unicum tantùm utriusque templum ſtatuerent. En Prudentii verba!

Ad ſacram reſonare viam mugitibus, ante
Delubrum ROMÆ, colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, nomenque loci ceu Numen habetur.
Atque URBIS VENERISQUE pari ſe culmine collunt
TEMPLA, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

Ad tertium Numiſma tranſeo, inquit ARCHÆOPHILUS, an & in hoc Templum eſt? At tecto id caret, Aræque aut Menſæ propius eſſe, impoſita corona teſtatur. Non abs ratione dubitas, inquit DULODORUS, quanquam Columnæ & reſidens inter eas ſimulacrum pro Templo decernant, non obſtante tecti defectu; Hoc enim & templo Jani deeſſe novimus. At quale hoc tem-

templum? excepit ARCHÆOPHILUS; deleta enim vetuſtate inſcriptio rem non dilucidat. Vix literæ IC in averſa ſuperſunt, an quòd hoc Templum Iſidis ſit? Literæ I C. reſpondit DULODORUS, *Ludos Iſelaſticos* videntur arguere, præſertim cùm corona templo impoſita ad ludos typum reducat. An quòd ludis his, excepit ARCHÆOPHILUS, Antoninus noſter Victor fuerit? Non hoc, reſpondit DULODORUS, ſed quòd Ludos Iſelaſticos Puteolis conſtituerit, eôque factô templum meruerit; Egregiè enim dilucidatur hoc Numiſma Inſcriptione Gruterianâ, quam & Triſtanus T. III. p. 7. protulit, quæque & ipſa hinc non obſcurè reſtituitur. Ita habet p. CCLIV. num. 4.

IMP. CÆSARI
DIVI HADRIANI FIL.
DIVI TRAJANI
PARTHICI NEPOTI
DIVI NERVÆ PRONEP.
T. ÆLIO HADRIANO
ANTONINO AUG. PIO.
PONTIF. MAX. TRIB. POT. V.
IMP. II. COS. III. P. P.
CONSTITUTORI SACRI
CERTAMINIS SELASTICI
SOCII. LICTORES POPULARES
DENUNCIATORES PUTEOLANI.

SELASTICI legitur, cùm ex vocis Etymo ISELASTICI legi debeat; deſcendit enim ab εἰσελαύνω, *ingredior* & *invehor*, quadrigâ ſcilicet vel Equo, quòd Victores Athletæ quadrigis urbem patriam inveherentur, uti latius apud allegatum Triſtanum videre eſt. Sequitur

ANTONINI PII
PACIFICA FORTITUDO.



Antonii Pii hoc Numiſma eſſe, licet inſcriptio deſit, ex notiſſimis faciei lineamentis conſtat. Pacificam ejus fortitudinem adumbrari, ex juncto clavæ caduceo colligas, quô Symbolô Lacedæmonii, nam hi Numiſma ſignaſſe juxta leguntur, Imperatoris genium graphicè videntur expreſſiſſe. Hermeracles mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & aliunde recordor, Herculem & Mercurium etiam in antiquitatum monumentis interdum conjungi; ſunt enim, ut Leonidas Epigr. 4. Lib. I. c. 38. loquitur:

Ὅρων φύλακες δισσοὶ θεοί.
Terminorum cuſtodes duo dii.

Ut

Ut Palæſtras taceam, quarum Præſides Mercurium & Herculem fuiſſe, ex Pauſania in Meſſenicis conſtat, quô authore & cultum utriusque apud Lacedæmonios adſtruxeris, qui Numiſma ſignârunt. Benè hæc, reſpondit DULODORUS, & ſi Mercurius & Hercules in Numiſmate forent, appoſitè: cùm autem inſignia tantùm, & quidem connexa, omninò myſticam interpretationem præferrem. Non fruſtrà Clavam Herculis ex Oleaſtro deſumtam, imò & Mercurio dedicatam, eôdem Pauſania teſte Antiquitas finxit, ſed proculdubiò indicare voluit, Bella Pacis causâ & ſuſcipienda & gerenda eſſe; Quidni igitur, cùm hîc apertiſſimè Pacis ſymbolum Caduceum, Clavæ junctum cernamus, quidni, inquam, jure potiore ad Pacificam Antonini fortitudinem reſpiciamus, quam & Authores laudant & Lacedæmonii proculdubio hôc Numiſmate conſecrârunt? Elegans eſt locus Julii Capitolini: *Pharaſmanes Rex ad eum Romam venit, plusque illi quàm Adriano detulit. Pacorum Regem Ladis dedit. Parthorum Regem ab Armeniorum expugnatione ſolis litteris repulit. Abgarum Regem ex Orientis Partibus ſolâ auctoritate deduxit. Cauſas Regales terminavit. Sellam Regiam Parthorum Regi repetenti, quam Trajanus ceperat, pernegavit. Rimetalcem in regnum Boſphoranum, auditô inter ipſum & curatorem negotiô, remiſit. Olbiopolitis contra Tauro-Scythas in Pontum auxilia miſit, & Tauro-Scytas usque ad dandos Olbiopolitis obſides vicit. Tantum ſanè AUCTORITATIS apud exteras gentes nemo habuit, cùm ſemper AMAVERIT PACEM.* Hæc Julius Capitolinus: Et inde eſt, quòd etiam ſequentibus in Nummis

ANTONINO PIO
OMNIGENAM SANITATEM PRECATI SUNT AEGYPTII ET PERGAMENI.



Et Ægyptii quidem Serapidem, Pergameni autem Æſculapium, pro ſalute & felicitate tam Principis quàm Reipublicæ vigilare jactantes. De Æſculapio res clara eſt, inquit ARCHÆOPHILUS; Notiſſimus enim hic Pergamenorum Deus ſanitati tantùm præſidet. Serapidem autem latius extenderem; non enim Æſculapius tantùm, ſed & Jupiter, Sol, Neptunus & Pluto ſub eo latent, id quod ex alio Antonini noſtri nummo Seguinus oſtendit, Tuque ipſe inter Gemmas faſſus es. Recordor, inquit DULODORUS, ideoque ſanitatem non corporis tantùm, ſed *omnigenam* memoro. Illa Æſculapio, imò & Serapidi curæ credebatur eſſe: hæc ſi non Æſculapio, tamen Serapidi, & quidem plena liberalitate & abundantiâ, id quod Calathus denotat. Quæ autem Numiſmatum occaſio? excepit ARCHÆOPHILUS, an Penuria? an infirma Principis valetudo? Utraque, reſpondit DULODORUS; Julio enim Capitolino teſte, Antoninus tileaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, ut rectus incederet. Senex etiam, antequam ſalutatores venirent, panem ſiccum comedit,

medit, ad ſuſtentandas vires. Ita & fuit ejus temporibus fames, quam Serapis abundantiæ Calatho, id eſt Ægypti fertilitate diſpelleret: Fuit Lues in Arabia, Æſculapii virtute pellenda, ut alia taceam, quæ licet adverſa ſatis, rem tamen directè non feriunt. Sed aliud adhuc notandum. Nihil video, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi forte Inſcriptionem expendas. Hanc ipſam, reſpondit DULODORUS; prius enim Numiſma literas L. I. oſtendit, apertô teſtimoniô, Numiſma Annô Imperii Decimô percuſſum eſſe, quô Romæ Decennalia celebrabantur. Alterum Numiſma ΕΠΙ ΤΑΜιȣ ΑΙΛιȣ ΘΕΟΦΙΛΙΑΝΟΥ, *ſub Quæſtore Ælio Theophiliano* ſignatum dicitur. Nomen mihi incognitum eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed quis omnia ejusmodi determinet? Satis, reſpondit DULODORUS, nomen hoc determinatur adjectô officiô ΤΑΜΙΟΥ, cujus mentio quidem in Macedonum nummis apud Cl. de Wilde proſtat, in Imperatoriis autem adeò rara eſt, ut celeberrimus Vaillantius in Catalogo Numiſmatum Imperatoriorum, Græcâ Epigraphe inſignitorum, non tantùm ne unicum cum ea protulerit, ſed & in recenſione Magiſtratuum & Dignitatum ΤΑΜΙΑΝ omiſerit: Imò & Pergamenos in Aſia pro Magiſtratibus urbis Prætores habuiſſe, fide plurimornm Numiſmatum, & nominatim etiam noſtri Antonini aſſeruerit; cùm tamen ex propoſito pateat, non tantùm Στρατηγȣ̀ς, ſed & Ταμίȣς, apud eos Numiſmata ſignaſſe. Ταμίας, excepit ARCHÆOPHILUS, *promum condum* ſignificat. Ubi de officio publico ſermo eſt, reſpondit DULODORUS, ſignificat *Quæſtorem*, aut *Præfectum ærarii*, reperiturque vel cum adjectione ejus rei, quæ fidei ejus commiſſa erat, puta χρημάτων, vel etiam abſolutè, uti latius docet, & idoneis Authorum teſtimoniis adſtruit Henricus Stephanus in Theſauro Linguæ Græcæ. Nobis Ταμίαν in Numiſmate Imperatoris & Pergamenorum oſtendiſſe ſufficit. Eâdem cum his pietate, ut ex ſequenti Numiſmate patet, etiam

MARCO AURELIO
SALUTEM NICOMEDIENSES PRECATI SUNT.



Salutem in hoc nummo, inquit ARCHÆOPHILUS, vel ideo ſuſpicio, quòd talis adhuc à Nicomedienſibus ſub Marco ſignata non prodiit. Celeberrimus Vaillantius plura recenſuit, interque ea etiam unum cum *Æſculapio*; ſed cum *Salute* nullum adduxit. Eadem utriusque ratio eſt, reſpondit DULODORUS, Infirmam Antonini valetudinem intuentes, quid convenientius ſuis votis ſignare potuére Nicomedienſes aliique? quàm Deos valetudinis præſides? An ad ipſum Imperatorem hi pertineant, inquit ARCHÆOPHILUS, dubitari poteſt; Quidni enim ad peſtem referantur, quæ vehementiſſimè ſub eo graſſata, Julio Capitolino memoratur? Quidni ad uxorem Fauſtinam, quam in radicibus montis Tauri exanimatam, ſubitò morbo amiſit? Si huc reſpicias, reſpondit DULODORUS, non obſtitero, quanquam nec in

ipſo

ipſo Imperatore ratio deſit. Non de exitu vitæ loquar, quô cùm ægrotaret, filioque de perſequendis belli reliquiis loqueretur, ille reſpondiſſe fertur, *cupere ſe primùm ſanitatem:* Sed de conſtitutione corporis toto imperii decurſu; De eo enim luculentum teſtimonium perhibet Dio Caſſius Lib. LXXI. ubi de M. Aurelio: ȣ̓́τως ἀσθενὴς τῷ σώματι ἐγένετο, ὥςε μήτε τὸ ψύχος τήνγε πρώτην ὑπομεῖναι, ἀλλὰ καὶ πρὶν διαλεχθῆναι τοῖς ςρατιώταις συνεληλυθόσιν ἤδη κατὰ τὸ παρηγγελμένον, ἀναχωρῆσαι, καὶ τροφὴν βραχυτάτην, καὶ ταύτην ἐν νυκτὶ ἀεὶ λαμβάνειν. ȣ̓ γὰρ ἔςιν ὅ τι μεθ' ἡμέραν, πλὴν τȣ͂ φαρμάκȣ τȣ͂ θηριακȣ͂ καλȣμένȣ, ἐσιτεῖτο. ἐλάμβανε δὲ τȣ͂ φαρμάκȣ, ȣ̓χ' ȣ̓́τως ὅτι ἐδεδίει τὶ, ὡς ὅτι τȣ͂ τε ςομάχȣ καὶ τȣ͂ θώρακος φαύλως εἶχε. *Erat VALETUDINE usque adeò INFIRMA, ut non modò frigus initio ſufferre non poſſet, ſed etiam, antequam milites, ex juſſu jam congregatos alloqueretur, ſecederet paululum, ac modico cibo, idque etiam noctu, ſemper uteretur; Nihil enim capiebat interdiu, præter medicamentum, quod Theriacum appellant: quod pharmacum non tam ſumebat timoris causâ, quàm quòd erat infirmo ſtomacho & pectore.* Jam capio, inquit ARCHÆOPHILUS, cur Fauſtina de mariti valetudine deſperaſſe, Julio Capitolino memoretur. Imò & rationem cernis, ſubjecit DULODORUS, cur Nicomedienſes non tantùm ſalutem Marco Aurelio voverint, ſed & ſe ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ in Numiſmate appellent, proculdubio, quòd Libertatem obtinuiſſent, pro Principis ſalute omnigenaque felicitate non vota tantùm ſuſcipiendi, ſed & feſtivâ ſolennitate defungendi; Ideò enim in aliis nummis ſub hac ipſa inſcriptione & Jovem & Cybelem & Fortunam & Cererem & Martem & Mercurium videntur ſignaſſe, ut ſcilicet omnem Deorum chorum Principi propitium redderent. Succedit

COMMODI
VICTORIA BRITANNICA.



Victoriam Orbis Terrarum video, inquit ARCHÆOPHILUS, & miror, quæ ratio hunc typum excuſare poſſit, cùm tamen non niſi in arena Commodus vicerit? Adulatio, reſpondit DULODORUS, etiam ex nihilo præconia cudit: quanquam Imperatores Romani, ut plurimùm id ipſi feciſſe ferantur, quod per alios fecére, imò ut ferantur impleſſe, quod vix aggreſſi ſunt. Commodo, licet ipſe à morte Parentis ſtatim ſegnitiei ſe tradiderit, non defuit tamen Victoriarum materies, non defuére Victoriæ, licet per Duces tantùm obtentæ. Inde ſanè Dio Lib. LXXII. Ἐγένετο δὲ καὶ πόλεμοί τινες αὐτῷ πρὸς τȣ̀ς ὑπὲρ τὴν Δακίαν βαρβάρȣς. Εν οἷς ὅ, τε Αλβῖνος καὶ ὁ Νίγρος, οἱ τῷ Αυτοκράτορι Σεβήρῳ μετὰ ταῦτα ἀντιπολεμήσαντες, εὐδοκίμησαν. Μέγιςος δὲ ὁ βρεττανικὸς. τῶν γὰρ ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν ὑπερβεβηκότων τὸ τεῖχος τὸ διορίζον αὐτȣ̀ς τε καὶ τὰ Ῥωμαίων ςρατόπεδα, καὶ πολλὰ κακȣργȣ́ντων, ςρατηγόν τε τινὰ μετὰ τῶν ςρατιωτῶν ȣ̔̀ς εἶχε κατακοψάντων, φοβηθεὶς ὁ Κόμμοδος Μάρκελλον Οὔλπιον ἐπ' αὐτȣ̀ς ἔπεμψεν — Μάκρελλος τȣ́ς τε βαρβάρȣς τȣ̀ς

ἐν βρεττανίᾳ δεινῶς ἐκάκωσε. *Fuere Commodo etiam bella quædam cum barbaris, qui ultra Daciam incolunt, ex quibus Albinus & Niger, qui postea bellum gesserunt cum Severo Imperatore, magnam gloriam consecuti sunt. Sed bellum Britannicum omnium maximum fuit. Quippe cum Britanni essent eum murum transgressi, qui inter ipsos & Romanorum castra intercedebat, vastassentque multa, Romano Duce, & militibus, quos secum habebat, cæsis, Commodus timore perterritus contra eos Ulpium Marcellum misit. Is Marcellus maximis atque gravissimis damnis in Britannia barbaros affecit.* Hic locus, inquit ARCHÆOPHILUS, de Victoriis per Duces obtentis abundè testatur, & si has Commodo adjudicatas, & typo Victoriæ Orbis terrarum venditatas arbitreris, facilè utique acquieverim, cùm idem typus & Augusto, post victum ad Actium Antonium, fuerit datus. Augusto, respondit DULODORUS, jure is datus est, quòd victô Antoniô totum Orbem Romanum sub Imperium suum redegisset. Pace autem Tua dixerim, non Victoriam Orbis Terrarum hôc typô, sed Victoriam Orbis Britannici arbitrarer celebrari, idque non tantùm ex adjectô consulatu IV. quem Commodus gessit, cùm Marcellus Britannos vinceret; Sed etiam quòd Britannia globi undis innatantis figurâ in Numismatibus adumbretur, id quod videre est apud Oisel. T. 27. adeò ut non Orbis Terrarum; sed Orbis Britannicus, hîc devictus jure credatur celebrari. Notandum, quod Lampridius in Commodo refert. *Appellatus est Commodus etiam BRITANNICUS ab adulatoribus, cùm Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* Sequitur.

COMMODI
STATUA HABITU APOLLINIS



In QUADRIGIS ab APOLLONIDE PRÆTORE AURELIOPOLI posita Elegantissimum est hoc Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque nec dubium est de raritate; Mihi sanè ejus memoria nullibi occurrit. Reverendissimus Harduinus id citat, respondit DULODORUS, & quidem ex Cimeliarchio Regio, vocatque *nummum insignem*, docetque *Aureliopolin* fuisse urbem *Lydiæ*, nomenque ei à M. Aurelio Imperatore, Commodi patre, esse factum: Hæc facilè credidero, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & *Apollonidem* ejus urbis *Prætorem*, Apollinis statuam hoc schemate posuisse, ex Inscriptione agnosco; Ita enim legitur: ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΕ CΤΡατηγος ΑΝΕΘηκεν ΑΥΡΗΛΙΟΠΟΛΕΙ. APOLLONIDES PRÆTOR POSUIT AURELIOPOLI. Illud autem non intelligo, quî Commodum sub hoc Apollinis schemate latere statuas, cùm tamen potius ad nomen Prætoris id videatur alludere. Nomen Prætoris, respondit DULODORUS, non excluderem, sed eatenus tantùm, ut Apollinis hic se cultorem ferat, non ut Apollinem ipsum. Commodum autem sub hoc

hoc Apollinis ſimulacro latere, non minus ac ſub eo, quod Adrianopolitani Numiſmate conſecrarunt, habitus ſagittarii mihi perſuadet; Utrumque enim, & Apollinem & Commodum eâ arte excelluiſſe, quis eſt adeò hoſpes, qui ignoret? Et niſi huc reſpexiſſet Apollonides, utique nihil gloriæ ex ejus facto ad Imperatorem redundaſſet. Ad nomen Apollonidæ notandum, Vaillantium non ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΣ, ſed ΑΠΟΛΛΩΜΕΔΗΣ legere, non in hoc tantùm, ſed etiam in aliis duobus, in quorum altero Bacchus in curru, à duobus Centauris tracto, dextrâ thyrſum tenet: in altero Imperator Paludatus in bigis Hippocentaurorum viſitur. Hæc Numiſmata licet inſcriptione à noſtro abeant, modo verè ΑΠΟΛΛΩΜΕΔΗΣ in iis legatur, conjecturam tamen meam firmant, ſub Apolline ſcilicet, ipſum Imperatorem latere. Prodit

HELVIUS PERTINAX
VOTA DECENNALIA SUSCIPIENS.



In Numiſmate moduli magni & æreo, adeòque notiſſimæ raritatis, quanquam res expreſſa rara non ſit. Mihi, inquit ARCHÆOPHILUS, de figura togata dubium videtur, an ipſe *Imperator*, an verò *Senatus* eâ adumbretur. Ipſe Imperator, reſpondit DULODORUS, id enim arguit inſcriptio, quâ Cos. II. Vota ſuſcepiſſe, adeòque & ſacrificaſſe dicitur: Nec obſtat SC. hoc enim non Senatum, ſed Senatus conſultum denotat. Quid, quod Pertinacem ipſum non ſemel ſacrificaſſe, imò & vota ſolviſſe, an ſuſcepiſſe? Julio Capitolino memoretur? Sed vota, quæ hic *decennalia* leguntur, vix ultra tertium menſem rata fuerunt, prænunciô mortis ipſius Imperatoris ſacrificio, quô hoſtiæ deprehenſum eſt cor defuiſſe. Pertinaci ſucceſſit

DIDIUS JULIANUS
CONCORDIA MILITUM FRETUS.



Juliani Numiſmata rara eſſe, excepit ARCHÆOPHILUS, non minus ac Pertinacis, brevitas Imperii docet, propoſitum autem integritate ſuâ, nobiliſſimaque ex virore æruginis venuſtate egregiè ſe commendat. Ea ratio eſt, reſpon-

reſpondit DULODORUS, ut luce dignum exiſtimem; res enim expreſſæ obſcuræ non ſunt, vulgari Concordiæ militaris typô, quæ tamen, quòd auro redemta fuerat, brevi diffluxit. Haud meliore fato

PESCENNIUS NIGER.
CUM
FORTUNA REDUCE.



Peſcennii Numiſmata, excepit ARCHÆOPHILUS, omnium Imperatoriorum in argento rariſſima eſſe, communis Antiquariorum calculus aſſerit. Fortunam autem reducem non intelligo, cùm neque fortuna cum Nigro redierit, neque ipſe Niger poſt imperium ſuſceptum Romam advenerit. Ad ſpem, reſpondit DULODORUS, & Vota Romanorum pertinet Typus. Peſcennium Nigrum ſub Juliano adhuc, quòd jam imperare dicebatur, ad Urbis præſidium à Populo vocatum, Ælius Spartianus Author eſt: *Itáque ei fautum à Senatoribus, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes exſecrationesque omnium, ILLI FELICITER optarent, ILLUM PRINCIPEM inſuper, & illum AUGUSTUM Populus acclamaret.* Non caruit ratione favor publicus; Nota enim erat Viri & prudentia & continentia, quarum altera amorem Principum, altero & *juſti* cognomen ei acquiſierat, adeò ut non fruſtrà labefactatam Commodi ſocordiâ fortunam cum hoc principe, eliſis Juliani artibus, ſeverique promptiâ, redituram & ſperare & vovere potuerint. Effigiem adhuc reſpicio, inquit ARCHÆOPHILUS. Eam, reſpondit DULODORUS, non minus ac reliquum corporis habitum deſcribit allegatus Æl. Spartianus, ex quo ſimul & rationem cognominis *Nigri* docemur: *Statura*, inquit, *Peſcennius fuit prolixa, forma decorus, capillitio in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita ut in campo loquens per mille paſſus audiretur, niſi ventus adverſaretur; oris verecundi, & ſemper rubidi, cervice adeò nigra, ut quemadmodum multi dicunt ab ea NIGRI nomen acceperit. Cætera corporis parte candidus, & magis pinguis* &c. Sed hunc Fortuna non fovit, ſed evertit. Victorem oſtendit

SEVERI

SEVERI
NUMISMA A BOSTRENIS PERCUSSUM.



Severi? excepit ARCHÆOPHILUS; At inſcriptio ΟΥΗΡΟC habet, ideòque potius ad Verum Marci fratrem Numiſma videtur reducendum. Chronologia obſtat, reſpondit DULODORUS. Eam in averſa juxta templum vides, literis ET. PΔ. expreſſam, quæ proculdubio annum 104. deſignant. Et quorum? ſi non Boſtrenorum Arabiæ Petrææ, cùm ſub templo BOCTPA, nomen urbis, apertè legatur. Arabiam ſcilicet Trajanus provinciam fecerat, teſtante inter alios & Ammiano Marcellino, idque A. VC. 858. quô & Boſtrenorum Æra radicatur: adeò ut hinc planum utique ſit, in Severi Principatûs Annum 16. Numiſma incidere, Decimum quartum ſcilicet poſtquam pari cum Trajano merito Arabes & ipſe devicit, urbis Conditæ autem 962, quô Severus in Britannia belligerabat, ut ita Boſtreni hôc Numiſmate ſuam fidem Imperatori omninò credi debeant eſſe teſtati, licet is etiam in diſſitiſſimis regionibus militaret. His poſitis, facilè credideris, duas priores nominis literas CE, ut & anteriores poſt AV. K. injuriâ temporis eſſe detractas, quæ tamen ita ſuppleri poſſunt. AV. K. A. CEΠΤ. CΕΟΥΗΡΟC: idque eò magis, quòd nec effigies de Severo dubium relinquat, brevior, quàm ut Veri credi poſſit. Si Chronologia ſubſiſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, quod contradicam non habeo; Sed pace tuâ proferre liceat, quod ſentio. An Æræ caput ſub Trajano radicari poſſit, dubitem. Conceſſa libertas, aut aliud quoddam inſigne beneficium ejusmodi Æras radicavit; ubi autem impoſitum jugum? Ubi patria ſubacta? ubi Regio in provinciæ formam redacta? An Tu, reſpondit DULODORUS, tam rigidum arbitraberis Trajanum, ut nullô Boſtrenos beneficiô credi poſſit affeciſſe? At tantâ lenitate, ut alios, ita & Arabes proſecutus eſt, ut Caſſiodorus eos non in Provinciæ formam redactos, ſed in fœdus receptos aſſerat. Beneficia ſanè à Trajano accepta teſtatur adhuc hodie Broſtrenorum Gratitudo, quâ urbem ſuam in Numiſmatibus *Novam Trajanam* dixerunt, quod prænomen etiam in noſtro exſtitiſſe, injuriâ autem vetuſtatis periiſſe, cùm ſpatium ſervire potuerit, haud abs re forſan conjicias. Ut autem de Æra Boſtrenorum certius teſtimonium addam, en locum Chronici Alexandrini, quem Rev. Harduinus in Antirrhetico p. 58. ſuggeſſit. Author Chronici Paſchalis ſive Alexandrini, Anno Trajani VIII. Æræ vulgaris CV. *Petræi*, inquit, *& Boſtreni ab hoc anno ſuam Æram inchoant.* Πετραῖοι καὶ βοςρηνοὶ ἐντεῦθεν τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι. Quid apertius dici poteſt? Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ autem in Templo figura? & quid pede calcat? Figuram, reſpondit DULODORUS, Aſtartem arbitrantur eſſe, ſed verius fortaſſe Genium urbis credas, quòd turrita ſit, & Cornu-copiæ regionis abundantiam deſignet, ſimilesque Urbium Genii intra Templa, etiam in aliarum urbium Nummis proſtent. Hoc ſi præferas, poterit id quod pede premit, aquam Stygiam adumbrare, quæ in

Boſtra Arabiæ ſe exonerare Damaſcio apud Photium memoratur. Locum eò libentius produco, quò apertius & ad Numiſma Boſtrenorum ſub Severo percuſſum quadrat, eôque ſimul contra dubium defenditur, de Severo, & non de Alexandro Severo accipiendus. Ita habet: Τῆς Ἀραβίας τὸ ϛυγαῖον ὕδωρ κατειβόμενον ἀπεδήμησεν εἰς τὰ Βόϛρα τῆς Ἀραβίας, πόλιν μὲν οὐκ ἀρχαίαν (ὑπὸ γὰρ Σεβήρου τοῦ βασιλέως πολίζεται) φρούριον δὲ παλαιόν. *Arabiæ AQUA STYGIA ſubter labens exonerat ſe in BOSTRA Arabiæ, quæ ſub SEVERO Imperatore in civitatem redacta eſt, cùm olim præſidium fuiſſet.* Præſidium, excepit ARCHÆOPHILUS, & rectè; Inde enim caſtellum ſub Trajano factum, *Novæque Trajanæ* prænomen traxiſſe, poſtea autem à Severo auctam & in urbem erectam, tandemque docentibus nummis, ab Alexandro eam in magnitudinem provectam, jure crediderim, quam in ea Ammianus Marcellinus laudat de Arabia locutus: *Hæc*, inquit, *Civitates habet inter oppida quædam ingentes Boſtram, Geraſam & Philadelphiam murorum firmitate cautiſſimas.* Quicquid ſit, reſpondit DULODORUS, tamen ad Numiſmatis noſtri gloriam non tacendum, ſolum id à Boſtrenis ſub Severo percuſſum, ſolum cum Boſtrenorum Æra hactenus apparuiſſe: quod adeò verum eſt, ut Rev. Harduinus in Antirrhetico p. 58. non dubitaverit aſſerere, Arabes & Boſtrenos in nummis Annos minimè ſignaſſe, Audax effatum! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Audax in Antiquitatis ſtudio, ſubjecit DULODORUS, cum incognita nobis indies detegantur. Prodit

SEVERUS
CUM
ABGARO ET SERPENTE.



De Abgaro, inquit ARCHÆOPHILUS, plura memini Patinum ſcripſiſſe, qui & Numiſma propoſitum ad eum refert, qui cum Severo, teſte Herodiano, ſocia contra Parthos arma junxit, indeque *Magni Regis* titulum accepit, Ælioque Spartiano *à Severo victus* memoratur, ſive id ante, ſive poſt conjunctionem factum ſit. Hæc ſcio, ſubjecit DULODORUS, neque ideò numiſma repeto, ut clarius lumen affundam; ſed ideò, ut Tiara, ipſaque Abgari effigies innoteſcat, aliter planè in Numiſmate, ac in pictura Patini expreſſa. Agnoſco differentiam, inquit ARCHÆOPHILUS, Tiara margaritis circumdatur, & neſcio quibus radiis prætexta ſit, Diademate ſanè revinctum, dependentes à tergo lemniſci arguunt. Ita & Effigies genis rotundioribus, nasô longiore & aquilino, mentô breviore delineatur; Sed hæc Numiſma inſpicienti facilè patent. Ad ſecundum tranſeo, quod ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ eſſe, ex inſcriptione noſcitur. Quid autem Serpens, multiplicibus nodis & gyris contortus? Patinus reſpondit DULODORUS, hunc typum ſub Caracalla proponens, ad *Pythonem* Apollinis ſagittis confoſſum reſpicit: Reverendiſſ. Harduinus autem ſub Ἀδριανόπολι *Æſculapium* agnoſcit, idque ex Arnobio ſe dictu-

dictorum profitetur, sub Dionysopoli autem hunc serpentem ad *Bacchum* videtur referre, eò quòd in pluribus hôc tractu urbium nummis is prostet, Bacchusque in Thracia summô olim in honore fuerit. Has inter opiniones, quæsivit ARCHÆOPHILUS, quid sequar? Arbitrium non suscipio, respondit DULODORUS, unaquæque enim in Αδριανοπολίτων Numismatibus fulcrum habet: Est Apollo Sagittarius apud Patinum. Est Bacchus apud Harduinum: Est Æsculapius apud Vaillantium, adeò ut judicium hic suspendere, quàm certi quid statuere tutius sit. Sequuntur

SEVERUS ET JULIA,
SOLIS ET LUNAE RADIANTES INSIGNIBUS.



An quod Julia crudelitatem Severi temperaret? excepit ARCHÆOPHILUS, eôdem modô, quô Solis ardorem Luna? Ita Tristanus, respondit DULODORUS; & quidem ad Numisma Juliæ LUNA LUCIFERA inscriptum, ad quod Juliam Oppiano ȣ λείπȣσαν Σελήνην dictam, commodè etiam ad Numisma propositum, observat; sed ea ratio, quòd Severi vituperium involvit, mihi minus quadrare videtur. Potius ut

Certis dimensum partibus Orbem
Per duodena regit Mundi Sol aureus astra;

utque

Arcanæ moderatrix Cynthia noctis.
Fœcundâ recreat subjectas lampade Terras.

Ita & Severum & Juliam, Solis & Lunæ instar, sociis Virtutibus Orbem Romanum tueri, & in omne felicitatis genus evehere, eleganter hôc typô videbitur adumbratum. Quid autem in aversa, excepit ARCHÆOPHILUS, an Fluvius? an Jupiter? Inscriptionem, respondit DULODORUS, injuria temporis subtraxit, indeque pro certo nihil affirmo, quanquam ut pro Jove decernam pronior sim:

ILLE dedit PHOEBO radios, & cornua LUNÆ,

ut Boethius canit, quâ ratione Solem & Lunam *Jovis oculos* dictos, Athanasius Kircherus observat, ut alibi jam dictum est. Subit

JULIA
CUM
VENERE VICTORIA,



Venerem Victricem video, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem eô ſchemate, columnæ ſcilicet adnixam, & ſuperiora nudam, palmamque & pomum præferentem, quô & in aliis viſitur. In aliis, excepit DULODORUS, palmam & pomum præferentem, ad columnam Venerem, niſi ſub Julia vix invenies: Apud Biæum ſub Tito haſtam & galeam habet. Alibi, licet interdum palmam, interdum pomum, pomum tamen cum palma rarius. Sed hoc proponendi Numiſmatis cauſa non eſt. Inſcriptio me movet, quæ, non ut Mediobarbus habet, VENERI VICTR; ſed VENER. VICTOR. legitur, quô argumentô nihil dubitem aſſerere, Venerem Romanis non tantùm Victricem, sed & *Victoriam* cognominatam eſſe, eôdem modô, quô & Græcis ΑΘΗΝΗ ΝΙΚΗ ſive *Minerva Victoria*. Literæ claræ ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem ſi errorem monetalem ſuſpicemur? Si res vel Juliæ contemtum involveret, reſpondit DULODORUS, vel etiam abſurda foret, eò delaberer & ipſe; cùm autem exemplô Minervæ fulciatur, honoremque Juliæ habitum augeat, errori eam adſcribere vereor. Honorem augeat? excepit ARCHÆOPHILUS; at idem ſonat Venus Victoria, quod Venus Victrix. Imò immane quantum differunt, reſpondit DULODORUS. *Victoria* dicitur ὁμονύμως, *Victrix* autem ἐπονύμως, id quod jam Tomo primo ad Victoriam Ἄπτερον, de Minerva Victoria notaſſe memini, licet non plenius dilucidatum. *Venus Victrix* ſcilicet, eam Venerem ſonat, quæ vincit; ſed *Venus Victoria* non eam tantùm, quæ vincit, ſed & eam, quæ Victoriam tribuit; ſuccedit enim in Victoriæ locum, ejusque potentiam exercet. Et hoc annon Juliæ glorioſum, quæ non muliebribus tantùm illecebris Maritum ſibi devinxit, eòque Veneri Martem vincenti aſſimilari meruit, ſed MATER CASTRORUM audit in Numiſmate, in Continuatione, hoc ipſo ex Electorali Cimeliarchio, producto: adeò ut abſurdum non ſit, ſi adulatio finxerit, etiam Victorias bellicas ab hujus nutu pendere: idque eò tutius, quòd Severus ipſe ex horoſcopo Juliæ futuram Imperii Majeſtatem ſperaverat. Id in Syria factum, excepit ARCHÆOPHILUS, cùmque cognomen *Domnæ*, quod Syriacum eſt, in Nummo legatur, fieri poteſt, ut Severus ſpei ſuæ ſucceſſum, adeòque de hoſtibus victorias, Juliæ ſuæ hoc Numiſmate adſcripſerit. Palma ſanè, quæ Victoriæ propria eſt, opinionem fulcit; Quid autem pomum, annon hoc potius globum arbitrer, quam & Mediobarbus deſcripſit? Quicquid ſtatuas, reſpondit DULODORUS, perinde eſt; *Pomum* enim hodieque vocamus, quod *Mundum* Imperatoribus adumbrat: adeò ut imperium Mundi & Victorias à Julia Severo tributas hoc ſchemate adumbratas non abs re arbitremur, non excluſâ tamen Juliæ venuſtate; hanc enim conno-

connotari, vel ſola Venus, ſub qua Julia latet, utpote venuſtatis Dea, abundè teſtabitur. Eadem

JULIA,
DEA SYRIA



Audit, & quidem in Numiſmatibus rariſſimis, quorum alterum Damaſci, alterum Hieropoli percuſſum eſt. Syriæ has urbes eſſe, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Stephano liquet. In neutro autem Numiſmate Dea Syria videtur exprimi, cum in primi templo caput turritum urbis Genium adumbret, in ſecundo autem non Dea Syria, ſed ipſa Julia ex ornatu noſcatur. Caput turritum, reſpondit DULODORUS, ad urbis Genium cum Vaillantio refers, cùm autem eôdem habitu etiam Dea Syria pingatur, majorque honos in hac, quàm in Genio urbis, Juliæ accreſcat, & inſuper credibile ſit, non tam urbis ſuæ Genium, quam Deæ Syriæ, quæ eadem ac Deorum mater fuit, in Templo Damaſcenos collocaſſe, adeoque adoraſſe, pro hac omninò arbitrer dicidendum: præſertim, cùm eadem Julia, licet in ſecundo Numiſmate nullô Deæ Syriæ ornatu pingatur, ΘΕΑC ΣΥΡΙΑC tamen elogio & Nomine afficiatur. Sub Caracalla hoc Numiſma percuſſum eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, id enim evincit in averſa truculentior ejus effigies. Hæc ratio, reſpondit DULODORUS, Numiſma fortè ſub Caracalla proponendum ſuadebit, cùm autem Juliæ effigies in eodem notiſſima ſit, eique utpote in Syria natæ, Jovisque Romani matri, *Deæ Syriæ* nomen optimè conveniat, in confiniis collocandum cenſui, ſed ita ut Divinus honos humanam, licet ſummam, poteſtatem antecellat.

CARACALLÆ
VICTORIAM CELEBRARUNT MYTILENAEI.



Numiſma hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, elegantiſſimum ſanè & magnitudinis maximæ, qualia vulgo *Medaigloni* vocantur, niſi fallor à celeberrimo Vaillantio inter Numiſmata Imperatorum Græca recenſitum eſt. Non hoc, reſpondit DULODORUS, ſed alia, vel figuris, vel inſcriptione ab hoc diverſa:

QuodVictoriam in bigis apud eum, dextrâ palmam tenentem præfert, ut nostrum, id primæ magnitudinis est, quam nostrum excedit, sed inscribitur: ΕΠΙ CΤΡ. ΠΟ. ΙΟ. ΛΕΟΝΤΟC ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ: Quæ inscriptionem cum nostra eandem habent, ea magnitudine quidem eâdem notantur, sed Victoriam in bigis cum palma non præferunt: adeò ut haud absurdè nostro singularem raritatem adjudicare audeam, præsertim cum nec inscriptio ubique conveniat. Et qua in re? excepit ARCHÆOPHILUS, in una aperte, respondit DULODORUS, in altera autem non nisi ex mea conjecturâ, quam tamen integrior nummus facilè evertet. Illa est in nomine ΑΠΕΛΟΥ quod in nostro Numismate unico tantum Λ expressum cernimus, cùm apud Vaillantium duplici signatum ΑΠΕΛΛΟΥ legatur: Hæc est in sequentibus, ubi Vaillantius. Β. ΜΕΝΕΜΑCΗΟΥ legit explicatque *iterum Menemachi filius*. Et quid hîc absurdi? excepit ARCHÆOPHILUS. Illud, respondit DULODORUS, quòd litera Β. inter nomina ΑΠΕΛΟΥ & ΜΕΝΕΜΑΧΟΥ interjicitur; Quis enim Apelum bis Menemachi filium rectè dici credat? Literam Β. reposuit ARCHÆOPHILUS, ego potius ad literas CΤΡ. respicere arbitrarer, ita ut Apelus hic, Menemachi filius, iterum prætor fuisse significetur. Si hoc contendas, respondit DULODORUS, minimùm fateberis iniquo loco hanc literam positam esse; At inquit ARCHÆOPHILUS, hæc litera raró cum literis CΤΡ conjungitur, imò ferè semper post nomen Prætoris ponitur. Imò, respondit DULODORUS, si immediatè sequatur nomen urbis; Si autem nomen genericum Patris adhuc præcedat, ut in nostro nummo, litera numeralis Β. & huic postponi solet, ut in Numismate ΦΟΚΑΙΕΩΝ eidem Vaillantio sub Commodo descripto, in quo ita legitur CΤΡ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΑCΚΛΗ. ΤΟ. Β. ΦΩΚΑΙΕΩΝ. quod Vaillantius rectè interpretatur *Prætore Heraclide Asclepiadis iterum Phocæensium*. Si hæc ita se habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo nos expediemus? Conjecturâ, respondit DULODORUS, videlicet non Β. ΜΕΝΕΜΑΧΟΥ, sed divisâ litera Μ in Ι & Λ, legendum ΒΙΛΕΝΕΜΑΧΟΥ, hoc sanè si facias, omnia deinceps plana erunt. Integrior Nummus, excepit ARCHÆOPHILUS, rem dijudicet necesse est. Vix sanè crediderim, cum in quinque Nummis, in quibus Vaillantius idem planè legit, ne unicus quidem sit, qui opinioni tuæ faveat; Imò potius aliud suæ constructionis exemplum suppeditat idem, ΑΠΕΛΛΑΣ Β. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ Μυτιληναίων etiam sub Commodo legendo. Ita in Indice Magistratuum, respondit DULODORUS, sub Commodo autem inscriptio mutila tantum ΕΠΙ CΤΡΑ. . . . . ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥC. ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ habet, ut ita Indici hac in re fidem non habendam ritè statuam. Imò cùm eodem in Indice inscriptio proposita Caracallæ non memoretur, memoretur autem in Commodi Nummo ΑΠΕΛΛΑC, qui in eo non legitur, liquidò constare poterit, duas Numismatum inscriptiones confusas ibi recenseri. Cæterùm haud invitus agnosco, in quintuplici nummo errorem præsumendum vix esse, ideoque nec meis pertinaciter inhærebo, modò dubium meum mihi solidâ ratione discuti possit. Id ego non potis sum, subjecit ARCHÆOPHILUS, potius re in medio destitutâ quærere lubet, ad quam Victoriam hic typus pertineat? an ad Ludicram quandam? His enim Antoninum nostrum delectatum, vel inde colligo, quòd Athletas is suis in Numismatibus expresserit, uti apud Illustrissimum Mediobarbum videre est. Eòdem respicerem & Ego, respondit DULODORUS, nisi alia sub hoc Apelo à Mytilenæis percussa Caracallæ Numismata rem ad Victoriam bellicam detorquerent. Quinque Vaillantio memorari, supra dictum est.

Ea

a inter in *primo* Imperator paludatus ſtans cum Parazonio coronatur à Victo-a, ſiniſtrâ palmam tenente: In *ſecundo* Imperator in quadrigis cernitur præ-ınte figura militari, & ponè adjectis ſignis militaribus: In *Tertio* Typus idem ım tropæo in vertice viſitur, ad cujus imum duo captivi ſunt. Quid ex his pis colligas, ſi non Victoriam noſtram in bigis cum palma ſtantem, non minus d Victoriam Martiam pertinere? Et quam, ſi non vel Germanicam vel Par-hicam? cùm horror vultus Numiſma ad poſteriores Imperii annos indubiè ejiciat. Aliud produco.

CARACALLÆ ET GETÆ SALUTEM, AESCULAPIO SUO COMMENDARUNT PERGAMENI.



Duo capita juvenilia video, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem *Cara-allæ* & *Getæ* ea ſint, cùm Inſcriptio vetuſtate maximam partem abſumta legi non poſſit, non abs ratione dubitarem. Dubii nihil eſt, reſpondit DULO-DORUS. Non facies tantùm, ſed & ſuperſtites literæ aſſertum fulciunt; Quid enim aliter legas ſub utroque capite ΛΟΥCΕΠ. . . . . ΓΕΤΑ. . . . . quàm ΛΟΥΚΙΟC CΕΠΤΙΜΙΟC ΓΕΤΑ. quô poſitô utique apertum eſt, In-ſcriptionem in Circulo deletam, aliam non fuiſſe, quàm ΑVΤοκράτωρ. Κ. Μ. ΑVΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC: adeò ut utriusque effigies hîc expreſſa ſecurè utique credatur. Poſt vocem Geta, excepit ARCHÆOPHILUS, adhuc literæ, niſi fallor ΠΑΡ. viſuntur. His quid ſignificetur? an *Parthicum* Getam cognominatum? Nihil decerno, reſpondit DULODORUS, quanquam nec videam, quid aliter hæc legam. Si integrior nummus accedat, eundem honorem & Ge-tæ diſcernus tributum, qui & fratri Antonino; nam hunc in Oriente adhuc cum Trib. poteſtatem IV. obtineret, non minus ac Patrem, ob rem contra Parthos feliciter geſtam, PARTHICUM MAXIMUM appellatum, Numiſmata teſtantur. Quicquid autem ſit, Numiſma non tantùm, quòd maximi moduli ſit, ſed & quòd inſolitô planè in averſa typô fulgeat, rariſſimum juxta & præ-ſtantiſſimum jure cenſetur. Æſculapius à Centauris faciferis extollitur. In-ſcribiturque ΕΠΙ. CΤΡ. ΦΛΑ. ΞΕΝΟΚΡΑΤΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. . . . . ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Æſculapium, excepit ARCHÆOPHILUS, Centaurorum faciferorum bigis vectum, memini apud Clariſſimum Morellium vidiſſe, ſed in Numiſmate Veri, ad quod Illuſtriſſimus Spanhemius peculiari Epiſtolâ, & ſuô more eruditiſſimè commentatus eſt, Æſculapium demonſtrans non tantùm à Chirone Centauro, ex mente Pindari Pyth. Od. III. educatum, artemque me-dendi edoctum; ſed & ex Hierocle, hominum Equorumque curam geſſiſſe: imò & ex Ariſtide, Δαδȣχον dictum, quòd amicas faces præferret, per ſom-nium remedia docendo eos, qui in ejus Templo pervigilia agerent. Benè hoc obſervaſti, inquit DULODORUS, quanquam in nummis non Æſcula-pius

pius ipse, sed Centauri facem præferant, & cui si non ipsi Æsculapio? quo in Morelliano trahunt, in proposito extollunt, adeò ut hoc schemate potiss mùm ad Pindari effatum respexisse Pergameni omninò videantur. Quicqu autem sit, illud minimùm patet, Pergamenos salutem Principum Deo suo cu vel futuram esse, vel fuisse, egregiô hôc Numismate testatum voluisse. No abs re, excepit ARCHÆOPHILUS, Eôdem enim Spanhemio ex Herodian Lib. IV. C. VIII. observante, Antoninus Caracalla Pergamum adiit, ut Æsc lapii curationibus uteretur, ibique somniis quamdiu voluit captatis deincep Ilium petiit. Hoc postmodum factum est, respondit DULODORUS, cù fratre jam cæsô, malorum facinorum conscientiâ vitam urbanam perosus, A siam adiisset; Sed Numisma nostrum non hoc tempore, sed multò antè pe cussum est: Tunc scilicet, cùm & Antoninus & Geta cum Severo Patre, u apud eundem Herodianum Lib. III. c. 9. memoratur, rem contra Parthos fel citer gessissent. Suffragatur cognomen *Parthicum*, subjecit ARCHÆO PHILUS. Si vera sit lectio, respondit DULODORUS; Sed idem agno scas & ex imberbi & venusta adhuc, non Getæ tantùm, sed & Caracallæ faci cùm vel Spartiano teste, imò & ex Nummis constet, hunc in pueritia blan dum fuisse, pueritiam egressum, vultu truculentiorem factum. Cæterùm ne causa Pergamenis defuit Dei sui vires vel commendandi vel celebrandi. Eô dem enim Spartiano memorante, cùm Ctesiphontem Romani obsiderent morbos ægritudinesque contraxére, fluente, per insuetudinem cibi, militum alvo. Sequuntur

GETÆ
CONGIARIUM ET CUM FRATRE RECONCILIATIO.



Et Congiarium quidem in Numismate integerrimo, viridique & nobilissima ærugine inducto, ipsô Geta cum Patre & fratre in suggestu sedente, congiariumque togatis duobus, suggestum ascendentibus, porrigente. Non *Congiarium*, reposuit ARCHÆOPHILUS, hic consessus inscribitur, sed FELICITAS SÆCULI. Id ideò, respondit DULODORUS, quòd felicitas Sæculi in congiariis & liberalitate Principum ponatur. Egregia felicitas! excepit ARCHÆOPHILUS, quæ ex sanguine & succo civium defluxit. Imperium Severi rigidum & infinitis cædibus & rapinis contaminatum fuisse constat, nec tale proinde congiarium hoc fuerit, quale sub Hadriano vidimus: non innocuum, aut de propriis Severi aut filiorum ejus, sed de proscriptorum & interèmtorum bonis largiebatur. Utcunque hæc sint, inquit DULODORUS, sæpius tamen Congiarium dedisse, idoneis authoribus Severus memoratur; Tantò difficilius est scire, subjecit ARCHÆOPHILUS, ad quod Congiarium Typus propositus pertineat? Id ex Inscriptione capitis patebit, respondit DULO-

DULODORUS, apertè enim Geta non Pontifex tantùm, sed & Consul appellatur. Benè, inquit ARCHÆOPHILUS, inde enim haud absurdè collegero, non aliud congiarium notari, quàm de quo Ælius Spartianus: *Filios deinde Consules designavit. Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, & CONGIARIO Populo dato.* Chronologiam in his, reposuit DULODORUS, Spartianus minus videtur observasse. Severus ad bellum Parthicum profectus est A. VC. 952. Geta autem consul factus est anno demum 958. cùm jam ante triennium Severus de Parthis triumphans rediisset, ante biennium Vota Vicennalia suscepisset, ante annum Sæcularia celebrasset, quæ solennitates proculdubio nec ipsæ abque congiariis fuerint actæ. Adde quòd eôdem Spartianô authore, Severus filium majorem consulem designaverit non ante profectionem in Parthos, sed Antiochiæ, & quidem secum: quem consulatum & in Syria inierunt eôdem annô, quô, confectô jam bellô Parthicô, Romam reversuri erant, adeò ut non abs re in allato Spartiani loco vel mendum vel oscitantiam subolfacias. Nihil temerè affirmo, inquit ARCHÆOPHILUS, velim autem scire, ad quod congiarium nummus reduci debeat? Ad id, respondit DULODORUS, quod liberalitatem VI. Severus inscripsit, eôdem ferè typo insignitum, quodque Illustrissimus Mediobarbus sub anno consulatum Getæ præcedente non minus ac Sæcularia recensuit: Sæcularia, inquam, quæ & ipsa in Nummo Getæ cum consulatu signata, apud Eminentissimum Card. Norisium ad Cenotaphia Pisana p. 170. citantur. Sæcularia certè designat & vox Sæculi, non tantùm in Numismate nostro, sed & in simili Severi apud Angelonum. Ad alterum Numisma transeo, inquit ARCHÆOPHILUS. Signatum hoc est Trib. P. II. adeòque sub Geta Augusto, & cum Patre & fratre adhuc in Britannia militante. Rectè sentis, respondit DULODORUS, ea autem Numismatis hîc vulgandi causa non est, sed ut ostendam, quæ inter Caracallam & Getam sacrificantes intercedit, non Vestam esse, quod Vaillantius ait, sed ipsam Juliam; eôdem enim modô Orbem terrarum divisuris adstans, apud Angelonum Pietati Augustæ inscribitur, & accedit Numisma Severi in Continuatione productum, in quo, ut hîc Julia, ita Severus sacrificantibus adstat, apertô argumentô, & Severum & Juliam gliscentem animorum in fratribus dissensum, vel metu Deorum compositurus, his & similibus typis adumbrari; Rem cùm pluribus scripserit Herodianus, hîc utpote notissimam consultò prætermittimus. Sequitur

GETA
CUM COL. JUL. PELLENE, & LAMPTERIIS,



In Numismate rarissimo juxta & elegantissimo, & cui simile in luculento Vaillantii

 de

de Coloniis Opere, ne unicum invenias. Coloniam Juliam lego, excepit ARCHÆOPHILUS, quænam autem ea fuerit, non lego. Id ex figuris docemur, respondit DULODORUS. Ex figuris? excepit ARCHÆOPHILUS; At hæ certamen Lampadum videntur adumbrare, quod Athenis Triplici festo celebrabatur, *Panathenæis*, *Vulcanalibus*, & *Prometheis*; An huc respiciendum sit, respondit DULODORUS, dubito. In lampadum certamine Lampades in urbem portabantur, quod hîc secus est; nam templum videmus intrantes, non urbem. *Deinde*, si lampadum certamen designaretur, proculdubiò & lampada tradentium in Nummo memoria esset, nam hoc eô in certamine solenne fuisse, ex iis patet, quæ Meursius ad id eruditè congessit. In Numismate, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil tale. Quatuor figuras cerno lampades gestantes, & *unam* quidem jam intra Templi januam consistentem, *Reliquas tres* Templo appropinquantes: An hoc in Lampteriis? Omninò, respondit DULODORUS; Ita enim Pausanias, ubi de Pellenensibus agit. Τȣ̃ δὲ ἄλσȣς τῆς Σωτείρας ἱερὸν ἀπαντικρὺ Διονύσȣ λαμπτῆρός ἐςιν ἐπίκλησιν. Τȣ́τῳ καὶ λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγȣσιν καὶ δᾶδας τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζȣσιν ἐν νυκτὶ &c. *Contra lucum sospitæ, est Liberi Patris templum, quem LAMPTERA à luminibus nuncupant, festumque ei Diem LAMPTERIAM celebrant, ILLATIS noctu INTRA ÆDEM accensis FACIBUS, passimque per urbem dispositis vini cadis.* Vini cados non video, excepit ARCHÆOPHILUS. Nec opus est, respondit DULODORUS, cùm nec in appellatione comprehendantur, nec ea hîc exhibeantur, quæ per urbem, sed quæ ad templum fiebant. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an hæc solennitas hoc in Nummo expressa indubium Pellenæorum symbolum fuerit? Omninò, respondit DULODORUS; neque enim in alia urbe quacunque ea celebrabatur, adeò ut simul hinc, etiam tacente historia discamus, Pellenem *coloniam juliam* fuisse, non minus ac eôdem in tractu aliæ, exempli gratia *Corinthus*. Omnia hæc si admittam, excepit ARCHÆOPHILUS, nondum tamen video, quid ad Getam faciant. Quid aliud, respondit DULODORUS, si non ut honores Liberi Patris ei deferrentur. Is sanè consuetus adulantis Græciæ mos fuit, ut Imperatores Romanos etiam Deorum suorum cum detrimento venerarentur. Sed in Geta notandum, quod Numisma haud diu ante mortem signatum ex barba colligi possit, eò scilicet tempore, quo, mortuô Severô, ex Britannia cum fratre Romam reversus, ejusdem invidiam eò usque sustinuit, donec impiô cognatôque ferrô ad æternitatem expelleretur, honoresque divinos etiam eô deferente obtineret, qui fratrem *Divum* quam *Vivum* maluit. Sed hunc ultus est Macrinus.

MACRINO ET DIADUMENIANO, MARCIANOPOLITAE MERCURIUM SIGNARUNT.



Marcianopolin, inquit ARCHÆOPHILUS, Urbem Mœsiæ, à Trajani sorore

ſorore *Marciana* conditam, ex Ammiano Lib. 27. recordor. Et licet plura ejus ſub Macrino Numiſmata proſtent, cum Mercurio tamen adhuc nullum vidi. Id Numiſmatis raritatem fulcit, excepit DULODORUS. Notandum autem, Mercurium etiam ſub Diadumeniano, Elagabalo & Gordiano eos ſignaſſe, uti ſub Macrino, Jovem, Æſculapium, Cybelen, Palladem, id quod apud Cel. Vaillantium videre eſt. Quæ rei cauſa? quæſivit ARCHÆOPHILUS, an quòd hos Deos coleret? an quod Deorum ſuorum auxilium Macrino voverent? Utrumque crediderim, reſpondit DULODORUS. Certè quod propoſitum attinet, Mercurius non fruſtra Crumenam & Caduceum Macrino videtur ferre. Pacis & felicitatis indicium eſt Caduceus, & pacem Macrinus à Partho ingenti pecunia redemit, cùmque *Pii* & *Felicis* cognomina ei à Senatu decreta eſſent, ille *Felicis* nomen recepit, *Pii* habere noluit. Ita & crumenæ Mercurii convenientiſſimum videtur, quod Julio Capitolino teſte, in auro parciſſimus fuit. Fortaſſe, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Marcianopolitæ huc poterunt reſpexiſſe, Imperatori gratificantes, dum in Oriente bellum componit, pacisque nervum conficit; Quid autem inſcriptio, & adjecta Mercurio litera E? Inſcriptio, reſpondit DULODORUS, in adverſa Nomina utriusque Imperatoris exprimit: ΑΥΤοκράτωρ Μάρκος ΟΠΕΛΛιος ΣΕΥηρος ΜΑΚΡΕΙΝος & . . . ΟΠΕΛΛΙος ΑΝΤΟΝΙΝΟϹ, ubi notandum, non *Opelium*, ſed *Opellium* nominari & patrem & filium. Averſa ita legitur: ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ *ſub Pontiano Marcianopolitarum.* Literam E. eôdem modô etiam ſub Elagabalo & Gordiano offendimus, id quod ex ſequentibus patebit; Quid autem ea litera deſignet, haud facilè dixerim, niſi fortè vel initialis ſit Nominis ejus, qui Numiſma ſignavit, vel etiam numeralis, indicetque Quinquennalia pro Imperatoris felicitate ſuſcepta. Sed nihil affirmo. Sequuntur

ELAGABALUS
&
DEMETRIA NICOMEDIENSIUM TER NEOCORORUM.



Rarum hoc, & elegans eſt Numiſma. Vaillantius, licet & Cererem & Fortunam: Licet & ΑΝΤΩΝΙΝΙΑΝΑ à Nicomedienſibus ſub Elagabalo percuſſa recenſeat, ΔΗΜΗΤΡΙΑ tamen non tangit. An Nicomedienſes, inquit ARCHÆOPHILUS, tot Numiſmata Elagabalo ſignaverint? Et quæ cauſa? Præcipua, reſpondit DULODORUS, proculdubio fuerit ejus præſentia. Nicomediæ Elagabalum hibernaſſe, Ælius Lampridius author eſt, idemque confirmat & Dio ψευδαντωνῖνος, inquit, ἐν τῇ Νικομηδίᾳ ἐχείμαζε, *Pſeudantoninus Nicomediæ in hibernis agebat.* Si hoc ita ſit, inquit ARCHÆOPHILUS, non miror Cererem in Numiſmate Vaillantii expreſſam; Cererem enim memini

(S) 2 Nico-

Nicomedienses etiam sub Macrino, in Numismate ipsius hujus Electoralis Cimeliarchii signasse. Imò & in Nummis aliorum, respondit DULODORUS, Antonini Pii, Commodi, Severi apud eundem Vaillantium: ut taceam Cereris insignia *spicas*, in Nummo Vespasiani: Tædam ardentem cum involuto serpente, spicis & papavere, sub Faustina: quibus ex omnibus non Cereris tantùm cultus, Nicomediæ præcipuus, quæ proinde Libanio *Cereris Urbs* vocatur; sed & Bithyniæ, cujus urbs Nicomedia fuit, fertilitas elucent. De agro circa Nicæam Bithyniæ Metropolin testatur Strabo & Dionysius, in descriptione Orbis terrarum: Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιεταίουσι. *Bithyni*, inquit, *pinguem terram incolunt*, ad quæ Scholiastes: τοὺς βιθυνοὺς καὶ ναυτικοτάτους ἱστοροῦσι γένεσθαι ποτὲ, καὶ τὴν αὐτῶν γῆν παμφορόν τε καὶ εὔδενδρον εἶναι φασὶ. Hæc operosè adstruere, excepit ARCHÆOPHILUS, ad propositum necesse non est; nulla enim hîc Cereris, nulla fertilitatis mentio. At est ΔΗΜΗΤΡΙΩΝ, respondit DULODORUS, festi Cereris, uti apud Meursium videre est, cujus Nota in Theophrastum Eresium L. v. c. 3. si valeat, *Megaram* scilicet *in Demetriis occupatam* legentis, simul & festi hujus apud Nicomediensis origo patebit; Strabone enim teste Megarenses & Athenienses eodem in sinu Astacum condiderunt, Astaci autem Cives, urbe à Lysimacho deletâ, Nicomediam transtulit Conditor. Sed quid multa? cum Cereris Templa apud se ædificata, *Megara* dicta, Megarenses ipsi fateantur, apud Pausaniam in Atticis? quo ex loco utique conjecturà Meursii haud debile fulcrum trahit. De Demetriis, subjecit ARCHÆOPHILUS, hæc dubitare non sinunt. Quid autem hæc ad Elagabalum? quid ad Tria in Numismate Templa? Paucis dicam, quod sentio, respondit DULODORUS. Templa Imperatoribus Nicomedienses sæpè dedicârunt, testantibus Nummis apud Harduinum & Vaillantium, quæ hîc repetere supersedeo. Ad propositum autem, ex festo patet, hæc templa non tantùm Elagabalo, sed & Matri Soæmiadi, imò & Aviæ Mæsæ consecrata esse, ita ut Mæsa *Cereris*, Soæmias *Proserpinæ*, ipseque Elagabalus vel *Triptolemi*, vel certe *Bacchi* personam sustineat; Bacchus enim secundum Orpheum Proserpinæ filius fuit, filiæ Cereris, & Triptolemum Ceres ipsa memoratur educasse, non minus ac Mæsa Elagabalum. Tria templa, excepit ARCHÆOPHILUS, ego ad numerum honoris referrem; ΤΡΙϹ enim ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ subscribuntur. Huic opinioni, respondit DULODORUS, obstant Numismata: In Nummo Commodi apud Vaillantium, unicum tantùm Templum ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚ. subscribitur: Et contra, in Nummis Severi & Caracallæ Templa duo ΠΕΡΙΝΔΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Illud autem hîc observandum, Nummum propositum opinionem Vaillantii evertere, asserentis, Nicomedienses Tertiam Neocoriam sub Valeriano accepisse. Non absque basi loquitur, inquit ARCHÆOPHILUS, sub eodem enim Valeriano Nicomedienses etiam ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡΟΙ vocantur, qualiter & ante sub Commodo & sequentibus. Scio, inquit DULODORUS, quæso autem, si jam sub Elagabalo τρις Νεωκόροι fuerunt, quomodo secundum Vaillantii hypothesin poterunt sub sequentibus Imperatoribus iterum ΔΙϹ Νεωκοροι fuisse? Id ostendit Author ipse, respondit ARCHÆOPHILUS, Ephesios quater Neocoros dictos asserit, quando se non Augustorum tantùm, sed etiam Artemidos Neocoros nominant: adeò ut in Numismate proposito rite etiam Augustorum & Cereris Neocorias conjunctas arbitremur, unam sc. Cereris, Duas autem Augustorum, quas proinde repetitas etiam sub sequentibus videas. Ingeniosè hoc, inquit DULODORUS, sed cui subscribere vix audeo, cùm ex aliis Nummis constet, Neocorian Au-

gustorum cum Νεωκορίᾳ Deorum conjungi quidem suevisse, sed non confundi. Ita Ephesii se τρις Νεωκόρους καὶ τῆς Αρτέμιδος vocarunt sub Geta & Caracalla: Et ut intelligatur, in Nummis Imperatorum, ubi Numen non additur, Νεωκορίαν Augustorum intelligendum esse, etiam Magnesii sub Maximino se non simpliciter Νεωκόρους, sed Νεωκόρους Αρτέμιδος: Et Smyrnenses sub Julia Domna, Γ. Νεωκόρους Θεᾶς Ρώμης appellarunt. In proposito, excepit ARCHÆOPHILUS, licet non explicitè Neocoria Cereris cum Neocoriis Augustorum conjungatur, res tamen satis elucet ex inscriptione ΔΗΜΗΤΡΙΑ. Huic objectioni aliquid tribuerem, respondit DULODORUS, si hoc Numisma solum opinioni contrariaretur; Sed cur Ephesii, qui sub Caracalla, Elagabalo, Alexandro, Philippo filio, & Valeriano jam Δ Νεωκόροι in Nummis scribuntur, ii sub Gallieno rursus Γ. Νεωκόροι prostant apud Erizzum? Cur Cyziceni, qui sub Caracalla ΔΙΣ Νεωκόροι, sub Gordiano & Philippo rursus simpliciter Νεωκόροι leguntur? Cur Sardiani, qui sub Caracalla Τρις Νεωκόροι, sub Mammea rursus B. & sub Maximo simpliciter Νεωκόροι occurrunt? Cur Pergameni, qui sub Julia Domna & Caracalla πρῶτοι τρις Νεωκόροι ducebantur, sub Decio rursus, πρωτοι νεωκόροι? Ita & Smyrnenses, qui sub Gallieno se simpliciter Νεωκόρους appellant, jam sub Mæsa Γ. Νεωκόροι leguntur. Quæ omnia si rite consideres, vix est ut Νεωκορίας diversis sub Romanorum Principibus obtentas, his numeris exprimi statuere possis, sed omninò Reverendissimi Harduini sententiam præferendam censeas, qui in Nummis Populorum & Urbium sub voce Αβολλαΐων, cum de Neocoris locutus esset, ita pergit: *Sub EODEM Principe non modò semel, sed bis, ter, quaterve hos ludos, hæc sacra, hæc certamina ut ederent, deposcebant, & eximii honoris loco ducebant: Quare occurrit in Nummis* Δὶς, Τρὶς, τέτρακις Νεωκόρων. Sed plura ab authore peti possunt. Nos ultra tendimus.

ELAGABALI, ET MÆSÆ, AEQUITATEM CELEBRARUNT MARCIANOPOLITAE.



De Marcianopolitis, excepit ARCHÆOPHILUS, sub Macrino audivi, & memini Inscriptionem hujus Nummi apud Harduinum legisse, non autem cum Æquitate, sed cum Fortuna. Æquitatem, respondit DULODORUS, sive Justitiam, in suis Vaillantius prodidit, sed aliâ cum inscriptione, capitibusque non Elagabali & Mæsæ, sed Elagabali & Soæmiadis, id quod raritatem nostri non parum elevat, cujus inscriptionem quidem & ipsam ibi videas, sed aliis & quidem tribus differentibus figuris appositam. Ita sonat: ΥΠ. ΙΟΥΛίȣ ΑΝΤονίȣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Julio Antonio Seleuco Marcianopolitarum*, Magistratu scilicet, cujus authoritate Numisma percussum est. Hoc facile dedero, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem Æqui-

Æquitas aut justitia ad Elagabalum, Imperatorem spurcissimum? Quid ad aviam Mæsam? Sub Æquitate hac, respondit DULODORUS, non tantùm Elagabali & Mæsæ æquitatem, sed Soæmiadis etiam latere arbitrer, uti in Numismate Vaillantii, Mæsæ: ut videlicet, non solis filio & Aviæ, aut filio & matri, sed filio Matri & Aviæ simul his nummis honos fuerit habitus. Æquitatem autem mulieribus ideò tribuerit adulatio, quòd Ælio Lampridio memorante, *Mæsam Elagabalus secum in senatum duxit, eaque ad Consulum subsellia scribendo affuit, SCti conficiendi testis: Quòd Soæmias in colle Quirinali Senaculum fecit, eique præsedit ipsa, Senatus Consulta procudens, ridicula omninò, quæ quô vestitu incederent: Quæ cui cederet: Quæ ad cujus osculum veniret: Quæ Pilento, quæ Equo saginario, quæ Asino veheretur: Quæ Carpento Mulari, quæ boum: Quæ sella veheretur, & utrum pelliceâ, an osseâ, an eboratâ, an argentata: Et quæ aurum vel Gemmas in calceamentis haberent.* Sed piget his plura addere. Alexander subit.

ALEXANDRO
ANNONAM OBTULERE CAESARIENSES.



Res ex ipso Numismate patet, inquit ARCHÆOPHILUS, Inscriptio enim AVT. K. M. AVP. CEY. ΑΛΕΞΑΝΔ. *Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Severum Alexandrum* designat, & aversæ Panarium cum spicis, designat *Annonam*, quam ubique curabat Alexander; Ita enim de eo Ælius Lampridius: *Milites in expeditionis tempore sic disposuit, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, ut solent, dierum, nisi in barbarico.* Hæc benè, inquit DULODORUS: Et addi potest alterum ejusdem Authoris testimonium: *Annonam militum diligenter inspexit*, nisi potius de *Commeatu Populi* hîc memores, *quem sic adjuvit, ut cùm frumenta Heliogabalus evertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret: vel de Annonis quibus ne Rempublicam gravaret, jure jurando se constrinxit.* Id non agerem, reposuit ARCHÆOPHILUS; Numisma enim proculdubio sub expeditionem Persicam percussum est. Nihil minus, respondit DULODORUS; Ad bellum Persicum profectus est Alexander, *Annô* Imperii Augustalis *octavô*, aut si mavis *nono*; Numisma autem signatum esse *annô* ejusdem *quinto*, patet ex præposita voci KAICAPIAC litera numerali E. Unicum adhuc dubium restat, inquit ARCHÆOPHILUS. Tres Cæsareas memorat Stephanus, unam Metropolin Cappadociæ, Alteram Palæstinæ, Tertiam ad Paneadem. Quis igitur discernat, ad quam Numisma referendum sit? Similia respondit DULODORUS, sed sola KAICAP. MHTPOΠ. inscriptione insignes apud Celeberrimum Vaillantium ad Cæsaream Cappadociæ referri videas, nec abs re, cum aliud indicium non appareret. In proposito autem non KAICAPIAC MHT. tantùm, sed & co legitur, quas literas si *Coloniam* interpreteris vel Metropolim Cappado-

padociæ Coloniam factam ſtatuere neceſſe erit, vel ejusmodi Numiſmata non ad Cæſaream Cappadociæ, ſed omninò ad Palæſtinæ Cæſaream pertinere, quæ jam ſub Veſpaſiano Colonia facta erat. An hæc Metropolis fuit? excepit ARCHÆOPHILUS. Si Vaillantium de Coloniis audis, reſpondit DULODORUS, ſub hoc ipſo Alexandro metropolis facta eſt, quanquam ut idem ex Tacito hiſt. L. 2. obſervat, Judeæ caput jam ſub Veſpaſiano fuerit. Sequuntur

MAXIMINI
VICTORIIS GLORIATI THESSALONICENSES.



Maximinum, inquit ARCHÆOPHILUS, ex inſcriptione capitis agnoſco, licet haud affabrè delineatum. Imò & Victoriam averſæ video gradientem, ut hactenus indubium ſit, Victoriam Maximini Germanicam Theſſalonicenſes hoc typo conſecraſſe, de qua jam ſupra in Continuatione vidimus. Quid autem eſt, quod Victoria hæc dextrâ præfert? neque enim corona poteſt eſſe, qualem in Numiſmate Regio Gallorum cerni, Vaillantius teſtatur. Hæc mihi cauſa fuit, reſpondit DULODORUS, ut Numiſma proponendum cenſerem. Victoria non coronam, ut ſolet, ſed Icunculam præfert, ſiniſtrâ malleum tenentem, ex quo Cabirum haud difficulter agnoſcimus, qualem & in aliis Nummis Theſſalonicenſes ſignârunt, uti in Parte prima vidimus. Succedit

PAULINÆ
CONSECRATIO.



Maximini hæc uxor creditur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed qua ratione? cum nomen ejus apud Authores priſcos non occurrat? Sola faciei lineamenta rem evincunt, reſpondit DULODORUS, adeò enim cum Maximo, Maximini filio conveniunt, ut mater ejus negari non poſſit. Et hæc eſt, cujus dextrogerio maritum pro annulo uſum, Julius Capitolinus ſcripſit: Hæc eſt, quam lenitate fœmineâ Maritum ad veritatis humanitatisque viam reducere, utilia ſuadendo conatam, Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pr. tradidit. Infelix

felix lenitas! exclamavit ARCHÆOPHILUS, cùm hæc proculdubio causa fuerit, ut à Marito tolleretur, id quod Zonaras his verbis memorat. Τοσῦτον δ' εἰς μιαιφονίας ἐξώκειλεν, ὡς μηδὲ τῆς ἰδίας φείσασθαι γυναικός. κἀκείνην γὰρ ἀνεῖλε. Infelix, excepit DULODORUS, sed felicior tamen crudelitate Maximini, cùm hic omnibus exosus perierit, Illa autem Numismatum fide etiam SCto consecrata fuerit. Sed hæc pluribus apud Tristanum leguntur, qui & verisimili conjectura vel Julii Pauli JCti, vel Pontii Paulini filiam agnoscit, nomenque exstare arbitratur Leg. 34. de Legatis his verbis, *PAULINÆ dulcissimæ filiæ meæ, q quæ me vivo comparavi, dedi, sibi habere jubeo.* Sequitur

GORDIANUS AFR. PATER, & VICTORIA AUGUSTORUM,



Quod Numisma non raritatis tantùm, sed & integritatis eligantissimæ gratia proponendum censeo; vulgatum enim jam prostat apud Cel. Vaillantium in Præstantioribus. Id vidi, excepit ARCHÆOPHILUS, sed velim de Victoria audire, cùm nullam utique Gordiani hi obtinuerint. Romæ percussum est Numisma, respondit DULODORUS, indeque planum est, Victoriam hanc vel ad votum pertinere, vel ad devictas Romæ Maximini partes: imò & ad nuncium, licet falsum, de Maximini morte. Vota arguunt illa SCti taciti, apud Julium Capitolinum: *Imperatores nobiles VICTORES videamus!* De devictis Maximini partibus, & nuncio mortis testatur idem author his verbis: *Præfectus arcis*, inquit, *acceptis literis acrioribus, populum & milites allocutus est, dicens: Maximinum jam occisum. Ex quo majus fuit gaudium, statimque dejectæ sunt Statuæ, atque imagines ejus, qui hostis fuerat judicatus.* Usus est sanè Senatus, pendente bellô, potestate quâ debuit; Nam delatores, Calumniatores, Procuratores, & omnem illam facem Maximinianæ tyrannidis occidi jussit. Quid videtur, ARCHÆOPHILE? Hoc rerum cardine, an mirum, si Senatus Victoriam Augustorum gradientem signaverit? Si Victoriam palmâ jam partâ insignem, protensâque dextrâ coronam Romæ partam, in Africam Augustis ferentem? Sed prodit &

GOR-

GORDIANUS AFR. FIL.
CUM
ROMA ÆTERNA.



Elegantiſſimum eſt & hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò & rariſſimum, reſpondit DULODORUS, vel Judice Vaillantio, quanquam nec ipſum obſcurum ſit, ſed ex ſuperioribus lucem mutuetur. Victoria, excepit ARCHÆOPHILUS, in Patris Numiſmate lauream videbatur Auguſtis ferre, hîc autem eandem porrigit Romæ Æternæ ſedenti, & armatæ. Quæ rei ratio? Eadem, reſpondit DULODORUS, quæ & in ſuperiore. Cùm non Senatus tantùm, ſed tota Roma contra Maximinum conſpiraſſet, isque inſuper jam mortuus nunciaretur, quidni ROMÆ ÆTERNÆ gratularetur Senatus? quidni Victoriæ gloriam eidem deferret? quidni quietem martiis armis æternùm tutandam eidem voveret? Sed vocat nos

GORDIANUS III.
CUM
SERAPIDE ET FORTUNA,



Sub MENOPHILO à MARCIANOPOLITIS ſignatus. Marcianopolim, excepit ARCHÆOPHILUS, Urbem Thraciæ, & à Trajani Sorore appellatam, ex ſuperioribus memini: Et cùm Gordianus, contra Perſas proficiſcens, Julio Capitolino teſte, iter in Mœſiam fecerit, atque in ipſo procinctu, quicquid hoſtium in Thracia fuit, deleverit, fugaverit, expulerit, atque ſubmoverit; equidem non miror, ejus honori hoc Numiſma ibidem ſignatum eſſe. Quid autem Serapis? quid Fortuna? Uterque, reſpondit DULODORUS, Gordiano felicitatem videtur portendere. Reſpicit Gordianus Serapidem, ut ejus reverentiam teſtetur: Reſpicit Gordianum Serapis, ut auxilii divini eum certiorem reddat; neque enim Dii absque auxilio reſpiciunt: Et ſi reſpiciant, non deeſt fortunæ felicitas, quæ utique ſub adverſæ fortuna ritè videbitur adumbrata. Ægyptium numen eſt Serapis, excepit ARCHÆOPHILUS: Quid igitur

in Numiſmate Urbis Thraciæ? Ægyptium numen eſt, reſpondit DULODORUS, ſed ex Ponto advectum, indeque & in Græciam vicinamque Macedoniam & Thraciam, imò & ipſam Romam traductum. Cultum ejus in Thracia peculiarem fuiſſe, vel Numiſmata docent; Non enim tantùm Marcianopolitæ, ſed & Perinthii, & Odeſſeitæ Serapin ſignarunt, uti ex Patino & Harduino conſtat. Notandum autem, hoc in Numiſmate, Gordiani prænomen ANTΩNIOC, & non ANTΩNINOC, adeò ut eorum ſententia hoc fulciatur, qui teſte Julio Capitolino in Gordiano juniore ab Antoniis oriundum tradidere, cùm alii ab Antoninis ejus nobilitatem accerſerent. Thracias nondum relinquimus.

GORDIANO
A PERINTHIIS CERTAMINA CELEBRATA, ET VOTA SUSCEPTA,



His, quæ Tibi oſtendo, Numiſmatibus eleganter perhibentur. Certamen, inquit ARCHÆOPHILUS, hîc ego nullum video. Figuram primi Numiſmatis intuere, reſpondit DULODORUS: Annon hæc eadem planè eſt, quæ & in Nummo KAICAPEIAC, ſub Commodo percuſſo, IEPOC AΓΩN *Sacrum Certamen* inſcribitur? Coronam ſibi imponit, ſiniſtraque palmam præfert, qualiter Hieronicæ ſolent. Agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS, & eò lubentius ſubſcribo, quò apertius & Inſcriptio ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ B. NEΩKOPΩN certamina hæc ſecundâ jam vice in Gordiani honorem celebrata evincit. Non certamina tantùm, reſpondit DULODORUS, imò & ſacra; id enim ex Numiſmate poſteriore diſcimus, in quo Genius urbis ſiniſtrâ Cornucopiæ, dextrâ pateram præferens, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙC NEΩ K. inſcribitur. Genium urbis Tu heic? excepit ARCHÆOPHILUS; At Ego Concordiam arbitrabar; Hæc enim apud Romanos cum Patera & Cornucopiæ fingi ſolet. Ut pro Genio urbis ſentiam, reſpondit DULODORUS, facit ſimilis cum Cornucopiæ figura, in eo Numiſmate maximo, quod huic ipſi Gordiano à Marcianopolitis percuſſum, in Continuatione vulgavi, ubi caput turritum, quod equidem in propoſito injuria vetuſtatis mutilavit, ad urbis munitiones, Cornucopiæ autem ad Regionis fertilitatem retuli, eò tantùm à propoſita diſcrimine, quòd illa dextrâ porrectâ Imperatori fidem juret, hæc autem patera, quam dextra præfert, pro ſalute Auguſti ſe vota ſuſcepiſſe teſtetur. Subit

TRAN-

TRANQUILLINA
&
DIANA VENATRIX, CERVO INSIDENS,



In Numiſmate rariſſimo juxta, & elegantiſſimo. Omnia Tranquillinæ rara ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed propoſiti pretium vel ideò ſupra cætera ſe extollit, quòd Diana Cervo inſidens in pauciſſimis occurrat. Diana Lucifera, reſpondit DULODORUS, in nummis Fauſtinæ Cervo inſidens Illuſtriſſimo Spanhemio ad Callimachum occurrit vulgata; ſed Venatrix, quantum ſcio, hactenus hoc ſchemate obſcura fuit, niſi quod noſtrum Numiſma etiam ex D. Lamonii Cimeliarchio deſcripſit Cel. Vaillantius. Dianam, inquit ARCHÆOPHILUS, Epheſiis etiam venatricis habitu cultam ex nummis recordor, Cervo autem eandem inſidere, neſcio annon abſurdum ſit, cùm cervos venari, adeòque conficere ſoleat? At curru ejus religatos, reſpondit DULODORUS, etiam vulgò cernimus; Quidni igitur & corpori ſuppoſitos? eôdem modô, quô & Cybeli Leonem, Apollini Gryphum, Jovi Aquilam? Cæterum, ut apud eundem Vaillantium videre eſt, Epheſii quintuplici Dianæ venatricis habitu Tranquillinam venerati ſunt, quod ſine gravi cauſa vix arbitraberis factum; Vel enim Venationibus ea delectata eſt, vel tela & ſagittas depromit, contra Perſas emittendas, cùm Gordianus illis bellum inferret. Quicquid ſit, excepit ARCHÆOPHILUS, Epheſii tamen nec ſui obliti fuere, ſi rectè legam inſcriptionem ΕΦΕCΙΩΝ Α ſive πρώτων ΑCΙΑC. Rectiſſimè hoc, reſpondit DULODORUS, ita enim pleno literarum ordine in Numiſmate Valeriani apud Triſtanum, qui & de Epheſi magnificentia plura Tomo II. p. 213. quinquam fori prærogativam in ea urbe Aſiæ proconſularis fuiſſe, hâc inſcriptione ſignificari, Rev. Harduinus doceat. Cæterùm & in adverſa eſt, quod conſideres; Et quid? excepit ARCHÆOPHILUS: An Tranquillinæ Effigies? Imò prænomen, reſpondit DULODORUS; Quæ enim in aliis, & quidem hujus ipſius Cimeliarchii Electoralis Numiſmatibus ΦΟΥΡΙΑ dicitur, ea in propoſito ΦΡΟΥρια appellatur, adeò ut & Patino ſua ratio conſtet, aſſerenti in nummis, quos ipſe viderit, Tranquillinam Φρȣριαν nominari. Sed Philippus ſubit, cujus ſubdolis artibus Gordianus cecidit.

PHILIPPUS,
SAECULUM MILIARIUM CELEBRAVIT.



Inscriptio hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ut video justa est. Imò nec *Milliarium*, sed unica litera L. *Miliarium* in nummo hoc legitur, licet alibi *Millenarium* audierim. Et *Millenarium*, respondit DULODORUS, & *Milliarium* legit Illustrissimus Mediobarbus Biragus ex Arschotano & Oiselio, qui tamen posterior in indice MILIARIUM habet, planè qualiter in nostro Numismate. At, inquit ARCHÆOPHILUS: an orthographicè? an per errorem? Neutiquam per errorem, respondit DULODORUS, sed significantius adhuc, quàm *Millenarium*; descendit enim à Græco μίλιον vel Μιλιάριον quod *Miliare* sive *Spacium mille passuum* significat, & à quo μιλιοδρομεῖν & μιλιοδρομία de *cursu Circensi*, qui *mille passus* patebat; adeò ut hinc constet, SÆCULULUM MILIARIUM in hoc nummo aliud non significare, quàm tale Sæculum, quod mille annos contineret; tot enim ab VC. ad Sæculares Philippi effluxerant: Et hinc etiam patet, cur Philippus non tantùm animalia in Circo exhibita, sed & Lupam Romuli & Remi nutricem nummis suis, ad designandos SÆCULARES suos expresserit, non alio sanè intuitu, quàm ut ab urbis primordiis Sæculi sui initium accerseret; quanquam Roma Romulo jam adulto incunabula sua debeat. Unicum mihi dubium nascitur, excepit ARCHÆOPHILUS, & quidem quod & nos hoc anno Sæculum claudimus, meritò hic proponendum. Si nummis credimus, Philippus consulatu suo III. Sæculares celebravit, at Cos. III. fuit non anno 1000. sed anno 1001. uti apud Mediobarbum videre est. Si hoc verum esset, respondit DULODORUS, Numismatum fidem eorum opinioni præferre posses, qui Sæcularia Anno millesimo celebrata statuunt, cùm omninò celebrari Sæculum Miliarium non debuisse videatur, nisi Mille annis completis. Sed alii & inter eos Jul. Capitolinus Consulatum Philippi III. non in annum 1001, sed in annum 1000. conjiciunt. Et sanè, vix credibile est, Philippum Gloriam Sæcularium in annum sequentem distulisse, cùm nec hodie Jubilæa differantur, licet Annus centesimus, qui Sæculum absolvit, nondum effluxerit. Sed ultra progredimur. Vocat nos

OTTA-

OTTACILIA SEVERA, & AUGUSTORUM PIETAS,



In Numismate æris maximi, & elegantissimo, quæ vel sola ratio id repetendum suadet, licet & Tristanus, & Angelonus, & Erizzus id jam vulgaverint. Vulgârunt, excepit ARCHÆOPHILUS, sed non interpretati sunt. Pietatem de Concordia intelligunt inter patrem & filium, ipsamque Ottaciliam versante; Quidni autem de Pietate divina sumamus, cùm Christianus fuisse Philippus Eusebio memoretur? Alii rem in dubium vocant, excepit DULODORUS. Pomponius Lætus cultum Christiani nominis eum simulasse ait, ut scelera tegeret. Et Joh. Baptista Egnatius: *Sunt*, inquit, *qui à Christiana pietate Philippum non abhorruisse tradant, quorum testimonio hominis perfidia fidem abrogat:* Utut igitur concedere possim, Philippum Christianismum simulasse, indeque & Apamenses occasionem signandi Noæ sumsisse, in Numismate apud Seguinum, tamen ut pietatem Christianam in proposito agnoscam, adduci non possum; Ex subscriptione enim patet, Numisma ipsis in Sæcularibus, aut certè anno sequenti percussum esse. Julius Capitolinus rem aperte: *Omnia hæc*, inquit, *Philippus exhibuit Sæcularibus ludis & muneribus atque Circensibus, quum Millesinum ab Urbe Condita annum in CONSULATU SUO & FILII SUI celebravit.* Quid hoc ad rem? inquit ARCHÆOPHILUS. Multum, respondit DULODORUS; qui enim Sæcularia edidit, proculdubio ea ediderit more priscô, Diis gentilibus sacrificando, quibus Sæcularia sacra erant, adeò ut hanc potius pietatem hoc nummo celebratam asserere ausim, quamquam juxta nec filii pietas in patrem, nec patris in filium, nec utriusque in Augustam, vel matrem, vel Conjugem, videatur excludi, quod pater & filius se invicem respiciant, uterque autem Augustæ capiti in adversa respondeat. At Pietas hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, concordiam involvit. Rectè dicis, respondit DULODORUS, sed concordia pietatem non implet, cùm hæc latius pateat, omnemque & in Deos & in homines reverentiam connotet. Sequuntur

PHILIPPUS JUNIOR,
&
ÆLIUM MUNICIPIUM COELA URBS THRACIAE.



Vaillantius, inquit ARCHÆOPHILUS, Numismatis hujus aversam non sub Philippis tantùm, tàm seniore quàm juniore: Sed etiam sub Antonino Pio, Commodo, Caracalla, Macrino, Alexandro Severo, Maximo, Gordiano Pio, & Treboniano Gallo protulit. Citat eandem, respondit DULODORUS, etiam Illustrissimus SPANHEMIUS in Diss. p. 772. Scio, respondit ARCHÆOPHILUS; sed vel de *Fano*, vel de *Cœliobriga* urbibus Hispaniæ interpretatur, quod cùm non intelligeret Reverendissimus Harduinus, ad *Fanum Fortunæ* respexit, locum Italiæ, in Ducatu Urbinate, qui postea *Col. Fanestris* appellatus est; quanquam evitare non potuerit, ut Celeberrimo Vaillantio hôc nomine vapuleret, quòd aliud Colonia, aliud Municipium sit. Quid autem Tu contra Vaillantii sententiam? Annon hic jure optimo hunc typum ad Coillu, urbem Numidiæ litoralem reduxit, ostenditque eôdem pertinere & Municipes Civilitanos apud Gruterum? Si de nomine constaret, respondit DULODORUS, acquiescerem. Cùm autem hoc in Numismate aliud planè sit, ac apud Authores, à me impetrare non possum, ut subscribam. Inspice Numisma! AEL. MVNI. COEL. AI. aperte legitur. An talis etiam apud Authores, quam Vaillantius vel Coelli vel Coellu, vel Coillu inscripsit, & in Numidiæ litoribus possit? Minimè verò! Plinio, vel ipsô Vaillantio fatente, *Cullu*, Antonino in Itinerario *Chulli*, Plotemæo Κȣλλȣ audit. An his ignotum fuisse arbitraberis verum Civitatis nomen, cùm tamen Antonino vel Nummus id suggerere potuisset? Ratio manifesta est, inquit ARCHÆOPHILUS, & detorsio nominis *Cullu* in *Coellu*, nisi authoritas eam fulciat, nimis violenta. Quid autem Tu de *Coelis*, urbe Thraciæ? Quis hujus facit mentionem? neque enim de ea aliquid legisse memini. Ammianus Marcellinus, respondit DULODORUS, primam mihi ejus mentionem fecit; Lib. XXII. enim Maris Thracici cursum describens, *Cynossema*, inquit, *ubi sepulta creditur Hecuba, & COELA prælerlabitur, & Seston, & Callipolin*, quo ex loco utique & de situ ejus docebar, ad Hellespontum scilicet, nam ibidem sunt & Sestus & Callipolis. Sed nondum opinionis firmus eram, cùm Reverendissimi Harduini Antirrheticus in manus venit. Ibi rem plenius perdidici, allegato non Ammiano tantùm, sed & Niceta Choniate lib. V. de reb. Manuelis Comneni: *κατάγεται εἰς τὰ Κοῖλα ταῦτα δὴ τὰ περὶ Σεςόν τε καὶ Ἄβυδον.* Imò & ex actis Concilii Ephesini, in quibus Cyrillus *COELORUM Episcopus:* & Concilio Niceno II. act. VII. ubi Λεωνίδης ἐπίσκοπος Κοίλων, memorantur. Additur Reverendissimo Authori & *Cœlos portus* ex Plinio & Mela, qui ad navis rostrum in nummo expressum egregiè facit

egregiè

egregiè ad Cornucopiæ, non tantùm quòd annonæ ubertate is commendaretur, ſed in genere felicitatis ergò, quam ejus commoditas urbi procurabat. Hæc cum ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego ſecurè ÆLIUM MUNICIPIUM COELIENſE in Nummo legerem: Quid autem ſequentes literæ AI. Hîc mihi aqua hæret, reſpondit DULODORUS. Vaillantius & Harduinus *Antoninianum* eas literas interpretantur, cùm autem ultima litera N. in noſtro integra non ſit, Veſtigiaque potius literam L. arguere videantur, dubitatio ſubit, annon *Ælium Municipium Cœlienſe Aletarum* legi debeat, *Cœlaletis*, populis Thraciæ, in hiſtoria non adeò obſcuris? Meminit eorum Tacitus Lib. III. Annalium, ubi de Rhœmetalce, Liberorum Cotyis Tutore agit: *Cœlaletæ*, inquit, *Odruſæque, & aliæ validæ nationes arma cepere.* Sed hæc per conjecturam, quæ ad nummos integriores facilè vel firmabitur vel corruet. De Civilitanis, inquit ARCHÆOPHILUS, adhuc audire placet; Cùm enim hos, apud Gruterum memoratos, Vaillantius ad Municipium Numidiæ revocaſſet, annon Harduinus opinionem ſuam tuitus eſt, Civilitanis Luſitaniæ inſcriptionem vindicando, id quod & ad Plinium fecerat? Inſcriptio videnda, inquit DULODORUS. Ita habet: VALERIO PROCULO. V. C. PRÆSIDI PROVINCIÆ BYZAC. DD. NN. CRISPO ET CONSTANTINO JUNIORE NOBILISSIMIS CÆSS. COSS. IIII. KAL. SEP. MUNICIPES MUNICIPI T:: AE∴ L:: I. HADRIANI AUG. C:: VILITANI &c. Quid audio? inquit ARCHÆOPHILUS, an inſcriptio præſidi provinciæ Bizacenæ poſita eſt? Non alii, reſpondit DULODORUS. Hâc baſi, perrexit ARCHÆOPHILUS, conjectura ſanè non futilis ſubit, Municipes, qui eam poſuére nec in Numidia, nec in Hiſpania, ſed omninò in Thracia quærendos, cujus Byzantium, à qua provinciæ Byzacenæ nomen derivatur, urbs fuit, licet ſub Criſpo & Conſtantino juniore non amplius Byzantium, ſed à Parente Cæſarum Conſtantinopolis tunc appellaretur. At, inquit DULODORUS, quis unquam Civilitanos in Thracia poſuit? Si de nomine conſtaret, reſpondit ARCHÆOPHILUS, lis facilè componeretur; ſed ipſe Gruterus nomen hoc mutilum & interpunctum dedit, quô poſitô, quidni conjecturare liceat, non CIVILITANI, ſed COELALITANI legendum eſſe? intelligendosque, non alios ac Coelaletas Taciti, aut cum Numiſmate, Cœlorum incolas & cives? Nihil agis, reſpondit DULODORUS, Nomen quod in ſuperioribus mutilum habetur, in ſequentibus integris literarum figuris MUNICIPES MUNICIPI T. ÆLI HADRIANI AUG. CIVILITANI legitur: adeò ut de nomine dubitandum non ſit. Quod autem Præſidi provinciæ Byzacenæ Tabulam dedicaverit Municipium Luſitaniæ, id mirum non eſt, cùm in ſequenti apud Gruterum Inſcriptione idem fecerint & Coloni Coloniæ Adrumetinæ Africæ, &c. Valerius enim hic Proculus, ut ex Inſcr. p. CCCLXIII. n. 2. patet, non tantùm provinciæ Byzacenæ Præſes fuit, ſed & Legatus proprætore provinciæ Numidiæ, Peræquatorque provinciæ Gallæciæ, ut alia huc non pertinentia taceam.

PHILIP-

PHILIPPO JUNIORI,
EQUITATUM ET ANNONAM OBTULERE SAMOSATENSES.



Samoſatenſium hoc Numiſma eſſe, excepit ARCHÆOPHILUS, ex inſcriptione patet: Sub Philippo juniore percuſſum, oſtendit caput, & inſcriptio adverſæ. Quod autem de Equitatu, quod de Annona memoras, mihi omninò obſcurum eſt; neque enim vel Pegaſum, vel ſpicas huc referre licebit, cùm ille potius coloniam Corintho deductam arguat, hæ autem ad cultum Cereris pertineant. Imò ad fertilitatem Regionis, ſubjecit DULODORUS; Ita enim Strabo Lib. XVI. Καθέκαςα δὲ ἡ Κομμαγενὴ μικρά τις ἐςίν. ἔχει δ'ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, ἐν ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε. νῦν δὲ ἐπαρχία γέγονε. χώρα δὲ περίκειται σφόδρα εὐδαίμων. *Commagena perparva regio eſt, & urbem habet natura munitam Samoſata regni caput. Nunc provincia facta eſt. Circum jacet REGIO, ADMODUM FELIX:* Quod utique de fertilitate omninò accipiendum; quæ enim alia felicitas hoc loco præſumi poſſet? Non abnuo, repoſuit ARCHÆOPHILUS, quid autem hoc ad Philippum? Id quod Numiſma, reſpondit DULODORUS, an Tu ejusmodi ſymbola in his fruſtra oſtentari arbitraris? Imò vel ſola neceſſitas contrarium ſuadebit; Cùm enim annonam premendo Philippus pater Gordianum everterit, quis non videt, Eum Imperiô ſuſceptô, eandem militi procurare debuiſſe, ut ſolium ſuum ſtabiliret? Et quis dubitet, urbes imperio ſubjectas annonam ſubvehendo novi Imperatoris gratiam venatas? indeque in nummis ſuis urbium ſuarum Genios, dextrâ ſpicas imperatoribus porrigentes, expreſſiſſe? Exempla apud Vaillantium proſtant non ſpicas tantùm, ſed & Cornua-copiæ præferentium. De ſpicis hæc tranſeant, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem ad Pegaſum? Annon hic coloniam Corintho deductam ſignificabit? Si eam oſtendere poſſis, reſpondit DULODORUS, tecum ſentiam: ſi non, permittes opinione meâ me frui; conſtat enim, pegaſum figmentum eſſe, ab equorum celeritate ortum, unde & Equos Circenſes *Pegaſos* dictos Illuſtriſſimus SPANHEMIUS ex Auſonio & Epigrammate Græco demonſtrat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an Commagene aut Samoſata tantâ velocium equorum abundantiâ floruit, ut Equitatum inde Imperator Romanus juvare potuerit? Equi Cappadoces quidem famam meruere, ubi autem Commageni? Commagene, reſpondit DULODORUS, Cappadociæ finitima erat, & quidem tantâ propinquitate, ut Scholiaſtes Dionyſii ad v. 875. Κομμαγηνὴν Καππαδοκίαν appellet. Adde quòd, ut ſupra ex Strabone diximus, & etiam Stephanus tradidit, Samoſata ad Euphratem jacuerit. Quid hoc ad rem? inquit ARCHÆOPHILUS. Multum, reſpondit DULODORUS. Oppianus enim, cùm Equos

Siculos

Siculos velociſſimos omnium appellaſſet, quotquot genera educavit immenſa tellus, Siculis tamen eos præfert, qui propter Euphratis fluenta ſunt; En verba!

Κραιπνότεροι Σικελῶν δέ παρ Ἐυφρήταο ῥέεθρα.

Velociores autem Siculis propter Euphratis fluenta.

De Armeniis & Parthis hæc ait Oppianus, excepit ARCHÆOPHILUS, id quod ex verſu ſequenti clarum eſt. At Armenia, reſpondit DULODORUS, & ipſa Commagenæ finitima fuit, ut ex Strabone liquet; Et quid ſi Armenios & Parthos exempli tantùm causâ produxerit Poëta, tanquam Regionum maximarum? Conjectura vel ideò locum videtur mereri, quòd nec Cappadocum ibi meminit, Euphratis non minus accolarum, quos tamen & ipſos, ut & Armenios, jam ante inter optimos retulerat.

Alia mihi conjectura naſcitur, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid ſi Pegaſus hic Commagenes Etymon adumbret? ἀπὸ κώμης & ἄγειν deductum eò, quòd Pegaſus comam Berenices in cœlum vexerit, ut Catullus cecinit Carm. 67.

Abruptæ paulò ante comæ mea fata ſorores
Lugebant, quum ſe Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aere pennis
Obtulit Arſinoæ Chloridos ales Equus.
Isque per æthereas me tollens advolat auras,
Et Veneris caſto conlocat in gremio.

Argutè hoc, inquit DULODORUS, an verè? dubitem; Non enim ΚΩΜΑγήνη hæc Regio, ſed Commagene dicitur. Minimùm, dum firmius fulcrum opinioni apponas, in Equorum celeritate mihi ſubſiſtere licebit, præſertim cùm non Philippo filio tantùm, ſed & Patri hunc typum Samoſateni dedicaverint, uti apud Vaillantium videre eſt. Cæterùm in urbis Genio etiam coronam turritam, & Saxum, cui inſidet, contemplamur; proculdubiò enim arcem & muros his adumbraverint Samoſateni, quas civis eorum Lucianus memorat in Tractatu *Quomodo ſcribenda ſit Hiſtoria*: Τὴν ἐμὴν πατρίδα, inquit, τὰ Σαμόσατα αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ ἀράμενος ὁ γενναῖος, αὐτῇ ἀκροπόλει καὶ τεύχεσι μετέθηκεν ἐς τὴν Μεσοποταμίαν. *Patriam meam Samoſata idem generoſus ille in eodem libro ſublatam, unâ cum ipſa ARCE & MURIS in Meſopotamiam transtulit.*


Nondum finierat DULODORUS, cùm HIPPOPHRON, qui diſſertantes aliquantiſper auſcultaverat, ex improviſo irrumpens: Quid, inquit, AMICI, præſtantiam Equorum miramini apud priſcos? Si ea vos cura tangit, non hodierna tantùm ætas, ſed & ætatis hodiernæ nobilior pars, floridiſſima ditionum ELECTORALIUM BRANDENBURGICARUM corona, imò vel unica hæc ELECTORALIS URBS vobis ſiſtet, quod omnibus priſcis opponatis. Opportunus ades, excepit ARCHÆOPHILUS, jamdudum rei ducem optabam, nec arbitror Hippophrone aptior occurret, ſive Equos contemplari velim, ſive Equilia. Operæ pretium utrinque erit, ſubjecit DULODORUS; Non enim Equorum tantùm & numerus & virtus meretur inſpici, ſed & Equile noviter ab ELECTORE NOSTRO exſtructum, quod ut ARCHÆOPHILO, Te duce, *o Amiciſſime Hippophron*, luſtrare liceat, & ipſe abs te contendo. Ego interim, dum ad noſtra is redeat, aliô parergô temporis tædia

fallam. Te tua delectant, regessit HIPPOPHRON, ARCHÆOPHILO autem vel ideò gratificabor, ut ostendam, non Antiquitatis tantùm Gazas, sed & Studia Nobilitatis AULÆ ELECTORALI BRANDENBURGICÆ gloriæ esse. His dictis DULODORO valedixit, & ARCHÆOPHILUM, votis suis fruiturum, secum duxit, & abiit.



Quid





Uid Siculos admirer Equos? Quid murmure vano
Cappadoces, Parthosque, & quos Armenia jactat?
Quid Phrygios, & Thessalicos? Libycos, & Iberos?

Quid, inquam, ex Antiquis Scriptorum commentis hos admirer? exclamavit ARCHÆOPHILUS ad DULODORUM redux. Vel unicum EQUILE ELECTORALE BRANDENBURGICUM ostentat, quod nec Thraces, nec Elei potuére. Sed quid dico EQUILE? *Decem* id *stabulis* absolvitur, longo stabulantium ordine utrinque porrectis, *novemque Palatiis* à se invicem distinctis! tantâ magnificentiâ, tantâ amplitudine, tantâ structurarum venustate, ut quibusvis, non recentium tantùm, sed & vetustorum, si non præponi, omninò tamen, nam modestè loquor, æquiparari & possint & debeant. Res operosa foret, excepit DULODORUS, nec unius encomium diei; quanquam ne sic quidem ELECTORIS nostri Providentiam expleres. Equile, quod vidisti, id est quod unguis in Leone. Hac ipsa Electorali in Regia adhuc *duo alia* sunt, non minore Equorum numero referta, non minore magnificentiâ adornata: Et quot in Prussia? Quot aliis in Provinciis Electoralibus? At unde, inquit ARCHÆOPHILUS, his omnibus replendis Equorum soboles? nam & hanc numerosissimam vidi. Ex ipsis ELECTORIS NOSTRI ditionibus, respondit DULODORUS; Proculdubio recordaris, Regem Archelaum Macedoniam Equis à se frequentatam, tantæ sibi gloriæ duxisse, ut & Equum Numismati impresserit: Quidni igitur & Gloriæ BRANDENBURGICÆ annumeremus Regium planè FRIDERICI III. meritum, quô numerosissimas, per provincias suas Equarias constituit, tantâ felicitate, tantòque proventu, ut Equos non aulæ tantùm, sed & Militiæ sufficiant? tantâ præstantiâ & generositate, ut non raro & Regum & Principum donaria inde petantur? Magnum hoc est, exclamavit ARCHÆOPHILUS, & ante hæc tempora his in regionibus inauditum! Inauditum, inquit DULODORUS, sed publicæ felicitati perquam commodum, tantòque durabilius, quantò majore curâ, non PRINCIPIS tantùm,

ſed & Generoſiſſimi *tanti Alexandri* Hephæſtionis, Illuſtriſſimi Comitis Colb à Wartenberg, & innititur & ſuſtentatur. Virum memoras, inquit ARCHÆOPHILUS, quem & Hippophron ingenti laudum præconiô tulit. Tantò ferre non potuit, reſpondit DULODORUS, quantum virtutibus non ſuperet. Fides, Prudentia, Humanitas ejus non vulgi tantùm, ſed & Principum, & Regum, & Cæsaris applauſum meruére. Et quid dicam de peritia Equeſtri, quâ ad ſtuporem usque inclaruit, Nobiliſſimumque, de quo hîc agimus, Electoris nostri inſtitutum ſufflaminat. Quid autem his detinemur? Cùm *Idem Hîc* & noſtras de Antiquitatibus Electoralibus confabulationes Sereniſſimo probaverit, earumque Continuationem typis & cælo publicandam ſuaſerit, reique peragendæ nervos hodiénum procuret. Magnanimo Principi, exclamavit ARCHÆOPHILUS, *fidiſſimoque* tanti Principis *Miniſtro* Neſtoreos annos vovemus, Aurea ſæcula ſub iis reditura certi! Votis accino, reſpondit DULODORUS, & ut me ſervum demonſtrem, tantoque favore non excidam, iis devotè nuncupatis ad Numiſmatum penum regredior. Prodit

VALERIANUS
CUM
NEPOTIBUS, AN FILIIS?
TUTELAE DIANAE EPHESIAE COMMENDATIS.



Plura Epheſiorum, excepit ARCHÆOPHILUS, ſub Valeriano percuſſa Numiſmata, Celeberrimus Vaillantius recenſuit, ſed hujus averſam me legiſſe non memini. Eò rarior eſt, reſpondit DULODORUS; neque enim de Valeriano dubitabis, cùm hunc non ſuperſtites tantùm Inſcriptionis literæ, ſed & effigies apertè demonſtrent. Averſa, excepit ARCHÆOPHILUS, utrinque dubium parit: Si de filiis Valeriani, Gallieno & Valeriano juniore cogitem, obſtat Gallienus Auguſtus, quem infantis, & quidem nudi ſimulacro effictum, quis admittat? Si de Nepotibus, demonſtrandum, quinam ii fuerint? plures enim Salonino Authoribus non memorantur. Et an tu præteritis filiis, Valeriani nepotes arbitraberis tutelæ Dianæ commendatos? Si hâc baſi nitaris, reſpondit DULODORUS, poteris me nec affirmante, nec negante, Valerianum Gallieni fratrem, & Saloninum ejusdem filium ſubſtituere; Quanquam, ſi filios Valeriani, Gallienum & Valerianum arbitreris, ne ſic exemplum deſit, in Numiſmate Getæ, quod in Continuatione vulgavi: Si Valeriani Nepotes, nec his Hiſtoria contrarietur; Verè enim Gallieno, non Saloninus Valerianus tantùm, ſed & Saloninus Gallienus, filii fuére, id quod pluribus docet Triſtanus, vigore præcipuè inſcriptionis, quæ ita habet apud Grut. p. 275.

IMP. Q. JULIO FILIO GALLIENI
AUG. ET SALONINÆ AUG. &c.

Et hic ipſe eſt, cui ibidem etiam altera inſcriptio, SALONINO GALLIENO MINORI ſacratur, quam alias & Pollio tangit, apud quem non opus erit vel vocem MINORI cum Criticis in JUNIORI mutare, vel utramque cum Triſtano addere; Unica enim MINORI in fine poſita, ad utrumque reſpicit, & Saloninum & Gallienum. Veriſimiliter, excepit ARCHÆOPHILUS; Quid autem eſt, quod Imperatoria proles tam abjecta, nudorum infantium inſtar, humi reſidet, Diana autem in ſummitate eminet? Annon hic typus arrogantior eſt, quàm ut Epheſii Valeriani gratiam ſe eô merituros potuerint confidere? Non arbitror, reſpondit DULODORUS. Pietas Valeriani nota eſt: Et cujus vita *Orbis terrarum cenſura* audiit, is Deos à culmine ſuo deturbare vix voluerit. Liberum itaque Epheſiis fuit, faſtigium divinum ab humano diſtinguere, prolemque imperatoriam Dianæ ſuæ ſubjicere, oſtenſuris ab omnipotente hâc Naturæ domina, ut omnia, ita & hanc, & in Lucem eductam eſſe, & omnigenâ felicitate etiam impoſterum cumulatum iri. Sequuntur

VALERIANUS ET GALLIENUS
CUM BACCHO ET ÆSCULAPIO,



Numiſmatibus, niſi fallor Irenopoli, urbe Ciliciæ, percuſſis, ideoque hîc conjungendis, quòd reliquæ vetuſtati literæ eandem urbem deſignare videantur. In ſecundo Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, res indubia eſt; Numiſma enim etiam Vaillantio recenſetur, ſed ſub Valeriano, cui proinde & propoſitum addicerem, licet Æſculapium cum Hygeia, Irenopolitas etiam ſub Gordiano juniore percuſſiſſe, teſtetur idem poſt Harduinum. De priore autem Numiſmate valde dubitem. Quidni potius ΕΡΜΟΥΠΟΛΕΙΤΩΝ legam, explicemque de urbe Lydiæ, cujus Numiſma Vaillantius ſub Treboniano Gallo recenſet? Si typus integrior ſubſcribat, reſpondit DULODORUS, non refragabor, præſertim cùm Bacchi cultus in Lydia notiſſimus ſit. Cæterùm, ut Numiſma ſecundum, & ipſum Valeriano adſcribendum cenſeas, fortaſſe inſcriptio deleta videbitur permittere: Sed Barbam Imperatoris reſpice! Annon ea ſub mento prominet, talis omninò, qualem Gallienum prætuliſſe ex innumeris Numiſmatibus conſtat? Obſtat adſcripta litera Numeralis, excepit ARCHÆOPHILUS, quæ ſi pro Z legatur, *annum ſeptimum* denotat, quo Valerianus contra Perſas exercitu ductô captus eſt. Et quidni, reſpondit DULODORUS, poterit eadem & ſub Gallieno locum habere, cùm tamen eôdem annô, quô & Pater, Auguſtale imperium ſuſceperit? ſed probè notandum, ſub Æſculapii & Hygiæ pedibus adhuc literas ΘϽ apparere, quæ Annum Irenopolitarum 209. indicant, qui ex calculo Vaillantii, caput hujus Æræ in anno VC. 805. radicantis, in annum VC. 1013. incideret, cùm tamen

 Vale-

Valerianus anno VC. 1012. captus fuerit, adeò ut hôc pofitô non litera Z, fed litera H agnofcenda fit, intelligendusque annus imperii Gallieni Octavus, qui captivitatem Parentis infecutus eft. In priore Nummo, excepit ARCHÆOPHILUS, juxta Bacchum literas ϽH video. Etiam hæ numerales funt, refpondit DULODORUS, annum 208. indicantes, Valeriani ultimum; funt enim eædem planè, quæ & apud Vaillantium Irenopolitani Æfculapio & Hygiæ adfcripfére, demonftrantque fimul, Numifma propofitum non Hermopolitanis Lydiæ, fed omninò Irenopolitanis Ciliciæ adfcribendum effe: Nifi fortè eandem utrique æram vindices, quod tamen ut poffis, valdè dubito. Ne conabor quidem, fubjecit ARCHÆOPHILUS, fed doceri velim, quid Irenopolitanis cum Baccho? quid cum Æfculapio & Hygeia? cum Baccho, refpondit DULODORUS, idem quod & Seleucienfibus ad Calicadnum, & ipfis Ciliciæ incolis, qui non minus ac Irenopolitani Bacchum curru vectum, binis tigribus juncto, fub Severo fignaffe Harduino memorantur: Proculdubiò, ut Victoriis ex Oriente vel applauderent, vel præluderent, quæ tamen adulatio Irenopolitanos fub Valeriano fefellit. Bacchum fanè eô fchemate, quo hîc delineatur, Victorem triumphaffe, ex Virgilio conftat, qui Lib. Æn. VI v. 85.

Pampineis Victor juga flectit habenis
Liber, agens celfo Nyfæ de vertice Tigres.

Æfculapius & Hygeia proculdubio ad vota pro Gallieni falute pertinent, quem dedecus captivi Parentis ulturum, fi per fanitatem liceret, proculdubiô eô tempore quilibet fibi perfuadebat, quanquam & hanc opinionem progreffus temporis deftituerit. Sed hæc fufficiant, neque enim de impreffis in altero *ancora*, in altero *fœmina pateram præferente*, plura dicere opus erit, cùm Notæ hæ monetariæ videantur, pofterioribus temporibus incuffæ, *Ancora* fortè ab Ancyranis, quorum infigne erat, Fœmina ab alia quadam urbe, ut moneta apud fuos certô pretiô recipienda fignificaretur; Sedecce! Idem

GALLIENUS
CUM
ÆSCULAPIO



In Numifmate à Sidetibus percuffo. Literæ numerales, inquit ARCHÆOPHILUS, hîc nullæ apparent. Libertas igitur eft, refpondit DULODORUS, cuicunque valetudinis neceffitati Numifma addicere: Et quidni ad peftem referamus, quæ Gallieno imperante tanta memoratur exftitiffe, vel Romæ vel in Achaicis urbibus, ut unô die quinque millia hominum pari morbô perierint? Æfculapii auxilio, inquit ARCHÆOPHILUS, tunc vel maximè opus fuit, indeque nec mirum, quòd Sidetes eum nummo fuo imprefferint.

ferint. Impreffére, refpondit DULODORUS, & Cybelem, & Serapidem, & Palladem, & alias, uti videri poteft apud Cel. Vaillantium, qui tamen noftrum non recenfet, adeò ut ejus raritatem vel hinc metiri poffis. Infcriptio adverfæ ita legenda ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΠΟΥβλιος ΛΙκίνιος ΕΓΝΑτιος ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ ϹΕΒΑϛος. *Imperator, Cæfar, Publius Licinius Egnatius Gallienus Auguftus.* Sequitur idem

GALLIENUS
CUM
JOVE ET PALLADE.



Et quidem Numifmatibus imperii anno 7. & 12. percuffis, id quod ex adfcriptis literis numeralibus L. Z. & L. IB. palam eft. In Ægypto, inquit ARCHÆOPHILUS, percuffa hæc Numifmata, ex æris craffitie, artificiique ruditate nofcuntur: quidni igitur & Ægyptiorum in iis Dii? Non abs Myfterio hoc, refpondit DULODORUS; Anno imperantis Gallieni quinto *Ingenuus* à Mœfiacis Legionibus Auguftus dictus, fed mox à Gallieno victus memoratur. Anno fequente in locum Ingenui *Regillianus* furrexit, eôque & ipsô occisô rebellavit *Poftumus.* Quid rebus ita conftitutis Ægyptii, Augufto vel adulaturi, vel gratulaturi? Nonne appofitè præteritis fuis Numinibus, caput Jovis expreffèrint, quem Gigantes cœlum, Deorum Regiam, invafuros ftraviffe didicerant? Et cùm ne fic quidem tempeftas confideret, furgente in Oriente *Macriano*, in Ægypto ipfa *Æmiliano*, imò nec *Scythæ* nec *Gothi* quiefcerent: Quid denuò Ægyptii, dudum Gallieni imperio redditi, hoftibusque non femel devictis? Nonne Palladem armatam, Clypeoque caput Medufæ oftentantem exprimendo, rite videbuntur indicare, hoftes imperii eôdem modô ad vires Gallieni bellicas obriguiffe, quô ad confpectum capitis Medufæi folitos ex fabula conftat? Ad victorias Gallieni typum pertinere ex adjecto palmæ ramo elucet. Ad primum Numifma adhuc circa Gallieni caput infcriptio notanda. Α. Κ. Π. ΛΙ. ΟΥ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ ΕΥ. ΕΥ. Ϲ. quam ita interpretor: ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ Πυβλιος ΛΙκίνιος ΟΥαλεριανος ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ ΕΥσεβὴς ΕΥδαίμον Ϲέβαςος. *Imperator Cæfar Publius Licinius Valerianus Gallienus Pius felix Auguftus.* An alibi aliter? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, refpondit DULODORUS, præter enim quòd ΕΥσεβὴς ΕΥδαίμων rarius occurrat, prænomen *Valeriani* Gallieno datum, nefcio an hactenus apparuerit? Sequitur

SALO-

SALONINA.



Tria hujus Numiſmata profero, licet re ipſa non vulgaria, tamen nec operosè dilucidanda; Quis enim neſcit, Dianam Epheſiorum numen fuiſſe? Etiam de reliquis ſubjuncturus erat DULODORUS, ſed ARCHÆOPHILUS pergentem cohibens, Diana, inquit Πολύμαςος, imò & Venatrix, in Epheſiorum nummis hactenus apparuit, ubi autem Lucifera, qualem hîc cernimus? Diana πολύμαςος, reſpondit DULODORUS, omnia Dianæ munia, adeòque & *Luciferæ* implevit, id quod ex Luna falcata, ejus ſimulacris affingi ſolita, indubium eſt: Et quàm commode hæc Luciferæ ſpecies Saloninæ apponitur, cujus Thorax Lunæ falcatæ innititur, apertô indiciô, ſub Dianâ hâc Luciferâ non aliam ac ipſam Saloninam latere, alludique ſimul ad cognomen χρυσογόνης, cùm & Luna ab aureo Sole lumen ſuum trahat, & quaſi naſcatur, quâ ratione & Ἄρτεμις χρυσήνιος, χροσόθρονος, χρυσηλάκατος Homero; Euripidi autem χρυσεοβόςρυχος appellatur, licet alias ἀργυρόπεζα cum Nonn. Dionyſ. videatur appellanda. Cæterùm & de *Neocoris* hîc aliquid notandum. Et quid? excepit ARCHÆOPHILUS. Id quod jam ſuprà ad Numiſma Elagabali monui: Numeros Neocoriarum ſub eundem Principem eſſe reducendos; licet enim Diana Νεωκορίαν Αρτέμιδος connumerandam ſuadere videatur, id tamen ex rationibus ſuprà allatis minus procedere. Δ ΝΕΩΚΟΡΟΙ in propoſito dicuntur Epheſii, qualiter & apud Vaillantium ſub Elagabalo, Alexandro, & aliis, cùm tamen ſub Maximino, Gordiano III. Philippo, Valeriano, & hac ipſa noſtra Salonina iterum *Ter Neocori* vocentur, uti apud Vaillantium videre eſt. In ſecundo nummo perrexit ARCHÆOPHILUS, juſtitiam ex bilance agnoſco. Rectè vides, inquit DULODORUS, cùmque Numiſma anno imperii primo, ex adjectis literis L. A. ſignatum ſit, ſimul patet juſtum Gallieni imperium hôc typô proculdubio ex Auguſtæ genio promitti. Tertium Numiſma, à *Colonia Ptolemaide* percuſſum, fortunam oſtendit, inter caduceum & Victoriam, ut videlicet felicitas & pacis & belli, vel voveatur vel celebretur, id quod vulgatum etiam eſt, licet in nummis minimè vulgaribus. Inter Tyrannos, Gallieni tempore illuſtres, unus ſe nobis offert.

QUIETUS
CUM
APOLLINE CONSERVATORE.



ntegerrimum eſt hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, non capite antùm, ſed & inſcriptione: non tantùm in adverſa, ſed etiam averſa, indeque quod proponatur digniſſimum, cùm etiam ſub artium occaſum, mirificè pectatorem afficiat: Quis autem Quietus? Quietus, reſpondit DULODORUS, Macriani ſenioris filius, junioris frater, Baliſtæ voluntate cum Patre & fratre in Aſia imperator factus, poſt eosdem à Domitiano, Aureoli Duce, in llyrico interemtos, propè Emeſam ab Odenatho, Gallieni partes ad ſpeciem vindicante, occiſus eſt: *Adoleſcens*, teſte Tebell. Pollione, *Romano Imperio digniſſimus*. Si in Aſia imperator factus eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil miror, coronâ radiatâ caput ornatum; proculdubio enim, Orientis id ſymbolum eſt, quem Quietus hoc habitu referre videtur. Fortaſſis, reſpondit DULODORUS; quamvis corona radiata ejus tempore etiam aliis conſueta fuerit: Ad Numiſma autem notandum, averſam ſub Quieto nondum innotuiſſe, eaque vel ſola ratio eſt, cur hîc proponendum cenſuerim. Apollinem conſervatorem ea jactat, excepit ARCHÆOPHILUS, qui tamen contra Odenathum nihil valuit. Quid herbæ contra ferrum? ſubjecit DULODORUS. Ramum Apollo præfert, Lyramque interea ſepoſuit, ut lætitiâ ſepoſitâ, ſe morbis vigilare doceat. Eandem averſam etiam ſub fratre Macriano publicavit Triſtanus, & laudat in ſuis Eques Patinus: indeque conſtat, Macrianis adhuc vivis & noſtrum percuſſum eſſe. An, excepit ARCHÆOPHILUS, quòd Orientis Imperatores Apollini maximè confiderent? Ita Triſtanus, reſpondit DULODORUS, cùm autem ramum lauri præferat Apollo, non ſagittam aut arcum, pronum eſt judicare, non auxilium bellicum, ſed medicum hîc ſpectari. Quieti tempore, excepit ARCHÆOPHILUS, morbus publicus graſſatus non eſt; Peſtis enim demum orta eſt Gallieno eſt Fauſtino Coſſ. id eſt A. VC. 1015. cùm jam annô ſuperiore Macriani eſſent occiſi. Ita nec Morbum vel in Macriano juniore, vel in Quieto præſumas, cùm hi *fortiſſimi* memorentur. Fortitudo, reſpondit DULODORUS, ingruentes morborum calamitates non excludit, & poterit Apollo conſervator non tantùm invocari, ut morbos ab ægrotis pellat, ſed & ut à ſanis arceat: cùmque peſtis annô Macrianorum cædem inſecutô graſſata memoretur, quis ejus primordia anno priori abjudicet? Cauſam utique evidentiſſimam, cur Apollinem conſervatorem in horum nummis videamus? Niſi fortè etiam ad ſalutem Macriani ſenioris hi nummi pertineant, qui jam ante imperium: *Senex*, inquit, *ſum. Ad exemplum equitare non poſſum. Lavandum eſt mihi ſæpius, edendum delicatius &c.* Quæ cùm ita ſint, quid mirum, ſi pro ſalute ejus Apollini conſervatori vota fecerint filii? Succedit

CLAUDIUS
CUM
NEPTUNO,



Eôque dextrâ ſpicam præferente, Siniſtram Tridente fultô, pedem dextrum delphino imponente. In Ægypto videtur ſignatum hoc Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS; Craſſiculum enim eſt, & artificiô Ægyptiis familiari ſignatum: Quid autem Neptunus ad Ægyptios? Id quod Imperator ipſe, reſpondit DULODORUS; Eum enim ſub hoc Neptuni ſimulacro latere, adjecta litera numeralis B. evincit, annum *ſecundum* denotans, quô Claudius Gothos devicit. Quid Neptunus ad Gothos? repoſuit ARCHÆOPHILUS. Id imperator ipſe declarat, inquit DULODORUS, ſequentia ad Junium Brochum ſcribens, Illyricum tenentem: *Delevimus*, inquit apud Trebellium Pollionem, *trecenta viginti millia Gothorum, duo millia NAVIUM merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis: Spathis & lanceolis omnia LITORA operiuntur &c.* Quid videtur ARCHÆOPHILE, qui hæc patravit, annon Neptunus videatur? Annon pedem Delphino imponat, in ſignum ſuppreſſæ potentiæ maritimæ? Annon ſpicam præferat, Annonæ Ægyptiacæ vindicatæ indicium, quam eô victô proculdubio Gothi fuiſſent occupaturi? Neque tamen Neptuni cultum Ægyptiis ignotum arbitraberis, eô præſertim tempore, quô Romanorum Jugo jamdudum aſſueverant, cum aram Neptuno etiam Ariſton ſacraſſe Diodoro memoretur, à Ptolemæo ad exploranda Arabiæ litora miſſus, cùmque Cyrenis Neptunus *Pellanius* fuerit cognominatus. Imò cum Stephano teſte, Neptuni *Canobi* in urbe Ægypti Canopo, centum & viginti Stadiis ab Alexandria diſtante, Templum fuerit. Quod opponam, inquit ARCHÆOPHILUS, non habeo. Tranſeundum igitur ad alia, reſpondit DULODORUS.

CLAUDII
VIRTUS, ET LEONINA, ET HERCULEA,



Eleganti hoc Numiſmate MEMORIÆ ÆTERNÆ etiam poſt mortem commenda-

mendatur. Post Claudii mortem, excepit ARCHÆOPHILUS, hoc Numisma signatum esse, ex appellatione Divi liquet: liquet ex divinitatis velo, quô caput ejus tegitur. Imò nec de Laurea dubium est, velo circumdata; omninò enim Divinitatem gloriosam hoc Schemate præsumserim. Rectè ais, inquit DULODORUS, indeque nec de Virtute dubitabis, cùm hanc, ut aliis in bellis, ita ut modò audivimus, in Gothico præcipuè probaverit. Virtus hæc Martia fuit, excepit ARCHÆOPHILUS, & licet Herculeam clava demonstret, dubium tamen est, an Numismatis author etiam Leonem ad hanc retulerit? Id vel ideo credas, respondit DULODORUS, quòd Leones ad designandam animi magnitudinem antiquitùs tumulis fuerint impositi. Exemplum habet Pausanias in Boeoticis, tumulum Thebanorum, qui contra Philippum cecidére: Et huc ut respicias, etiam in Numismate Claudii, liberrimus Leonis hujus gressus persuadebit, cùm nullis Herculei roboris ictibus succumbat. Non succumbit, excepit ARCHÆOPHILUS; sed subest tamen. Non frustrà hoc, respondit DULODORUS, omninò enim Virtus non *Leonina* tantùm, sed &, quæ Leoninâ potior est, *Herculea* hoc Schemate videbitur adumbrata. Sequuntur

AURELIANUS ET SEVERINA.



Numisma hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, jam apud Tristanum vidi, qui omnium, quæ Severinæ percussa sunt, nobilissimum judicat, non tantùm, quòd Nomen Imperatricis eô doceamur, historicis vel diligentissimis omissum: Sed etiam, quòd concordiam cum marito arguat, & quid præterea dici potest? Id quod Nummus suggerit, respondit DULODORUS. Aurelianum scilicet, ut indicaret, Victorias & fastigium Imperiale à Sole sibi concessas, coronâ radiatâ insigniri; Severinam autem, ut Lunæ Solis sorori se confidere doceret, Lunæ falcatæ inniti. Quidni potius, excepit ARCHÆOPHILUS, Aurelianum & Severinam divinô habitu adornatos hîc statuas, eâdem ratione, quâ suprà Severum & Juliam? Aurelianum certè *Solem invictum* appellatum, observat Tristanus. Ne subscribam, respondit DULODORUS, modestia Imperatoris facit. Solis sacerdos fuit ejus mater: Solem imperii præsagium habuit: Soli Victorias adscripsit, eique magnificentissimum Romæ templum ædificavit, tantùm abest, ut ejus honores rapuisse credi possit. Sed alia se sistunt. Procedit

VABALLATHUS,
VICE CAESARIS REX IMPERII ORIENTALIS.



Vaballathum, excepit ARCHÆOPHILUS, præter communem opinionem Odenathi, non nepotem, ſed ex priore matrimonio filium, Herodianique fratrem minorem, Te memini in Continuatione ſtatuiſſe, cujus proinde nomine Zenobia, poſterior Odenathi uxor, Vaballathi noverca, mater autem Herenniani & Timolai, imperium tenuerit. Ita hodiénum ſentio, inquit DULODORUS, opinionem, ut dixi, fulciente Vopiſco, qui hoc quoque ad rem pertinere arbitratur, *Balbati* (leg. Vaballathi) *filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, Imperium tenuiſſe, quód tenuit.* Odenathô ſcilicet, cum filio Herodiano, Anno VC. 1020. inſidiis propinquorum ſublatô, dignitas ad Vaballathum tranſiit, qui licet ob juventutem Zenobiæ novercæ imperii vires permitteret, jus tamen ſuum Numiſmatibus impreſſit, iisque ſimul Romano Imperatori honorem habuit. Statim ab Odenathi morte Eum dignitatem ſuſcepiſſe, ex Numiſmatibus Græcis apparet, in quibus L. A. annus *primus* Aureliani, cum L. Δ. anno *quarto* Vaballathi, Item L. B. annus *ſecundus* Aureliani cum L. E. anno *quinto* Vaballathi conjungitur; Aurelianus enim A. VC. 1023. adeòque annô poſt Odenathi mortem *quarto* ad imperium evectus eſt. Zenobiam autem devicit anno VC. 1026. imperii *quarto.* Hæc plana ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, ſimulque arguunt, pleraque ejusmodi Numiſmata ante Zenobiam captam eſſe ſignata; quod etiam inde patet, quòd Vaballathus in Triumpho ductus, indeque privatæ vitæ cum matre relictus creditur. Salmaſii hæc ſententia eſt, excepit DULODORUS, & quidem, nequicquam refragante Triſtano, fortaſſis non rejicienda; ut enim Vaballathi nomine Zenobiam Imperium Orientis tenuiſſe Vopiſcus author eſt, ita Zoſimus eandem Zenobiam cum filio in Triumpho ductam, privatæque vitæ cum eo relictam tradidit. Mirum autem eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in Triumpho ductum credere eum, qui Numiſmata ſubmiſſionis ſuæ teſtimonia publicè procudit. Si idem feciſſet & Zenobia, reſpondit DULODORUS, fortaſſis defuiſſet belli cauſa. Bello conflato, quis aſſerat, annon Vaballathus in Novercæ ſubſidium criſtas & ipſe erexerit? adeoque captivitatem meruerit? Sed Numiſma ad hæc non pertinet. Proculdubio priorum temporum eſt, quorum & Græca; honoremque Aureliano habitum eôdem modô teſtatur, quô & Numiſmata Regum Thraciæ, & Abgarorum, qui ut ſubjectionem teſtarentur, ſimili modo capita ſua ſub Regio titulo, capitibus Auguſtorum appoſuére. Hæc veriſimilia ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS; Quomodo autem interpretaris literas VCRIMOR, Vaballathi nomen ſequentes? neque enim Angeloni ſententia videtur admittenda, qui literas has Regnum invicto magno domitu restituit legenda cenſet. Harduini potior eſt, reſpondit DULODORUS: Is Vice Cæsaris Rector Imperii Orientis has literas

epli-

explicat, & me quidem judice non malè, nisi fortè pro voce RECTOR, vocem REX, substituendam judices, ita legendo VICE CÆSAREA REX IMPERII ORIENTALIS, non quòd vox *Rector* non subsistere possit, sed quòd Diadema, non in Græcis tantùm capiti Vaballathi circumdatum, sed & in proposito, quòd omninò notandum, sub laurea conspicuum, Regem demonstret, sive peculiare regnum ei post obitum patris cesserit, sive regiis honoribus contentus, novercæ imperii vim concesserit. Res eò credibilior est, quò apertius & Zenobia in Epistola ad Aurelianum apud Vopiscum se REGINAM ORIENTIS vocavit, adeò ut Fulvius Ursinus, vel contra sentiente Tristano, fidem mereatur, quando asserit se Numisma vidisse, VABALATHUS REX inscriptum. Sequitur

PROBUS
CUM
VOTIS X. & XX.



Numisma hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Illustrissimus Mediobarbus possidet, *integerrimum*, asserens, imò & *Antiquum*, & *quantivis pretii*. Differt Adversa, respondit DULODORUS; Apud Mediobarbum caput Galeatum cum Thorace, dextrâ hastam, sinistrâ Clypeum tenens memoratur; in proposito autem, est Caput coronâ radiatâ cinctum, pectus Imperatoriâ togâ amictum & in dextra Sceptrum Consulare. Sceptrum consulare, excepit ARCHÆOPHILUS, nummum hunc non ad annum imperii primum, quô Mediobarbo memoratur, sed ad secundum reducit: Quid si inde dubitem, annon vota hæc tunc demum suscepta sint? adeòque Mediobarbus erraverit? Imò contra, reposuit DULODORUS; Vota enim sub initium imperii suscepta fuisse, ex more consueto verisimile est, cùmque Numisma Mediobarbi annum primum non excluserit, utique tutius assertum ejus assumseris, Numisma nostrum cum eodem typo annô secundô repetitum statuens. Alterum mihi dubium nascitur, inquit ARCHÆOPHILUS. Vota hîc non X. tantùm, sed & XX. video, cùm tamen neutra Probus solverit? Non de solutis intelligenda sunt, respondit DULODORUS, sed de susceptis. Ego, inquit ARCHÆOPHILUS, duplicia hæc vota iis æquipollere arbitrabar, quæ post Constantinum præcipuè, *Multiplicata* prostant, ubi prior Numerus de solutis, posterior autem de susceptis intelligendus est. Ita vulgò, respondit DULODORUS: Et fateor, communem hanc opinionem etiam mihi hactenus imposuisse; Cùm autem, observante Oiselio, Vota V. multiplicata X. &c. etiam eorum in nummis occurrant, qui primô imperii annô occubuére, puta *Joviani*, ut alia exempla taceam, utique apertum est, utraque vota de susceptis intelligenda esse, indeque, nisi adjecta inscriptio id apertè suadeat, de votis anticipatis, quô hactenus effugio usi sumus, ne cogitandum quidem. Si hoc ita sit, inquit

inquit ARCHÆOPHILUS, immanis Mediobarbo virgula ducetur; omnia enim Numiſmata cum votis multiplicatis, aut eum in annum conjecit, quem numerus votorum prior, ad ejus mentem ſcilicet ſolutorum, oſtendit, aut certè ad Imperatoris ultimum, quaſi tunc fuiſſent anticipata: Ita in Juliani Nummis VOT. X. MULT. XX. video, cùm tamen annô imperii octavô occubuerit. In Valentis Nummo ſunt VOT. XXX. MULT. XXXX. cùm tamen annô Imperii decimô quintô perierit: Eademque ratio eſt in pluribus aliis. Agnoſco, inquit DULODORUS, ſed ratio me latet, excepit ARCHÆOPHILUS. Ratio, reſpondit ALTER, alia non eſt ac gaudium & acclamatio Populi, vota non ſimplicia tantùm, ſed & multiplicata nuncupantis. Probo certè non X. tantùm, ſed & XX. ſuſcepta, Numiſma propoſitum teſtis eſt omni exceptione major. Nam Probus annô imperii ſeptimô occiſus eſt, adeoque Decennalia ſolvere non potuit. Succedit

CARI
CONSECRATIO.



Numiſma hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, rariſſimum ſanè, etiam Nobiliſſimus MORELLIUS vulgavit, aitque exſtare Bernæ apud Dn. WERNERUM Pictorem celeberrimum. Rectè ait, inquit DULODORUS, ſed ſcire Te velim, Celeberrimum WERNERUM non amplius Bernæ, ſed hâc ipſâ in Electorali Regiâ morari, Academiæque Rectoratum judicio Principis Principaliumque Virorum, non minus ac artis ſcientiarumque ſublimitate meruiſſe, eumque & ſumma cum gloria obire, divite ſtipendio, ſingularique Electoris noſtri gratiâ fultum. Quis unquam cogitaſſet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ex pacificis Helvetiæ ditionibus virum vel Apelli comparandum, & ætatis jam provectioris, per tot Terrarum ſpatia, domicilium & Penates translaturum? Ea, reſpondit DULODORUS, eſt APOLLINIS BRANDENBURGICI Gloria, ea Magnificentia, ut radios ejus beneficentiſſimos peritiſſimi ſequantur, minus periti fugiant. De WERNERO autem & illud memorandum, quod Sereniſſimo noſtro non fortunas tantùm commiſerit, ſed & animum devoverit. Numiſmatum Antiquorum ſeries locupletiſſimas poſſidet. Ex iis tamen, cùm quædam Cimeliarchio Electorali deeſſe animadverterem, dici non poteſt, quâ cordis amœnitate, ſeligendi poteſtatem mihi fecerit: quâ animi lætitiâ eadem pretiô non ſanè magnô ceſſerit, unicè, ut SERENISSIMO NOSTRO non artem tantùm, ſed & Genium ſuum probaret: Et hinc eſt, quòd non propoſitum tantùm, ſed & plura ex *Wernerianis* alia in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico hodiè aſſerventur. Grata rei notitia eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, & Numiſma vel hôc nomine, quod repetatur, dignum. Imò eſt & aliô, reſpondit DULODORUS; omninò enim oſtendendum, non columnam ex mente MORELLII in averſa cerni, ſed *Aram*, foco impoſito arden-

rdentem, verbenisque in medio revinctam, basi, cui innititur, latiore, corpore x crassiore paulatim extenuatô, nec tamen altiore, quàm ut Ara credi possit, quam utique & inscriptio ΑΦΙΕΡΩΣΙΣ *Consecratio* denotat, cùm constet onsecratione Divinos honores Imperatoribus tributos, adeòque iis sacrificaum esse, quod ad propositum & Inscriptio capitis demonstrat, ΘΕΩ ΚΑΡΩ EB. *Deo Caro Augusto*, dicata. Carus, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor, etiam vivus *Deus* vocabatur. Id ex Numismatibus aliis patet, inquit DULODORUS, sed propositum post ejus mortem percussum esse, ex Conecratione utique indubium est. Accedit & litera numeralis B. à Cari capite, quam MORELLIUS nec ipsam observavit, quæque Numisma annô imperii II. percussum arguit, eôdem scilicet, quô & perierat. Succedit

DIOCLETIANUS
CUM
ISIDE.



Jtrumque video, inquit ARCHÆOPHILUS, cùmque Numisma crassiusculum sit, & in Ægypto percussum videatur, de Iside equidem non dubitarem, quanquam insolitô more ornata appareat, spicas in capite gestans, quas in aliis Isidis simulacris non observavi. Imò prodibunt sub Sigillis æneis, respondit DULODORUS, sed non eôdem modô, dabiturque ibi & occasio, de Isidis ornatu latius differendi. Hîc paucis monendum, Isidem Ægyptiorum cum Cerere Græcorum eandem fuisse, indeque confici, Ægyptios anno imperii Diocletiani 12. (id enim ex adjectis literis numeralibus L. IB. patet) cùm ante octennium Achilleus rebellasset, & à Diocletiano victus fuisset, se victori deinceps, vel Annonæ suæ proventu devotos, eleganter hôc Numismate ostendisse. Prodit

L. ÆLIANUS.



Duo fuére Æliani, excepit ARCHÆOPHILUS, alter sub Gallieno, alter sub Diocletiano: Velim igitur scire, quô indiciô propositum Numisma posteriori addicas? idque eò magis, quò apertius Tua sententia contra communem opinio-

opinionem militat; Occo enim, & Illuſtriſſimus Mediobarbus, id priori adſcripſére. De Occone & Mediobarbo, reſpondit DULODORUS, meritò miraberis. Ælianum enim ſub Gallieno prænomine *Aulum*, ſub Diocletiano autem *Lucium* inſcripſére: Quô poſitô utique planum eſſet, Numiſma propoſitum, L. ÆLIANUS inſcriptum, ad poſteriorem, & non ad priorem pertinere. Res indubia eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quanquam etiam Triſtanus, imò & Patinus Occonem ſequantur, & quanta in Antiquitatis cognitione Nomina? Interdum, reſpondit DULODORUS, etiam bonus dormitat Homerus. Patinus ſanè veſtigia Triſtani & Occonis ſervat: Triſtanus autem quædam adhuc fulcra ſupponit, eò Occoni contrarius, quòd L. Ælianum poſt Lollianum occiſum, purpuram ſumſiſſe tradit, cùm Occo & Mediobarbus eum Lolliano præponant. Rationes inſpiciamus, inquit ARCHÆOPHILUS. Rationes, reſpondit DULODORUS, perquam fragiles ſunt. Nititur Authoritate Victoris & Pæanii, ſed utriusque aſſertum ſimul enervat ipſe. Victoris ſequentia ſunt: *Pari modo Ælianus apud Moguntiacum, in Ægypto Æmilianus, apud Macedonas Valens, Mediolani Aureolus dominatum invaſere.* Apertum eſt teſtimonium, inquit ARCHÆOPHILUS, nec video, quid contra dici poſſit? Lollianus dubium movet, reſpondit DULODORUS: Hic enim, cùm Imperator declaratus, ſe Moguntiæ contra Poſtumum aliquantiſper defenderit, indeque, urbe captâ, Poſtumôque à ſuis ob negatam direptionem cæsô, ſucceſſerit, mirum ſanè videri poteſt, cur Victori, diligenti aliàs Hiſtoriographo ne verbulo quidem memoretur? Et cùm è contrario Trebellius Pollio Ælianum omiſerit, Lolliani autem vitam inter XXX. ſub Gallieno Tyrannos pluribus executus ſit, non fragilis utique conjectura ſubit, apud Victorem non *Ælianus*, ſed *Lollianus* legendum eſſe. Non diſplicet ratio, inquit ARCHÆOPHILUS: Quid autem de Pæanio? Nonne & huic Λἄκιος Αἰλιάνος memoratur? Imò, reſpondit DULODORUS, ſed Metaphraſtes Romanus Lollianum ſubſtituit, cùmque res, de qua loquitur, non Æliani, ſed Lolliani ſit, quod vel ex Trebellio Pollione conſtare poteſt, pronum utique judicare eſt, etiam apud Pæanium pro Λἄκιος Αἰλιάνος, legendum eſſe Λολλιάνος, id quod eò facilius credideris, quò propius & Literarum affinitas ſe invicem tangit. Si hæc ita ſe habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego unum eundemque arbitrarer & Lollianum & Ælianum, quô poſitô Authoribus tàm antiquis, quàm modernis, ſua ratio conſtaret. Refragantur Numiſmata, reſpondit DULODORUS. In his enim Lollianus SP. SERVIL. prænomen habet, uti apud Occonem videre eſt, ut effigiem & coronam taceam, quæ cum propoſito nec ipſæ conveniunt. An igitur, inquit ARCHÆOPHILUS, ſub Gallieno *Æliani* nomine nullus fuit? Si fuit, reſpondit DULODORUS, fuerit is, per me licet, cujus Numiſma ex Goltzio citatur, *A. Pomponii* prænomine. *Lucius* certè non fuit; Sed hic ſub Diocletianum relegandus, vel ipsô Occone teſte. Artificium Numiſmatis videtur obſtare, inquit ARCHÆOPHILUS; Idem enim ejus Genius eſt, qui & ſub Poſtumo & Victorino. Hæc ratio, reſpondit DULODORUS, etiam Triſtanum & alios videtur ſeduxiſſe; ſed quæſo ARCHÆOPHILE, an tanta à nece Poſtumi ad rebellionem ſub Diocletiano, temporum diſtantia, ut hæc adduci mereatur? Octodecim, ſi rectè numero, anni interſunt, cùmque Ælianus ſub Diocletiano non minus in Gallia rebellaverit, ac Poſtumus & Victorinus, quidni poterunt omnium horum Numiſmata ejusdem artificis credi? indeque eundem etiam artis genium præferre? Sint hæc ita, excepit ARCHÆOPHILUS,
Quid

uid autem de hoc Æliano habes? Quid de Victoria aversæ? An tantæ hic ve fortitudinis sive fortunæ, ut Victoriam credi possit obtinuisse? Eutropius tisfaciet, respondit DULODORUS. Ita de Diocletiano: *Rerum potitus,* quit, *cùm tumultum rusticani in Gallia concitassent, & factioni suæ BACAUDA-UM nomen imponerent, Duces autem haberent AMANDUM & ÆLIA-UM* &c. Nihil hîc de Victoria, inquit ARCHÆOPHILUS, potius in quentibus de clade docemur; Ita enim persequitur author: *ad subigendos os Maximianum Herculeum Cæsarem misit, qui levibus præliis agrestes domuit, partem Galliæ reformavit.* Idem sane & Orosius, & Mamertinus in Panegyrico asserunt. Idem, respondit DULODORUS, & Victor; sed id ipsum, uod causa fuerunt, ut Maximianus Cæsar cum exercitu contra eos mitteretur, vidente utique arguit, eos ante ejus adventum per Gallias victoriosè grassaos, adeòque causam Victoriæ gradientis sufficientem dedisse: Sed rem apertè ictor: *Ubi Diocletianus* comperit, *Carini discessu ÆLIANUM Amandumque er Galliam excitatâ manu agrestium ac Latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, POPULATIS LATE AGRIS, PLERASQUE URBES TENTARE, Maximianum Imperatorem jubet.* Quid videtur, ARCHÆOPHILE? annon x his constat de causa Victoriæ gradientis, cùm tamen à discessu Carini Anno VC. 1037. ad Maximanum contra se missum, quòd anno 1039. factum est, impunè e extulerint? Sed

ALLECTUS



Nos vocat. Hæc Numismata, inquit ARCHÆOPHILUS, in Continuatione memorasti, sed non publicasti. Tunc non aderant, respondit DULODORUS, memoravi autem ex aliis authoribus. Si aliis jam vulgati sint, reposuit ARCHÆOPHILUS, quid opus ea repetere? Differunt, respondit DULODORUS, & quidem effigie Allecti: Ubicunque ea prostat, barbâ promissâ, & in acumen desinente conspicua est, in propositis autem promissa non est, sed in altero lanuginosa, in altero horridiore rotunditate malas ambit, ut ita vel inde Numismata hæc imperii initio percussa ritè statuam, reliqua autem in quibus barba longior, in progressu & circa finem, interpositô scilicet aliquot annorum spaciô, ut barba eam in longitudinem, quâ in aliis visitur, crescere potuerit. At, inquit ARCHÆOPHILUS, si rectè memini, Patinus pacem arbitratur Allectum, quam ambiebat, habere non potuisse, quod statim oppressus fuerit? Tertiô imperii annô demum oppressus est, respondit DULODORUS, adeòque Pacem eòusque luculentam habuit. Cùm enim vires Imperii, tàm maritimas, quàm terrestres, obtineret maximas, Britanniamque à prædecessore robustissimè vallatam milite numeroso tueretur, quidni pacem imperii speraret à quibuscunque, cùm tamen eandem ab Imperatoribus Romanis obtinuisse & Carausium meminisset? Si ita se res habeat, excepit AR-

(Y) CHÆO-

CHÆOPHILUS, Ego pacem hanc non frustrà sceptrum tenere existimarem; significanter enim pacem imperii hôc schemate adumbraverit Allectus Et quis dijudicet, annon & sub ramum pretendente, pacem Romanis offerentem debeamus agnoscere? Id vel ideò credas, excepit DULODORUS, quòd pacem, quam jam ante Carausius obtinuerat, Allectum sub imperii initia renovare voluisse, utiqne verisimile videatur. De Carausio ita Eutropius; *Cum CARAUSIO cùm bella frustra tentata essent, contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit. Eum post septennium ALLECTUS socius ejus occidit, atque ipse post eum Britannias triennio tenuit: Qui ductu Asclepiodoti Præfecti Prætorio est oppressus.* Socius ejus? quæsivit ARCHÆOPHILUS. An igitur Carausio adhuc vivente jam *Augustum* se dixit Allectus? Non de Honore Augustali, respondit DULODORUS, sed de viribus Imperii locus intelligendus est.; Victor enim *Carausii permissu summæ rei Allectum præfuisse*, scribit: *Augustum dictum*, non scribit: Imò addendo, *Eum Carausio per scelus Imperium extorsisse*, haud obscurè innuit, Imperatorem post Carausii cædem demum factum esse. Socium autem Eutropio dici existimarem, quod Carausium in capessendo imperio juvisset, quæ & ratio fuit, ut imperii vires ei postmodum crederentur. De nòmine ALLECTI, & non ALECTI, ut Scaligero visum, plura commentatus est Tristanus. Quid literæ S. P. designent, non facilè dixerim. Literas M. L. quas Tristanus omisit, *Monetam Londinensem* interpretor. Quid autem, inquit ARCHÆOPHILUS, in Numismate secundo Literæ navi subscriptæ Q. C. Cùm simili navi, respondit DULODORUS, sed VIRTUS AUG. inscriptæ, apud Tristanum Literæ Q. L. subjectæ sint, facile crediderim, sub litera Q. monetam, puta Quinarium, sub L. autem locum signaturæ, puta Londinum, indicatum esse. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, sed quid navis LÆTITIA & VIRTUS inscripta? Communiter sanè *Felicitas* inscribitur, dilucidaturque ex cursu rerum felici, cursui navis, secundô ventô per æquora nantis consimili: Quid autem hoc ad virtutem? quid ad Lætitiam? Felicitate, respondit DULODORUS, acuitur Virtus, nascitur lætitia; Allecto sanè felicitas imperii vires, perfidia insignia tradiderat: cùmque ingenti classe proculdubio superbiret, occiso eô, *quem*, ut Victor loquitur, *parandæ classi ac propulsandis Germanis, maria infestantibus, præfecerant Diocletianus & Maximianus*, quidni Navim Prætoriam, & sub ea classem universam, suam virtutem, suamque Lætitiam inscriberet? Lætitiam, inquam, id quod jam ante Allectum etiam Postumus fecerat. Succedit

MAXIMIANUS HERCULEUS
ABDICATO IMPERIO QUIESCENS.



Summæ venustatis est hoc Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, & mirum, per tot annorum decursum, per tot iniquioris fortunæ injurias & discrimina,

mina, durare potuisse. Si hodie, inquit DULODORUS, monetæ exemtum fuisset, majorem nitorem nescio an præferre posset? Interim tamen ea Antiquitatis in eo κριτήρια radiant, ut de ingenuitate ne dubitare quidem liceat; Quis enim hujus, vel etiam superioris sæculi artifex, lineamentorum ductus, capilli barbæque tonsuram, Herculis calvitiem roburque corporeum, pellis Leoninæ horrorem, clavæ, pharetræ & arcûs minutias, literarumque in Inscriptione ductus, tam accuratè, Genioque Antiquitatis, Temporibusque Maximiani tam convenienti, qualiter in hoc Numismate radiant, exprimeret? Ubique & Herculis, & ipsius Maximiani resplendet gloria. Herculis gloriam, excepit ARCHÆOPHILUS, ad hoc Numisma latius ostendit Tristanus. Idem, respondit DULODORUS, etiam de Maximiano fecit, ad abdicatum Imperium hoc quiescentis Herculis schema referens, opinionisque basin in sequentibus Panegyristæ Mamertini ostendens: *Ideóne*, inquit apud eum ad Maximianum Roma, *Ideóne te mihi ille, cujus tot aras, tot templa, tot nomina colo, Hercules dedit, ut tu in suburbano OTIOSUS SEDENS, usum dicatæ mihi virtutis amitteres?* Non Maximianus, excepit ARCHÆOPHILUS, sed ipse Hercules otiosus sedet. Sub Hercule, respondit DULODORUS, Maximianus latet. Id non tantùm ex cognomine *Herculei* colligas, sed certius adhuc ex Numismate ejusdem hujus Electoralis Cimeliarchii æreo, quod in Continuatione Tomi primi vulgavimus, cujusque non tantùm in aversa Hercules idem facie directâ sedet, sed & in aversa Maximiani effigies, pelle Leoninâ tegitur: apertô argumentô, Maximianum sub Hercule, & Herculem sub Maximiano intelligendum, Pythagoricâ planè metempsychosi, ac si anima Herculis in Maximianum transiisset, eumque ad debellandos & vincendos hostes animasset, peractisque laboribus quietem suô exemplô suasisset, quò facere potest luculenta Herculis & Maximiniani comparatio, quam Pomponius Lætus instituit. Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, si Numisma ad depositum Imperium referas. Aliter autem Illustrissimus Mediobarbus. Numisma Hic sub An. Ch. 307. proposuit, quô purpurâ, quam ante biennium deposuerat, jamdudum resumtâ, Severum Maximianus per dolum cecidit, Faustamque filiam Constantino in matrimonium tradidit, nec opinor absque ratione; quid enim si Herculem Victorem ad Severi interitum referas? Hercules, respondit DULODORUS, non dolô, sed virtute vicit, sedensque non Imperanti, sed ab imperio quiescenti convenit. At inscriptio, respondit ARCHÆOPHILUS, P. F. Augustum vocat, an hoc imperio deposito? Quidni? respondit DULODORUS, cùm hodieque *Reges* vocentur etiam Regno spoliati, & Consulis titulum usurpaverint antiquitùs, etiam Consulatu depositò? Succedit

GALERIUS MAXIMIANUS,
MAXENTII SOCER, A GENERO CONSECRATUS.



Consecrationem, inquit ARCHÆOPHILUS, & elogium Divi & Velum Divinitatis, imò & Templum & Inscriptio Memoria æterna, evincunt: Et à Maxentio Maximianum, & quidem Socerum, consecratum, non minus ex Numismate clarum est, licet quod sciam, nullius hîc Authoris authoritas suffragetur. Tantò pretiosius est Numisma, excepit DULODORUS, ostenditque deliciarum nostrarum utilitatem, ea non rarô supplentium, quæ Scriptorum vel incuria omisit, vel infelicitas pessundedit. Id plenius hîc factum esset, reposuit ARCHÆOPHILUS, si Maximiani prænomen accederet. Notum enim, quod Baronius statuit, non *Galerium*, sed *Herculium*, Maxentii Socerum hoc in Nummo vocari. Errorem Baronii, respondit DULODORUS, jamdudum detexit & refutavit Tristanus, quem de his consulendum censeo, eumque fulcit & ipsa Maximiani hujus effigies, quæ Galerio omninò, minimè verò Herculeo convenit, adeò ut apud S. Victorem cum Tristano *Maxentius* legendum sit, ubi cum proximè de Maxentio dixisset, subjicit: *Is Maximianus (MAXENTIUS) Carus nulli unquam fuit, ne Patri aut SOCERO quidem GALERIO.* Et hæc mihi videtur etiam ratio, quòd consecrationis hujus nemo Authorum meminerit; Mortuus enim est Maximianus Socer annô VC. 1064. Maxentius autem annô sequenti à Constantino ad Pontem Molvium victus periit, adeò ut Consecratio hæc in Maxentii, si non annum postremum, saltem in postremum præcedentem incidat, quô perditus imperator maleficiis suis jam publicum odium sibi contraxerat. Et quid si hoc pietatis in Socerum specimine populi animos credatur fuisse delinturus, quòd imminentem tempestatem jam tunc prævideret? Sed prodit

MAXIMINUS
&
VICTORIA CONSTANTINI,



Ex Numismate, & aureo, & hactenus incognito, adeòque rarissimo. Maximini nomen,

nomen, inquit ARCHÆOPHILUS, Numiſmatibus debemus, cùm Eutropius & alii non Maximinum, ſed Maximianum appellent. Imò, ſubjecit DULODORUS, debemus & geſta, cùm Suidas Maximinum noſtrum cum Maximino Thrace confundat; ſed hoc parum eſt. Potius diſquirendum de imperii annis. Adoptatus eſt cum Severo, à Diocletiano purpuram deponente, Anno VC. 1058. *Auguſtus* dictus eſt Annô VC. 1060. cùm audiſſet, & Licinium id honoris tuliſſe: *Victus* eſt annô 1065. *Mortuus* annô 1066. quô annô & *Tertium Conſul* fuit, cùm annô priore ſecundum conſulatum geſſiſſet, id quod ex Illuſtriſſimo Mediobarbo liquet, nequicquam alter ſentiente Aurelio Victore, qui poſt biennii Imperium à Licinio fuſum memorat; nequicquam & Calviſio ex Euſebio & Joſepho, qui Anno Ch. 310. *Auguſtum* dictum, annò 313. mortuum referunt; Palam enim eſt, hos Auguſtale Imperium dividiſſe, dimidiumque Cæſari dimidium Auguſto tribuiſſe, cùm tamen Cæſar jam Anno Chriſti 305. fuerit, Auguſtus autem poſt Licinium Anno Chriſti 307. factus fuerit, indeque adhuc ſex annos vixerit. Quorſum hæc? inquit ARCHÆOPHILUS. Ut intelligas, reſpondit DULODORUS, ad quam Conſtantini Victoriam Numiſma referendum ſit; percuſſum enim eſt ſub Maximino non Cæſare, ſed Auguſto. Conſtantinus, excepit ARCHÆOPHILUS, eôdem annô *Auguſtus* dictus eſt, quô & Maximinus, quid ſi inde Victoriam ad eam referam, quam ſtatim ab initio ex Britannia progreſſus, de Regibus Francorum obtinuit? Conſtantinus, excepit DULODORUS, eam Victoriam adhuc Cæſar tulit, & inde demum à Maximiano Herculeo *Imperator* & *Auguſtus* dictus eſt, indeque potius ad Bructeros, Vangiones, Alamannos, Tubantes reſpicerem, quos annô ſequenti Conſtantinus devicit. Pecunia Romæ ſignata, excepit ARCHÆOPHILUS, ex ſubſcriptis P.R. noſcitur; At Romam eô tempore Maxentius tenuit. Quid tum? reſpondit DULODORUS, ſi concordiæ vinculum & reliquis Auguſtis honorem habuerit. Certè ad Maxentium devictum in ponte Milvio vix reſpicias; tunc enim concordia jam diffluxerat, Maximinusque noſter à Licinio victus & fugatus memoratur. Sed relictis Ethnicis ad Chriſti Servum convertimur

CONSTANTINUS MAXIMUS,
CRISPUM CAESAREM, DEVICTIS FRANCIS VICTORIOSE REDUCEM, IN IMPERII CURAM ADMITTIT,



Numiſmate moduli maximi, & vel ideò proponendo, quòd alibi vel aliter depictum, vel aliter deſcriptum proſtat. Apud Illuſtriſſimum SPANHEMIUM Diſſ. III. p. 245. Conſtantinus non MAX. AUG. audit, ſed ſolâ literâ A. *Auguſti* ſcilicet initiali decoratur: Adde quòd & lauream puram geſtat, cùm in noſtro, receptô jam Imperatoribus more, lapillis & margaritis ea diſtinguatur. Taceo

effigiem ſatis ſenilem, quæ in noſtro adhuc vegeta cernitur: Taceo & averſam, in qua literam U inſcriptioni præpoſitam deprehendimus, quæ tamen non litera, ſed caudæ Pantheræ ſinuoſo tractu ludentis appendix eſt. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc non eſſe animadverſa. Ego non miror, reſpondit DULODORUS, cùm Nummi ectypon VIRO MAGNO aliunde miſſum fuerit, ipſeque non aliâ ratione id expreſſerit, quàm ut figuram Phœnicis adſtrueret; ſed differentiam oſtendo, non carpo, cùm fieri poſſit, ut ſimilibus in Nummis res expreſſæ varient, prout revera variant in iis, quæ Occo deſcripſit, in quibus *Gloria Sæculi, virtus, non CÆSS.* ſed *CÆS.* & *CÆSARIS* legitur: adeò ut Nummum Carpineum, qui cum noſtro idem plane eſt, Illuſtriſſimus Mediobarbus Biragus non abs ratione addiderit. Celeberrimus Vaillantius, inquit ARCHÆOPHILUS, in Catalogo Numiſmatum æreorum maximi moduli, ſi rectè memini, inſcriptionem averſæ trajecit: GLORIA CÆSARIS VIRTUS SÆCULI legendo. Hoc, reſpondit DULODORUS, Typographi magis quàm Authoris errori adſcribendum eſſe, ex Indice patet, in quo Inſcriptio ea rectè poſita occurrit. Errori propius eſt, quod Carol. du Freſne figuram ſedentem Galeatam deſcripſit, pedibusque non Pantheram, ſed canem affinxit: Sed de his ſatis. Averſæ figuras aggredimur. Eæ notæ ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS; convenit enim inter Antiquarios, figuram Thoraci inſidentem Conſtantinum Maximum eſſe, Eam autem, quæ globum, eique inſiſtentem Phœnicem tenet, Tropæo onuſtam, & pantherâ comitatum, eſſe Criſpum, inſigni Victoriâ debellatis, qui rebellaverant, Francis reducem. Hæc benè ſe habent, inquit DULODORUS; An autem Numiſmati ſatisfaciant dubitem; cùm omninò mihi ſub hoc Conſtantini Maximi ſimulacro aliquid faſtigiô humanô majus videatur latere; Quis enim neſcit, ſedentes & ſuperiore parte nudos, ſiniſtramque haſtâ divinitatis fultos, prout in hoc Nummo Conſtantinus viſitur, non homines, ſed Deos, minimum Heroes pingi? quâ ratione, utique non erravero, ſi divinos Conſtantino honores hoc ſchemate tribui contendam. Imò & honores determinantur. Ne enim ignores, quem Deorum hic Conſtantinus referat, ſubjectus ei Thorax oſtendere poterit, inſigne Martium. Martis ſcilicet honores Conſtantino tributos, etiam ex aliis nummis palam eſt, in quibus non tantùm *Marti Conſervatori*, *Marti Patri Conſervatori*, & *Marti Propugnatori*, ſed & *Marti Patri ſemper Victori* honos fit, non tàm Martis, quàm ipſius Conſtantini effigie expreſsâ: adeò ut abſurdum non ſit, ſi Conſtantini, licet abſentis, in bello tamen auſpicia idem ad victoriam valuiſſe, tacitè hoc ſchemate credamus innui, quod aliâs ſecundum Gentilium opinionem armipotens Mars valuit,

Cuncta ſuo qui bella Pater ſub nomine torquet.

Hæccine de Imperatore Chriſtiano? excepit ARCHÆOPHILUS. Ex Ethniciſmo, reſpondit DULODORUS, cùm Numiſma percuteretur, Conſtantinus nondum omninò emerſerat; Sed eſto! An Tu neſcis, hodiénum eum morem inter Chriſtianorum Proceres vigere, ut Jovis, Martis, Herculis, aliorumque Deorum nomina & ſimulacra admittant, ſuggerentibus Poetis, Pictoribus, Statuariis, Plaſtis? Res aperta eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed quid ultra? annon Criſpus Tropæo onuſtus, globum Phœnici ſubjectum Conſtantino offert? Imò potius, reſpondit DULODORUS, in ejus ſuſtinendi munia à Conſtantino admittitur. Scio quidem ſecundum Vaillantium, Criſpum globum hunc Conſtantino præferre: Secundum Illuſtriſſimum Mediobarbum, Conſtantinum à Criſpo globum recipere; Sed neutra opinio ex digni-

tate

tate Conſtantini videtur eſſe, neutra cum veritate Numiſmatis congruere, in quo globus, non unius in manu, ſed in medio, hinc manu Conſtantini divinô habitu ſedentis, inde Criſpi, quem ſecundas Imperii partes obtinuiſſe Sozomenus L. I. c. 5. ait, confectô bellô victoriosè redeuntis ſuſtinetur, additô votô æternitatis in Phœnice, quæ quòd non longævitate vitæ tantùm, ſed & vitæ reparatione æternitati ſuæ conſulere credebatur, *avis æterna* Claudiano dicta eſt: Adeò ut non abſurdè hôc typô, & Conſtantino & Criſpo vitæ longævitas, & eâ exactâ felix ejusdem reparatio voveatur, ut æternùm ſcilicet, Globum imperii ſuſtinere, Victoriis defendere, & ſimul virtute & gloriâ beare poſſent. Vota hæc, excepit ARCHÆOPHILUS, Conſtantinus ipſe intercepit, Fauſtæ calumniis ſeductus; Sed de his nunc non agimus. Potius quærendum, an Criſpus ſit, qui Tropæum geſtat? Et ſi ſit, an Tropæum id de Francis retulerit? Aliquem Cæſarum eſſe, reſpondit DULODORUS, facilè arbitror fateberis; Inſcriptio enim de horum, & non aliorum virtute loquitur. Si Inſcriptioni inhærendum, repoſuit ARCHÆOPHILUS, utique & figura ſedens aliquis Cæſarum fuerit? Duorum enim Cæſarum virtutem, geminatum SS. in voce CÆSS. apertè arguit. In aliis Nummis, reſpondit DULODORUS, idem ſchema tantùm *Virtus Cæſaris* inſcribitur, indeque facilè colligas, unius tantùm virtuti Numiſma primò dicatum, qui proinde tropæum virtute partum ad patrem refert: poſteâ autem duobus inſcriptum, vel ne alterius invidia irritaretur, vel ut exemplo fratris ad ſimilia is ſtimularetur, quorum poſterius ex Nazarii Panegyri facilè adſtruxeris. Vegetâ ſanè Conſtantini patris ætate, qualis in nummo pingitur, præter Licinium juniorem, Cæſares fuére Criſpus & Conſtantinus junior, quos hâc inſcriptione notatos ego arguror, licet figura tantùm ejus expreſſa ſit, qui rem contra hoſtes benè geſſerat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon concinnius, cùm Conſtantinum Maximum in adverſa jam agnoverim, ad mentem Inſcriptionis in averſa non ipſum Conſtantinum Maximum, ſed Criſpum & Conſtantinum juniorem agnoſcam? Honos divinus, reſpondit DULODORUS, juveni invidioſus foret, Patri autem, qui hâc ratione ab imperio Orbis excluderetur, cederet ignominiæ, quod vix eſt, ut author Nummi intenderit: Adde quòd Imperatoris hinc caput, inde ejusdem ſimulacrum, actione aut honore quôdam decoratum cernere, in Nummis vulgatiſſimum ſit: Adde quòd & ſimulacrorum proportio pro Conſtantino faciat; ſedens enim ſtante major eſt, cùm Conſtantinus junior Criſpo natu minor fuerit, adeòque majore ſchemate eôque divinô expreſſus abſurdè utique credatur. De his Tibi concedo, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed ſuper eſt ut doceas, quibus ab Hoſtibus tropæum hoc retulerit Criſpus? præter enim quod non Francos tantùm vicit, ſed & Germanos repreſſit, & Amandum Licinianæ claſſis præfectum profligavit, adjecta Panthera mihi dubium movet, cùm conſtet eam in Europa non generari, in Aſia autem Criſpum non belligeraſſe, tantum abeſt, ut Tropæum inde potuerit referre. Monteſerchius, reſpondit DULODORUS, ad Numiſma Carpineum, Pantheram ad ludos Quinquennales refert, indeque Numiſma iis Ludis percuſſum, Criſpumque tunc demum Romam reducem fuiſſe colligit: Cùm autem Panthera hæc, non liberam feritatem præferat, ſed juxta tropæum Geſtantem, ad pedes Conſtantini devota cervicem totumque corpus ſubmittat, ego potius ferociſſimum animal ferociſſimæ gentis, Francorum ſcilicet, quos Criſpus devicerat, indicium arbitrer. De Germanis repreſſis ut intelligas, prohibet Typus ipſe, cùm non repreſſi, ſed victoriosè ſubacti, adeòque ſe ſubmittentes eô adumbrentur.

Ita nec Amandum, Licinianæ claſſis præfectum, in medium attuleris, cùm ne minimum quidem navalis victoriæ indicium in nummo ſit, maritimusque Imperator ſub animali terreſtri intelligi non poſſit. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an tanta Pantheræ cum Francorum moribus convenientia, ut ejus hi ſchemate præfigurari potuerint? Vel unica, reſpondit DULODORUS, appellatio rem teſtatur. Panthera dicitur, quod omnia animalia venetur & capiat. Θῆρα enim *venatum* ſignificat, eumque Panthera, & arte & ferocia exequitur, animalia pictæ pellis venuſtate alliciendo, allecta celeritate & ferociâ capiendo. An tales Franci? excepit ARCHÆOPHILUS. Tales Romanis minimùm videbantur, reſpondit DULODORUS. Quid venuſtius quàm Francorum nomen, Libertatis index? Quid magis varium, quàm perfidia? Ridendo fidem fallere, Francis familiare fuiſſe, Fl. Vopiſcus notat in Proculo: Et ſi de celeritate & ferocia quæras, expeditiones in Galliam & Hiſpaniam cogites, de quibus Aurelius Victor ſub Gallieno: quibus poſitis nihil utique dubitabis, quin Pantheræ naturam æquaverint, adeòque ingenioſè ſub ea in Numiſmate adumbrentur, eô plane ſchemate, quô & de Francis Claudianus:

Pavidoque orantes murmure Franci
Procubuére ſolo.

CONSTANTINI MAXIMI
SAPIENTIA PIETATE NIXA, PIETAS ROBORE MILITARI DEFENSA.



Minutiſſimum eſt hoc Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, Elegantiſſimum tamen, & juxta rariſſimum. Caput Auguſti nudum exhibet, ſecus ac alia. Id mirum non eſt, reſpondit DULODORUS; Caſſidem enim, quâ in plerisque Numiſmatibus Conſtantinus tegitur, in averſa aræ adjacet, Diadema autem, & laureâ, quibus in aliis cinctus eſt, ſancta hoc in nummo modeſtia videtur excluſiſſe: Modeſtia, inquam, quæ & Noctuam aræ impoſuit, ut indicaret, ſapientiam Principis, pietate niti: Quæ aræ clypeum haſtam & caſſidem appoſuit: quod pietatem robore militari defenderet. Haſtam Tu hic agnoſcis? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Apud Triſtanum, niſi fallor, ſceptrum eſt. Haſtam, reſpondit DULODORUS, in noſtro præfixa cuſpis hamata indubiè demonſtrat. Apud Triſtanum autem & illud diverſum eſt quod SAPIENTIA PRINCIPI in Nummô legatur, quaſi Principi ſapientia voveretur; Sed SAPIENTIA PRINCIPIS in noſtro apertiſſimè legitur, celebraturque ſapientia divinitùs conſignata, de qua, non minus ac de modeſtia ejus, Euſebius ſequentia tradit, ταῖς δὲ κατὰ ψυχὴν ἀρεταῖς μᾶλλον ἢ τοῖς κατὰ τὸ σῶμα πλεονεκτήμασιν ἐνηβρύνετο, σωφροσύνῃ πρώτιςα τὴν ψυχὴν κοσμούμενος κἄπειτα παιδεύσει λόγων, φρονήσει τ' ἐμφύτῳ καὶ τῇ θεοδότῳ σοφίᾳ διαφερόντος ἐκτρέφειν. *Virtutibus animi multò magis, quàm corporis monumentis nobilitatus eſt, quippe MODESTIA*

primùm

primùm suum decoravit animum: deinde politiore literaturâ: tum PRUDENTIA à natura propè insitâ: Ad extremum SAPIENTIA divinitùs animo consignatâ, tanquam alimentis quibusdam eximiè educavit. Sequitur

CONSTANTINI M.
PIETAS ET VICTORIÆ,



In Numismate aureo, & elegantissimo, & rarissimo. Victoriam video, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem sedentem, &, quod nullo adhuc in alio observasse memini, non Cornucopiæ tantùm sinistrâ, sed & Victoriolam dextrâ ferentem. Quid hoc est? an Victoria Victoriam præfert? Eandem ipsam, respondit DULODORUS, idque schemate, ut insolitô, ita ingeniosissimô; Omninò enim Victoria, Victoriæ jam partæ viribus obtenta, videtur adumbrari, qualem Constantinus contra Licinium obtinuit, non unô præliô subactum: Et huc ut respicias, fortassis & Imperatoris pietas suaserit, quæ in adversa radiat. Caput projectum est, inquit ARCHÆOPHILUS, & Diademate revinctum, planè qualiter Alexander M. pingitur; Quid igitur si non tàm pietatem, quàm Heroicos, & Alexandri æmulos, Constantini spiritus hîc intelligam? Id agerem & Ego, respondit DULODORUS, nisi Eusebius eò inclinantem retraheret. En ejus verba, capiti huic convenientissima! Οση δ' αὐτȣ̃ τῇ ψυχῇ πίςεως ἐνθέȣ ὑπεςήρικτο δύναμις, μάθοι ἄν τις καὶ ἐκ τȣ̃δε, λογιζόμενος ὡς ἐν τοῖς χρυσοῖς νομίσμασι τὴν αὐτȣ̃ αὐτὸς εἰκόνα ὧδε γράφεσθαι διετύπȣ, ὡς ἄνω βλέπειν δοκεῖν ἀνατεταμένος πρὸς θεὸν τρόπον εὐχομένȣ. τȣ̃τȣ μὲν ȣ̃ν τὰ ἐκτυπώματα καθ' ὅλης τῆς ῥωμαίων διέτρεχον οἰκȣμένης. ἐν αὐτοῖς δὲ βασιλείοις κατά τινας πύλας ἐν ταῖς εἰς τὸ μετέωρον τῶν προπύλων ἀνακειμέναις εἰκόσιν, ἑςὼς ὄρθιος ἐγράφετο ἄνω μὲν εἰς ȣ̓ρανὸν ἐμβλέπων· τὼ χεῖρε δ' ἐκτεταμένος εὐχομένȣ σχήματι. *Quanta verò fidei vis divinô quôdam instinctu in ejus animo defixa fuerit, vel ex eo intelligi potest, quòd in AUREIS NUMMIS imaginem ita insculpi curavit, ut pansis manibus instar precantis COELUM CONTUERI videretur: quod genus Nummi hâc effigie sculpti, per omnes Romani Imperii Gentes volitabat. Jam in ipsis Regiis per quasdam Januas in tabellis, quæ summis vestibulorum partibus affixæ erant, erectô statu pingebatur, SURSUM IN COELUM CONTEMPLANS, & precantis formâ manus sursum tollens.* Subit

CONSTANTINUS M. BAPTIZATUS.



Ita enim lego Numiſmatis hujus averſam: CONSTANTINO PIO AUGuſto BAPtizato NATO. An benè legas, excepit ARCHÆOPHILUS, valdè dubito; Literæ enim CONSTANTINOP. nullô indiciô diſtinguuntur, adeòque rem ad *Conſtantinopolim* reducunt. Quo ſenſu? interrogavit DULODORUS. Hiſtoriæ convenientiſſimo, reſpondit ARCHÆOPHILUS, cùm conſtet Conſtantinopolim Auguſti Baptiſmate in fide confirmatam, adeòque quaſi natam eſſe. Si hoc arbitreris, ſubjecit DULODORUS, per me utique opinione tuâ frui poteris, quanquam Baptiſma Principis non ad Conſtantinopolim tantùm, ſed ad univerſam Chriſtianorum Eccleſiam pertineat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm Conſtantinus ſub exitum vitæ baptizatus fuerit, ut Hiſtorici tradunt, quomodò poterit tunc *natus* dici? Idem hoc eſt, reſpondit DULODORUS, ac *Renatus.* Μόνος τῶν ἐξ αἰῶνος αὐτοκρατόρων Κωνςαντῖνος, χριςȣ̃ Μαρτυρίοις ἀναγενώμενος ἐτελειȣ̃το. θείας τε σφραγῖδος ἀξιȣ́μενος, ἠγάλλετο τῷ πνεύματι. ἀνεκαινȣ̃τό τε καὶ φωτὸς ἀνεπίμπλατο θείȣ, χαίρων μὲν τῇ ψυχῇ δι' ὑπερβολὴν πίςεως. *Ex omni omnium Imperatorem memoria ſolus Conſtantinus in Chriſti martyriis RENATUS, & ſacris initiatus, divinoque ſigillo donatus: & ſpiritu lætitiam concipiens prorſus NOVUS REDDITUS, ac divina oppletus luce, per immenſam fidei incredibiliter quidem animô geſtiebat.* Et heus Tu! an oblitus es, Baptiſmate quemcunque verè Chriſtianum renaſci? *Renaſci*, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed non *naſci.* Imò & hoc, reſpondit DULODORUS, ſed ad vitam cœleſtem; Ita enim in ſacris, *ex Deo nati* non de nativitate *naturali*, ſed de *ſpirituali* explicantur, quod in Numiſmate propoſito non minus locum habere, utique ex adjuncta voce *BAPtiſmatis* conſtat. Confer. Epiſt. Johannis c. 3. v. 9. &c. Imò & Epiſt. Pauli ad Rom. c. 6. v. 3. 4. 5. ex quo ſimul loco apparet, non fruſtrâ vocem *nato*, voci *Baptizato* adjectam eſſe, ſed ut ſignificetur, Conſtantinum M. non tantùm cum Chriſto per baptiſma mortuum, ſed & cùm Chriſto ad novam vitam excitatum, adeòque ex Deo *natum* eſſe. Valeant hæc! inquit ARCHÆOPHILUS; ſed miror, cùm memoriam ſacroſancti Baptiſmatis hic nummus contineat, ne minimum quidem Chriſtianiſmi in figuris indicium eſſe. Imperator, qui tunc ægrotabat, erectus ſtat, dextrâque globum ſuſtinet, ſiniſtram haſtâ fulcitur. Hoc mirum non eſt, reſpondit DULODORUS, cùm Conſtantinus tempore baptiſmatis ſui armatis non caruerit, imò nec Orbis regimen neglexerit; Euſebio enim teſte, licet purpuram poſt baptiſmum attingere amplius noluerit, quæ cauſa eſſe poteſt, quod eam nec in Numiſmate præferat, Centurionibus tamen & Ducibus militaribus, ad eum intromiſſis, felicitatem ſuam prædicavit, indeque & de Imperio, aliiſque, quæ videbantur, extremâ voluntate diſpoſuit: Quæ duo, utique militari hôc, globumque præferentis, ſchemate graphicè credi poterunt expreſ-

expreſſa. Cæterùm ut in hoc Nummo Imperator erectus ſtat, ita in alio, cum eadem Inſcriptione, eôdemque habitu, ſedet, Monetâ utrâque Lugduni in Officina Tertia percuſsâ; ita enim literam C. videtur interpretari Reverendiſſimus Harduin in Antirrhetico p. 18. Sed hæc ad opinionem eorum, qui Conſtantinum ſub exitum vitæ & Nicomediæ baptizatum tradidére. An alii aliter? excepit ARCHÆOPHILUS. Cedrenus, reſpondit DULODORUS, opinione eâ rejectâ Baptiſmum Conſtantini ad annum Imperii ſeptimum remittit, alterum ſcilicet à victo Maxentio; Ita enim ſcribit interprete Xylandro: *Septimô Imperii ſui annô Magnus Conſtantinus, Româ potitus, nihil antiquius habuit, quàm reliquias ſanctorum Martyrum honeſtè ſepelire, & exules revocare. Tunc etiam à Sylveſtro Sanctiſſimo Romæ Papa BAPTIZATUS, Lepraque hôc pactô liberatus eſt. Cùm victo Maxentio Romam intraſſet, medicos ad ſe convocat, qui morbum depellerent. Mox per ſomnum vidit duos Magnos illos Apoſtolos PETRUM & PAULUM, à quibus monebatur, ut urbis Epiſcopum Sylveſtrum requireret, ab hoc ei lavacrum demonſtratum iri, quod & animæ & corporis mala poſſet eluere. Redit ergo Sylveſter Romam, qua ob ingraveſcentes perſecutiones exulaverat: & Conſtantinum Chriſtianæ religionis doctrinâ imbuit, atque BAPTIZAT. Qui cum de Sacro aſcenderet lavacro, illicò corpore ejus quædam, ſquamas piſcium ſimilitudine attingentia, deciderunt, fuitque purgatus, & totus ita mundus, ut ſolet mundus eſſe infans recens NATUS*; An fides his adhibenda ſit, dubito, inquit ARCHÆOPHILUS. Me judice major, reſpondit DULODORUS, quàm opinioni de Baptiſmate ad finem vitæ dilato; Hanc enim ſuſpectam facit, dilationis cauſa, ut ſcilicet in Jordane baptizari poſſet, quaſi verò tanto Imperatori, poſt Licinium ad ſocietatem compulſum, tandemque & imperio dejectum, receptumque adeò, quod Anno Imp. XIX. & XII. ante mortem factum eſt, Orientem, non facilè fuerit, ſi id intendiſſet, in Jordane baptizari? An autem, excepit ARCHÆOPHILUS, aſſertum Cedreni etiam Numiſmati quadrat? Quadrat vel maximè, reſpondit DULODORUS; Cùm enim Maxentium tunc viciſſet, Romamque occupaſſet, utique habitu militari, vel ſtans, vel ſedens, ritè fingitur. Ita & Numiſmata Lugduni percuſſa in Occidente verſanti conveniunt magis, quàm ægrotanti Nicomediæ. Si hâc viâ procedas, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, fortaſſis & duplicem medelam, *Animæ* ſcilicet & *corporis*, verbis: BAP. NAT. agnoſces expreſſam. Haud abſurdè, reſpondit DULODORUS: Quamquam & prior ſignificatio locum habere poſſit, præſertim ſi narrationem de Lepra veritati non adeò congruam arbitreris. In ſequenti

CONSTANTINUS
IN COELUM RECIPITUR,



Adumbrante Numiſmate perquam exiguô, ſed eleganti, ideòque hîc produ-

 cendo,

cendo, quòd à vulgatis in quibusdam diſcedit. Quâ in re? excepit ARCHÆOPHILUS; Caput enim velatum eſt, in divinitatis teſtimonium, quam & Inſcriptio DV. CONSTANTINUS. PT. AUGG. teſtatur, *Divus Conſtantinus Pater Auguſtorum* legenda: Et ne dubites, quâ viâ in cœlum aſcenderit, additæ ſunt in averſa Quadrigæ iisque inſiſtit anima, quæ manu cœlitùs protensâ recipitur, haud aliter ac alter Elias, qui curru ignivomô in cœlum raptus memoratur: ut proinde paganiſmum hæc redolere, non arbitrer. Optimè hoc, reſpondit DULODORUS, merenturque in ſubſidium addi & Euſebii verba. Ita enim Lib. IV. cap. LXXIII. de vita Conſtantini: Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον, ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλὴν σχήματι θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχου τρόπον ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero in ipſis NUMMIS exſculptæ formæ, quæ una parte beatum hunc noſtrum OBVOLUTO CAPITE repræſentabant, altera parte QUADRIGIS inſtar aurigæ inſidentem, demiſsâ illi cœlitùs MANU DEXTRA exceptum.* Quid poſt hæc dici poteſt? excepit ARCHÆOPHILUS; Quod Triſtanus obſervat, reſpondit DULODORUS, primò ſcilicet Typum & Chriſtianis & Ethnicis convenire, non quòd Conſtantinus re ipsâ conſecratus fuerit, ſed utrorumque opinione Beatorum conſortio dignus fuerit habitus: Secundò, typum non ſub Conſtantini mortem demum inventum, ſed poſt Patris Conſtantii fata jam Panegyricis uſurpatum; Ita enim Anonymus ad Conſtantinum & Maximianum: *O felix in Imperio, & poſt imperium felicior; (audis enim hæc & vides, DIVE CONSTANTI,) quem CURRU, & pene conſpicuô, dum vicinos ortus repetit occaſu, SOL ipſe INVECTURUS COELO EXCEPIT.* Et Eumenius: *Verè enim profectò ille ſuperum templa petiit, RECEPTUSQVE eſt conſeſſu cœli, JOVE ipſo DEXTRAM PORRIGENTE:* quibus verbis Ethnicorum de his placitum exprimitur, non Chriſtianorum; nam hi proculdubio, ut dictum, ad Currum Heliæ reſpexerunt. *Tertio* dici poteſt, typum hunc eleganter etiam myſticè intelligi poſſe; Animam enim aurigæ, corpus currui etiam Pythagoras comparavit, currui autem annexi ſunt Equi, ut corpori paſſiones: hasque gubernat anima, ut auriga Equos, uterque non tàm ſuô, quàm cœleſti auxiliô fretus. Hæc eleganter, inquit ARCHÆOPHILUS; Ego autem vellem ſcire, quâ in re Numiſma hoc à vulgatis abeat? niſi enim hoc docueris, fruſtrà id videberis repetiiſſe. Equis, reſpondit DULODORUS, palmæ affingi ſolent, quæ in propoſito non obſervantur, indeque & opinionem eorum enervant, qui non Equos, ſed Cervos currui junctos, palmasque Cervorum cornua arbitrati ſunt. An in aliis Palmæ ſint, nec afferam, nec negabo. Si ſint, proculdubiò ad imitationem eorum id factum erit, qui in Ludis Victores, equis ſuis palmas addidere, ut antiquitatis monumenta hodiénum teſtantur: Si deſint, uti reverà in noſtro non apparent, utique cauſa ſufficiens fuerit, id denuò proponendi: quanquam & ſubſcriptio à vulgatis abeat. Apud Triſtanum literæ S. M. A. apud Patinum CON. S. in noſtro autem S. M. A. IΔ. apertè leguntur. Priores intelligo, inquit ARCHÆOPHILUS. Signatam Monetam Antiochiæ indicant, ut apud Patinum Conſtantinopoli. Quid autem reliquæ IΔ? Si Harduini placitum ſequaris, reſpondit DULODORUS, Numerales erunt, indicabuntque Officinam Monetariam Decimam quartam, id quod ideò vel maximè hîc obſervandum, quia ipſe Reverendiſſimus Author, tantùm Decem Antiochenſium Officinas hactenus ex nummis obſervavit, videatur ejus Antirrheticus pag. 17. Prodit

CON-

CONSTANTINOPOLIS
VICTORIIS AUGUSTORUM PACIFICA ET GLORIOSA.



Maximi moduli hoc Numiſma, adeóque & ipſum rariſſimum eſt. Conſtantinopolis, excepit ARCHÆOPHILUS, non Pacifica in eo, ſed Galeata viſitur, id quod proculdubiô ad bellum ſpectat; Non ad bellum, reſpondit DULODORUS, ſed ad ſecuritatem Martio robore ſibi præſtitam: Pacificam autem agnoſcis, non tantùm ex Palla, quâ tegitur, Imperiali: Non tantùm ex ſceptro, ſed & ex Stola, Spicis, & Cornucopiæ, quibus in averſa inſignitur. An mulier in averſa ſedens, excepit ARCHÆOPHILUS, Conſtantinopolis eſt? At Ego vel Cererem ob ſpicas, vel Pacem arbitrabar ob Cornucopiæ? Imò ipſa urbs, reſpondit DULODORUS, Pacis, Victoriis partæ, felicitatem oſtentans; Id enim ex Victoria ei lauream imponente indubium eſt: Et ne obſcurum ſit, unde felicitas & gloria? additur Inſcriptio, VICTORIA AUGG. NN. quibus proculdubio Conſtantini M. ejusque filiorum merita latent; nam ſub his Numiſma percuſſum, ex artificii genio peritis indubium eſt. De Conſtantino vidimus. Succedit

CONSTANTIUS
TRIUMPHATOR GENTIUM BARBARARUM,



In Numiſmate, & maximo & argenteo, quale & Eques Patinus in Theſauro vulgavit. Sub Conſtante hunc typum vidi, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ex hoc ipſo Cimeliarchio Electorali in Continuatione productum. Memini, reſpondit DULODORUS, ſed illud Numiſma, Magnum erat, non Maximum. Differentia magnitudinis, excepit ARCHÆOPHILUS, conjecturæ meæ non contrariatur, cùm idem typus in Nummis coætaneorum, & qui ſimul imperârunt, proculdubiô ad idem factum pertineat, cùmque propoſiti averſa Conſtanti propria, ejusque meritis conveniens ſit, uti ſub eo edoctus ſum, conſequens eſt, Conſtantino non niſi honoris gratiâ eſſe tributam. Elogium hoc perſonale eſt, reſpondit DULODORUS, & eum decorat, quem

& Numiſma refert; Adde quòd nec cauſa ſit, ut honorarium tantùm arbitremur, cùm de bellis Conſtantii, adeòque & de Triumphis dubitari non poſſit. Scilicet, excepit ARCHÆOPHILUS. An neſcis, Conſtantium in bellis civilibus feliciorem, quàm in externis Ammiano Marcellino memorari? quâ meriti ſpecie igitur poterit *Triumphator gentium Barbararum* vocari, cùm tamen ſub his proculdubiò Bella externa intelligantur? Probè ſanè notandum, Tyrannos intelligi non poſſe, non tantùm quòd Barbari non fuerint, ſed etiam quòd Victoria de iis Triumpho caruiſſet. Utut hæc ſint, inquit DULODORUS, in parvo diſcrimine pono. Illud conſtat, Conſtantium non Tyrannos tantùm, ſed & Gentes, ut tunc vocabantur, barbaras, Perſas ſcilicet & Alamannos minimùm repreſſiſſe: conſtat Sarmatas & Quados non repreſſiſſe tantùm, ſed & debellaſſe: Indeque, quid mirum, ſi *Triumfator Gentium Barbarum* in nummo audiat? Majore ſanè ambitione in alio ſe Victorem omnium Gentium tulit. Illud laudandum, quòd hunc de Gentibus Barbaris Triumphum non ſuæ potentiæ, ſed virtuti Servatoris noſtri videatur adſcripſiſſe, ideò enim Labarum præfert, Monogrammate Chriſti inſignitum. Literæ ſubjectæ Aquisgrani Numiſma ſignatum arguunt. Tyrannorum memoriam

DECENTII
VIRTUS MILITARIS



Sufflaminat, quam in Numiſmate æreo, & ipſo tamen maximi moduli, adeoque ſplendidiſſimo oſtendere, quàm interpretari conſultius arbitror; Numiſma enim rarum eſt, licet res expreſſæ nec raræ ſint, nec obſcuræ. Virtutem militarem, excepit ARCHÆOPHILUS, non tantùm Haſta arguit, quam Cæſar hîc dextrâ præfert, ut globum victoriatum ſiniſtrâ; ſed & Equeſtris averſæ magnanimitas, quâ hoſtem proſternit: Cùmque ſimilem typum ſuprà etiam in Magnentii Nummis, *Gloria Romanorum* inſcriptum, ad dejectum imperio Nepotianum retuleris, proculdubio ad eundem & hîc erit reſpiciendum. Cùm ibi Romanorum mentio fuerit, reſpondit DULODORUS, Nepotianus autem Romæ imperium uſurpaſſet, aſſertum ratione non caruit: Cùm autem hîc nulla Romanorum mentio concurrat, ſed ſola *Auguſtorum virtus* laudetur, neſcio annon ad alios hoſtes Numiſma referri debeat, ſive devictos Conſtantii Duces cogites, ſive Alamannos in Gallia debellandos, id quod tamen fortuna deſtituit. Inſcriptio adverſæ, inquit ARCHÆOPHILUS, notari meretur. Literæ MAG. literis DECENTio NOBili CÆSari proponuntur, an quod *Magnus* is diceretur? Non arbitror, reſpondit DULODORUS. Potius ideò, quòd Magnentii frater: aut etiam, quòd à fratre adoptatus ejuſdem nomen uſurpaverit. Ea ſanè ratione & Trajanus Nervæ, & Hadrianus Trajani, & Hadriani Antoninus, ſuis præpoſuére nomina. Cæterùm in virtute Decentii militari licebit & elogium *fortis* aut *fortiſſimi* recolere, quod pluribus in nummis ei datum legimus. Sequitur

JULIA-

JULIANUS
CUM
VIRTUTE EXERCITUS GALLICANI.



Virtutem Exercitûs *Romani*, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc ſchemate ſub Juliano Te memini protuliſſe, ubi ſimul & de Gigantæo homuncionis greſſu docuiſti, quem utique & ipſum hoc in Numiſmate video: Et captivum, quem tropæum ferens & in orientem properans Imperator à tergo premit, non Vadomarium, ſed Chnodomarium eſſe, evidenter demonſtraſti; Hoc inquam ad Numiſma *Virtus Exercitus Romani* inſcriptum. Sed nova omninò eſt, quam hîc producis, quanquam eidem cum tropæo gradienti, captivumque à tergo prementi circumdata, VIRTUS ſcilicet EXERC. GALL. Nova, reſpondit DULODORUS, eſt ſub Juliano; Neque enim vel Illuſtriſſimus Mediobarbus Biragus, vel Nobiliſſimus Carolus Du Freſne in Familiis Byzantinis eam habent, qui tamen ex profeſſo Juliani Numiſmata collegere. Sed nova non eſt ſub Conſtantino Magno: Non ſub Conſtante, nam horum in nummis eam occurrere, quanquam aliis figuris additam, ex allegatis Authoribus palam eſt. Miror, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen omnes Imperatorum exercitus, ubicunque terrarum fuerint, meritò tamen, & glorioſius, *Romani* fuiſſent appellati. De eo, reſpondit DULODORUS, nunc ſolicitus non ſum. Sufficit noſſe, ad diſtinctionem, Exercitus etiam ab iis regionibus appellatos eſſe, in quibus Imperii limites defendebant. Ita Spartianus: *Exercitus ILLYRICIANI & GALLICANI in verba Severi juraverunt.* Ita & *Cohortium Gallicanarum* meminit Ammianus Marcellinus, ſub Valentiniano & Valente, quæ loca ad propoſitum vel ſola ſufficiunt. *Cohortes Gallicanæ*, excepit ARCHÆOPHILUS, ab Ammiano perſtringuntur, ut *non ſemper dicatæ legitimorum Principum fidei, velut imperiorum arbitræ, auſuræque novum quoddam in tempore.* Ammianus his verbis, reſpondit DULODORUS, proculdubio ad factum ſub Severo & Juliano reſpexit, quorum quid mirum, ſi alter *Exercitus Gallicani*, utpote à ſe ſtantis, *Fidem* apud Illuſt. Mediobarbum: alter *Virtutem* celebraverit, cùm tamen Conſtantinus M. celebraverit ejuſdem gloriam? Cæterùm notandum, Numiſma hoc Conſtantinopoli percuſſum eſſe, proculdubiò, cum ex Galliis progreſſus eam intraſſet: Notandum, aquilam roſtro lauream imperatori porrigere, ut ſcilicet à Jove Victoriarum gloriam ſibi dari teſtaretur. Unicum adhuc doceri velim, inquit ARCHÆOPHILUS, quî imperator in nummo agnoſci debeat, cùm tamen inſcriptio de *Exercitu* loquatur? Ratio, quòd Imperator exercitum referat, quam nuper Te dediſſe memini, neſcio an omninò ſatisfacere poſſit. Si non acquieſcas, reſpondit DULODORUS, poteris & illud huc transferre, quod Florus lib. 2. c 18. de Scipione, exercitum emollitum ad diſciplinam revocante, non minus verè quàm ſapienter pronun-

pronunciavit: *Tanti*, inquit, *Exercitus est*, *quanti Imperator*, adeò ut re ipsâ Imperator *Exercitûs Virtus* dici mereatur, cùm ejus imperiô & disciplinâ exercitus incalescat, & ad hostes fortiter & gloriosè vincendos animetur, nec proinde malè omninò Reges & Principes Victorias, exercituum sanguine partas, suæ gloriæ apponant. Sequitur

JULIANUS
SERAPIS ET HERMANUBIS.



Sarapidem video, inquit ARCHÆOPHILUS: video & Hermanubidem; An autem Julianus sub iis lateat, fateor me nondum intelligere. Effigies, respondit DULODORUS, rem apertè demonstrat: Demonstrat & vestis, Imperatori utrinque convenientissima. De Serapide, excepit ARCHÆOPHILUS, hæc valere possunt; Idem enim Juliani caput etiam apud Tristanum Calathum præfert: Idem *Deo Serapidi*, & *Vota Publica* inscribitur; Quid autem de Hermanubide? An & sub hoc Julianus latet? Omninò, respondit DULODORUS; Id enim jam ante me Tristanus observavit, adductô in rei fidem loco Libanii; Et hoc moris fuisse, docet Cyprianus, ad Consulem quendam, citante Oiselio:

Quis te non rideat autem,
Quum fueris consul, nunc Isidis esse ministrum?
Teque domo propriâ pictum cum fascibus ante,
Nunc quoque cum Sistro FACIEM portare CANINAM?

Hæc cum ita se habeant, facilè ego crediderim, Ægyptios non tàm à Serapide & Hermanubide, quàm à Juliano ipso, & rerum abundantiam, quæ sub Calatho latet: & Religionis Ethnicæ libertatem, quæ Sistro adumbratur: tandemque & Pacem exspectasse, cujus Caduceus symbolum est. Rectè hoc, respondit DULODORUS, quæ enim *Vota* Ethnicorum *publica* poterunt fuisse, Constantino cum filiis idololatriam ubique offuscante, viribusque bellicis profligante, si non Princeps Diis Ethnicorum similis? qui ut Deus Serapis Mundum Ethnicum rursus irradiaret, omnique rerum abundantiâ bearet? quique Hermanubidis instar, non *R*eligiones tantùm, sed *R*eligionis & *R*eipublicæ pacem restitueret? Eum cùm in Juliano se invenisse viderent, quid mirum, si utriusque insignibus decoratum *Vota Publica* inscripserint? Numisma autem in Ægypto percussum esse, non dixerim; tersius ejus artificium est, quàm ut Ægyptiorum credi possit, & quidni poterit aliâ quacunque *R*omani Imperii in officinâ, cùm *R*omæ Serapin cultum in vulgus pateat? ipseque Julianus, non tantum in Ægypto, sed ut Libanius testatur, etiam in urbibus aliis Deorum instar pictus fuerit? De Hermanubide, excepit ARCHÆOPHILUS, adhuc dubium est: Non quidem de ejus cultu, cùm enim Mercurius sub eo lateat, Mercurium autem Julianus impensè coluerit, ut Ammianus testa-

teſtatur; ne ſic quidem ratio deerit; ſed de Anubidis facie, an Canina ea ſit? an Aſinina? Aſininam, inquit DULODORUS, agnoſcit Oiſelius, ſculptoris vitio pro Canina arbitratus ſubſtitutam; Sed Ego ex eorum numero ſum, qui Caninam ſibi cernere videntur; probè enim obſervandum, caput hoc ore hiante expreſſum eſſe, indeque Aſinini ſimilitudinem aliquam referre; Non fruſtrà autem ore hiante pingi videtur; ſed ex Genio Virgilii, cui Lib. VIII. Æn.

Latrator Anubis,

canitur, & Prudentii in Apotheoſi, qui *Caniformem, latrantemque Anubim* memorat. Ratio, ut canis in ſagacitate ponitur, ita aperti oris in præcipuo Mercurii munere; Interpres enim Deorum eſt, ſermoniſque Deus, ut aliunde innotuit. Procedunt

JULIANUS ET HELENA,
HABITU
ILLE APOLLINIS, HAEC GENII ANTIOCHENSIS.



In Numiſmate præcedente, inquit ARCHÆOPHILUS, Julianum ſimilitudo vultus demonſtravit: Quid autem in propoſito? Authoritas Libanii, reſpondit DULODORUS, qui habitu Deorum Julianum Civitatibus cultum prodidit; Quidni enim credamus Numiſmate hóc teſte, & Antiochenſes Eum, ut *Apollinem ſanctum*, uxoremque ejus, ut *urbis ſui Genium* honoraſſe? Antiochenſes? excepit ARCHÆOPHILUS; at hi Julianum riſiſſe Ammiano memorantur, patetque ex invectiva *Miſopogon* inſcripta, quâ Antiochenſium mollitiem perſtringit. Antiochenſes, reſpondit DULODORUS, hoc Numiſma ſignaſſe, ex Inſcriptione averſæ, & ſubſcriptione adverſæ patet. Inſcriptio GENIO ANTIOCHENS legitur, non ANTIOCHENI ut vulgò: Subſcriptio S. M. A. ſignatam Monetam Antiochiæ arguit: Ut taceam, Apollinem Antiochenſium numen, taceam Genium, qui eôdem modô, quô hîc adumbratur, cum fluvio ad pedes emergente, Oronte ſcilicet, ad quem Antiochia Syriæ jacebat, etiam in aliis apud Vaillantium proſtat. Hoc facilè ceſſero, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem hoc ad Julianum? Ad Julianum, reſpondit DULODORUS, Numiſma reducit artificium, quod cum temporibus Juliani apertè convenit. Adde quòd res expreſſæ nec proximè antecedentibus, nec ſequentibus tribui poſſint, ſed omninò Juliano debeant, qui & Paganiſmum reduxit, & Deorum habitu, ut diximus, ſimulacra recepit. Quod de Ludibrio & Antiochenſium riſu moves, id ad exitum imperii pertinere, vel inde patet, quod barba hircina præcipuum ejus objectum fuit: Et quid ſi à Chriſtianis id factum, hoc autem Numiſma ab Ethnicis percuſſum ſit? Neque enim ſub Ethnico Imperatore Ethnicos, licet eâdem in Civitate, excluſeris, & quidem ſub imperii initia, quibus Julianus adhuc imberbis fuit, & Apollinis Dei Antiochenſi-

chenſium tutelaris habitu coli potuit. Vix ſanè credibile eſt, Antiochenſes *Soli Apollini & Genio urbis* ſuæ hoc Numiſma dedicaſſe: Imò potius, ad exemplum reliquarum urbium, & Julianum & Helenam his ſchematibus videbuntur venerati. Schemata, excepit ARCHÆOPHILUS, nimis obſcura ſunt. Inde & tutiora, reſpondit DULODORUS. Notandum autem, Apollinem hic *Sanctum* cognominari: Notandum non *Apollini*, ſed *Apolloni* legi, imò & Numiſma in Officina Antiochenſium *tertia* percuſſum eſſe; id enim ſignificare expreſſam juxta Apollinem literam Γ. cum reverend. Harduino facilè crediderim. Sed hactenus NUMISMATA, quorum contemplatio ſi tibi placuerit, habebo quod mihi gratuler! Quidni placuerit? excepit ARCHÆOPHILUS, imò vel maximè, cùm omnigenâ non raritate tantùm, ſed & eruditione coruſcent.

GEMMÆ

Igitur ſequuntur, perrexit DULODORUS, ſed ut tempori & ſpacio ſerviam, quædam tantùm, eæque ob elegantiam non omittendæ, quas cum pluribus aliis, ELECTOR NOSTER, dubium an fortunâ, an liberalitate majore? hactenus comparavit. Primas inter has tenet

VAS MURRHINUM, FIGURIS ÆGYPTIACIS INCISUM.

Vas Murrhinum? inquit ARCHÆOPHILUS; At venæ & colores Onychem videntur arguere. Eòdem res cadit, reſpondit DULODORUS. Murrhina enim vaſa ex Onyche fuiſſe, ex Anſelmo Boetio de Boot, Georgi Agricola, & Antonio Guiberto in Diſſ. de Murrhinis, Plinio item & Appiano probat Erudiſſimus Reip. Bremenſis Secretarius Dominus EGGELINGIUS, i *Myſteriis Cereris & Bacchi*, ex ſimili vaſe Sereniſſimorum Ducum Brunſuicenſium eruditè demonſtratis. Id elevatô opere elaboratum memini, excep ARCHÆOPHILUS, tantâ artificii ſublimitate, ut & colores in exprimend veſtitu obſervatos deprehendas; ſed propoſitum, inciſum eſt, & quidem Æ gyptiâ ruditate; Hoc nec pretio aliquid detrahit, reſpondit DULODO RUS, nec raritati. Raritas ex magnitudine elucet, Brunſuicenſi enim maj eſt: Elucet ex figuris, Ægyptiacæ enim in tali vaſculo hactenus non app ruére. De pretio Murrhinorum videri poſſunt Paulus Ic. l. 3. §. 4. ff. de S pellectile legata, & Plinius l. 37. c. 2. quæ loca nec Eggelingius præteriit, q præterea & ex Suetonio notat, *Auguſtum Alexandriâ captâ nil ſibi præter unu Murrhinum calicem ex Inſtrumento Regio retinuiſſe*, id quod hîc ad Vaſculu Ægyptiacis figuris inciſum, non abs ratione citavero. At, inquit ARCHÆ OPHILUS, unde nomen Murrhinorum deſcendit? & an Natura, an ar hanc gemmam generat? *Murrhinum*, reſpondit DULODORUS, *à Murrh* id eſt, *Myrrha* arbitrantur dictum, quaſi humor, ex quo ſub terra concre Murrhinum fit, id nominis habuerit; Ita enim Plinius: *Oriens Murrhina m tit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec inſignibus, maximè Parth Regni: Præcipuè tamen in Carmania. Humorem putant ſub terra calore denſa* Niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, Propertius Eleg. 5. fictilibus Mu hina accenſet, ita canens:

Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.


Propertius, reſpondit DULODORUS, mihi à Plinio diſſentire non videt

Qu









Quidni enim ignem in Parthia ſubterraneum, *focos Parthos* licuerit appellare Poetæ? Quidni Pocula Murrhea, pro Gemma ponere, ex qua Pocula confecta? Fictilibus ea nullâ opinior ratione accenſueris, licet Scaliger Exerc. 92. conficiendorum rationem tradat; apertum enim eſt, ea Virum Magnum cum Murrhinis confundere, quæ alii de Porcellana memorant. Hæc, & ſimilia, inquit ARCHÆOPHILUS, noſtræ meſſis non ſunt. Antiquitatis Myſta figuras Gemmis inciſas præcipuè perſequitur. Has ſi noſcere lubet, reſpondit DULODORUS, non ex me neceſſe eſt diſcere; Explanabit accuratiſſimè ad Menſam Iſiacam Laurentius Pignorius; Pleraque enim, quæ hîc viſuntur, etiam ibi occurrunt.

Principem locum obtinet OSIRIS, primo in ſegmento in genu ſubmiſſus: In ſecundo autem ſtans cum cruce anſata, & à brachio dependente. Crucem, excepit ARCHÆOPHILUS, cum Serapidis templum ſpoliaretur, in ſacris Ægyptiorum literis inventam, ex Socrate memini. Locum ex lib. 9. Hiſt. Tripartitæ citat Pignorius, reſpondit DULODORUS, cùmque vel Numiſmatibus & Gemmis, ut Tomo primo vidimus, atteſtantibus, Oſiris & Serapis idem numen Ægyptiis fuerint, incongruum utique non eſt, eandem & in brachio Oſiridis cernere: Utrobique ſcilicet, reſpectu habitô ad Chriſtum, idque cum Chriſtianis priſcis, de quibus Socrates, cum inventam Crucem memoraſſet: *Chriſtiani*, inquit, *quibus Notarum periti adſtipulabantur, Crucem Chriſto adjudicabant. Ethnici verò commune quippiam Chriſto cum Serapide eſſe impiè contendebant. Tutatus eſt cauſam ſuam Deus. Plurimi eorum, quos Diabolus deceperat, Chriſto nomen dedêre &c.* Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, luculentum utique documentum ſimul effulget, aliquid Divinæ veritatis etiam in ipſis Ethniciſmi tenebris latitaſſe. Verè dicis *latitaſſe*, repoſuit DULODORUS; tot enim perverſæ rationis ludicris id obſcurârunt, ut rem deprehendere difficile ſit. Quis ferat, eundem Oſiridem, qui, ut dictum eſt, in Sectione ſecunda, crucem jactat, in primo caput Caninum Sceptro ſuo impoſitum reſpicere? Canem, reſpondit ARCHÆOPHILUS, aliâs Iſidi adjunctum memini; Quidni, & Oſiridi? reſpondit DULODORUS, cùm tamen Diodoro memorante Anubis, ob cujus armaturam Canis Ægyptiis ſacer fuit, etiam in Exercitu Oſiridis fuerit? Alii, excepit ARCHÆOPHILUS, ad Mercurium reſpiciunt, qui Iſidis Conſiliarius fuit, Canique ob ſagacitatem aſſimilatur. Res eòdem cadit, reſpondit DULODORUS, Anubis enim & Mercurius non niſi nomine differunt, quod vel ex Numiſmate Juliani intelligas, de quo modo locuti ſumus; In eo enim Anubis caninô capite caduceum præfert. Quicquid autem ſit, etiam Mercurius Oſiridi in honore memoratur fuiſſe. Audi eundem Diodorum de Oſiride loquentem: Τιμᾶσθαι δὲ ὑπ' αὐτȣ̃ μάλιςα πάντων τὸν Ερμῆν, διαφόρῳ φύσει κεχορηγημένον πρὸς ἐπίνοιαν τῶν δυναμένων ὠφελῆσαι τὸν κοινὸν βίον. *Apud Eum*, ſc. Oſirin, *in maximo ante omnes honore fuit Hermes* (id eſt Mercurius) *eximiâ ingenii perſpicacitate in excogitandis vitæ humanæ commodis inſtructus.* Et paulò poſt: Τȣ̀ς ἕλληνας διδάξαι τȣ̃τον τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, ὑπὲρ ὧν Ερμὴν αὐτὸν ὠνομᾶσθαι. καθόλȣ δὲ τȣ̀ς περὶ τὸν Ὄσιριν τȣ̃τον ἔχοντας ἱερογραμματέα, ἅπαντ' αὐτῷ προσανακοινȣ̃σθαι, καὶ μαλιςα χρῆσαι τῇ τȣ́τȣ συμβȣλίᾳ. *Græcis elocutionis magiſter fuit, unde HERMES*, id eſt enunciator & interpres, *vocatur. OSIRIDIS deinde NOTARIUS erat Sacrorum, cum quo is omnia communicabat, & cujus maximè conſilio utebatur.* Bene hæc obſervas, inquit ARCHÆOPHILUS: Et licet de Oſiride adhuc rege memorentur, conſtat tamen, pleraque inde ad ſacra tranſlata eſſe, adeò ut jam mihi intelli-

intelligere videar, cur caput hoc Caninum, Sceptro impoſitum Oſiris aſpiciat; Si enim ſub capite canino Mercurius lateat, id quod Numiſmata teſtantur, Mercurii autem conſiliis Oſiris etiam in regimine uſus fuerit, quid mirum, ſi ſymbolum ejus, ſceptro imperii hieroglyphico impoſitum præferat, & ſimul reſpiciat? Hæc ita, excepit DULODORUS, ſi ſceptrum ad regimen arbitreris ſpectare: Poterit autem & divinitatem adumbrare, quam Oſiridi ſuperſtes cum Iſide Mercurius tribuit. Audi eundem Diodorum: Μετὰ δὲ ταῦτα ἐξ ἀνθρώπων ἐις θεȣ̀ς μετασάντα, τυχεῖν ὑπὸ Ἴσιδος καὶ ἑρμȣ͂ θυσιῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιφανεσάτων τιμῶν. *Deinde ex hominibus ad Deos translatum Iſis & Mercurius ſacrificiis, aliisque inter Deos præclariſſimis honoribus dignati fuére.* Nec hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, ad Vaſculum hoc adeò abſurdè; Quid enim ſi genu ſubmiſsô ſceptrum, capite caninô inſignitum, ideò præferat, ut demonſtretur, Mercurii ope ſe ex ſorte humanâ ad divinitatem perveniſſe? Quid ſi ideò, ut Mercurio hoc ſchemate ſimul pro beneficio gratia haberetur? In altera ſanè figura, in *Sectione ſecunda* propoſita, Oſiris non in genu ſe ſubmittit, ſed erectus incedit, divinitatemque, quam & crux innuit, vel proceritate adumbrat.

His ego, reſpondit DULODORUS, fidem nec addam, nec demam. Ad ornatum capitis tranſire placet; Licet enim vaſculum hac in parte mutilum ſit, ornatus tamen adhuc luculenter apparet. Mutilum in ſegmento primo eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, attamen dedecus inde non contrahit; Si enim ad ea ornatum hunc metiaris, quæ in Tabula Iſiaca proſtant, Vaſculum hoc quartâ minimùm ſui parte neceſſe eſt altius fuerit. Id, reſpondit DULODORUS, non ex hoc tantùm, ſed & ex Oſiride ſtante *ſegmenti ſecundi* colligas, qui procul dubio & ipſe integer fuit; Ego, ut vaſculum hoc ſuperiore ſui parte truncatum, auroque artificii moderni rurſus ligatum & adornatum, libenter confiteor, ita *Theſauro Electorali Brandenburgico* additum, vehementer gaudeo; neque enim digniores manus contingere potuit, quàm FRIDERICI III. Principis inter Potentiſſimos Nobilioris Antiquitatis & amantiſſimi & intelligentiſſimi; Sed ad noſtra revertimur. Ornatum capitis in Oſiride contemplor. Laurentius Pignorius, excepit ARCHÆOPHILUS, Coronam ex foliis palmarum arbitratur, firmatque opinionem non eò tantùm, quòd palmæ Ægyptiis ſacræ fuerint; ſed & locô Apuleji lib. XI. Metam. *Manu dextra*, inquit, *gerebam flammis adultam facem, & caput decore corona cinxerat, PALMÆ candidis foliis, in modum radiorum proſiſtentibus.* Hæc, excepit DULODORUS, an propoſito ſervire poſſint, dubito; apertè enim Apulejus dicit, *Coronam palmæ foliis IN MODUM RADIORUM proſiſtentibus caput CINXISSE*; At ornamentum hoc caput non cingit, ſed cornubus capiti impoſitis alligatur, & ſuper eadem ſe extollit. Cornua, excepit ARCHÆOPHILUS, Iſidis inſignia ſunt. Sunt & Oſiridis, reſpondit DULODORUS, in Menſa Iſaica non ſemel, licet Pignorius ea non tetigerit. In plerisque ſanè Oſiridis ſimulacris ex capite prodeunt, ornamentumque reliquum iis impoſitum fulciunt. Rem video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, rationem non video. Ratio, reſpondit DULODORUS, eadem ferè eſt, quæ & in Iſide, modò Agriculturam admittas. Sed de Iſide latior erit, ad ſupellectilem Antiquariam, dicendi locus. Hîc de Oſiride probandum. Idem Diodorus aſſertum fulcit. En verba! Ἑυρȣ́σης μὲν Ἴσιδος τόνδε τȣ͂ πυρȣ͂ καὶ τῆς κριθῆς καρπὸν, τȣ͂ δε Ὀσίριδος ἐπινοησαμένȣ τὴν τȣ́των κατεργασίαν τῶν καρπῶν. *Iſide tritici & hordei frumentum, OSIRIDE autem frugum culturam*

ſoler-

ſolerter inveniente. An ideo cornua Oſiris? excepit ARCHÆOPHILUS. Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm tamen eâdem ratione & boves ei ſacrati fuerint? Ita enim poſt aliquot paginas perſequitur Author: Τὸς δὲ ταύρȣς τȣ̀ς ἱερȣ̀ς, τόνδε ὀνομαζόμενον Ἄπιν καὶ τὸν Μνεῦιν Οσιρίδι καθιερωθῆναι, καὶ τȣ́τȣς σέβεσθαι καθάπερ θεȣ̀ς κοινῇ καταδειχθῆναι πᾶσιν Αἰγυπτίοις. ταῦτα γὰρ τὰ ζῶα τοῖς εὑρȣ̃σι τὸν τȣ̃ σίτȣ καρπὸν συνεργῆσαι μάλιςα πρός τε τὸν σπόραν καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ἐκ τῆς γεωργίας ὠφελείας. *Cæterùm TAURI ſacri, tum qui Apis, tum qui Mnevis vocatur, ut OSIRIDI DICATI ſint, & pro Diis colantur, apud univerſos promiſcuè Ægyptios, ſanctum eſt; Hoc enim animantium genus, maximè omnium frumenti inventoribus, ad ſementem faciendam, & utilitates agriculturæ omnibus æque communes, operam commodârat.* Si probe hæc conſiderem, inquit ARCHÆOPHILUS, de cornuum ratione, ex inventione agriculturæ deſumtâ, dubitare non auſim; Quid autem eſt, quod cornibus his impoſitum & alligatum, in verticem aſſurgit? Quid ſit, reſpondit DULODORUS, haud facilè dixero: Quid autem adumbret, neſcio annon ex hactenus dictis clareſcat? Ad Numiſma Antiochi Evergetæ, ex Apulejo docui, *Coronam Iſidis VARIIS FLORIBUS ſublimen diſtrinxiſſe verticem.* Quidni & hîc tale quid in Oſiride ſtatuamus? Quidni ſementem arbitremur, ex terra boum labore proſciſſa aſſurgentem? adeòque agriculturæ & ipſam indicium? His, inquit ARCHÆOPHILUS, quod opponam non habeo, potius occurrit, quô opinio ſtabiliri poſſit. Oſiridem cauſam ortûs, & ſubſtantiam ſeminis creditum, ideòque *humidæ naturæ Dominum* vocatum, probat Cauſæus in Muſæo Romano. Si hoc verum, utique facilè credidero, progeneratas non boum tantùm labore, ſed & humoris in Terra, cujus boves ſymbolum ſunt, efficaciâ fruges, aliaſque herbas, & flores, hôc ornatu adumbrari: ideòque ſpecificam earundem formam expreſſam non eſſe, ut quibuſcunque accommodari poſſit.

Res in medio ſit, inquit DULODORUS. Ad Piscem transeo, qui à tergo Oſiridis viſitur. An flori impoſitus? excepit ARCHÆOPHILUS; Id enim videtur arguere deſcendens caulis. Mihi, reſpondit DULODORUS, nec flos, nec caulis cernitur; ſed Lacus, indeque decurrens fluvius, quod ſanè non miraberis, cùm humidæ naturæ Dominum Oſiridem fuiſſe, modò ipſe fallus ſis, de qua re aperta ſunt Plutarchi verba, in Libello de Iſide & Oſiride: Οἱ δὲ σοφώτεροι τῶν ἱερέων, ȣ̓ μόνον τὸν Νεῖλον Ὄσιριν καλȣ̃σιν, ȣ̓δὲ τυφῶνα τὴν θάλασσαν, ἀλλὰ Ὄσιριν μὲν ἁπλῶς ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν, αἰτίαν γενέσεως καὶ σπέρματος ȣ̓σίαν νομίζοντες. *Sacerdotum ſapientiores non Nilum duntaxat Oſiridis, mare Typhonis nomine accipiunt; ſed Oſiridem in Univerſum cenſent omne principium facultate humectandi præditum, utpote cauſam ortus & ſubſtantiam ſeminis.* Si Typhon mare ſignificet, excepit ARCHÆOPHILUS, Ego Nilum, ſub flumine decurrente intelligerem, adeòque piſcem ad odium referrem, de quo idem Plutarchus in præcedentibus: *Mare*, inquit, *abominantur ſacerdotes, & ſalem TYPHONIS SPUMAM vocant, interque alia interdictum eſt ipſis, ne ſalem in menſa ponant. Eâdem potiſſimùm de cauſa PISCEM averſantur,* & *odium pingendo PISCEM notant.* Quid ad hæc retorques? DULODORE? Id quod Plutarchus, reſpondit ILLE; Sacerdotum ſcilicet ſapientiores non *Mare*, ſed *vim ardentem* Typhonem vocaſſe; Ita enim perſequitur verbis ſuperiora immediatè ſequentibus: Τυφῶνα δὲ οἱ Σοφώτεροι καλȣ̃σιν πᾶν τῷ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες καὶ ξηραντικὸν ὅλως καὶ πολέμιον τῇ ὑγρότητι. *Typhonem vocant omne ſiccum, igneum, & quicquid vim exſiccandi habens adverſum eſt humori.* At, inquit

ARCHÆOPHILUS, annon in vasculo hoc sub flumine & mari, non potius Nilum in mare prolapsum, adeoque Sacerdotum reliquorum ad mentem, sub Nilo Osiridem, sub mari Typhonem intelligamus? Si maris typus, respondit DULODORUS, vasculi fundo affictus esset, in eumque fluvius descenderet, forsitan tecum sentirem: Cùm contra se res habeat, omninò vel lacum, vel Oceanum, defluentemque, non in eum, sed *ex eo* fluvium agnoscerem: Adeò, ut non tantùm fluvius, sed & Oceanus aut Lacus, nam ex his fluvii oriri solent, Osiridi debeatur. Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodo sacerdotes Ægyptii Salem Typhonis spumam potuérunt appellare? quâ ratione interdictum iis fuit, ne salem in mensa ponerent? ne pisce vescerentur? in tantum, ut odium picturi, Piscem notaverint? uti apud eundem Plutarchum legitur. Plutarcho, inquit DULODORUS, Plutarchum repono. Spumam Typhonis appellari credo, quod aquâ calore absumtâ Sal remaneat, cujus cum calore, id est *Typhone*, secundum prudentiores, affinitas vel inde apparet, quòd igni aspersum calorem augeat, quodque vim exsiccandi & ipsum habeat. Spuma igitur Sal, non est maris, sed caloris: Mare autem ideò calidissimum, quia salem admixtum habet, quæ omnia legas Symposiacῶn lib. I. Quæstione nona: apertô testimoniô, sacerdotes salem non ideò *Typhonis spumam* appellasse, quod mari mixtum, sed quòd caloris quasi soboles esset: Non ideò ejus usu abstinuisse, quòd mare, cui sal admixtus, iis Typhon crederetur; Sed quòd mare potui ineptum faciat: vel etiam quòd, ut idem Author in quæstionibus naturalibus testatur, inter omnes saporum species, in nullo fructu nascatur, adeòque Osiridi, quem suprà causam ortûs & substantiam seminis creditum diximus, non conveniat. Rationes satis verisimiles videntur, inquit ARCHÆOPHILUS. Si eâdem basi & de piscibus docueris, hoc passu cedam. De Piscibus, respondit DULODORUS, adhuc facilius potero. Odium iis adumbratum, facilè cessero; Sed id non ideò factum, quòd in mari vivant, quid enim de fluvialibus diceres? Sed ideò quòd reliqua Elementa oderint, cùm ut Plutarchus Sympos. Lib. VIII. Q. 8. docet: *Suis circumscripti sint terminis, quorum iis transgressio morte est sancita.* Ita nec piscibus abstinuerunt, quòd in mari viverent, sed ne injustè, aut intemperanter agerent, ut ibidem demonstratur, vel ob venerationem in Osirim, humidæ naturæ Dominum, ne proprios ejus quasi Cives injuriâ viderentur afficere. Id non aliunde clarius discas, quàm ex odio, quô Ægyptii sacerdotes eidem Plutarcho etiam nautas prosecuti sunt, non sanè ὅτι χρῶνται θαλάττῃ *quod mari uterentur*; Eâdem enim ratione etiam Isidem odissent, quæ navigationem & velificia invenit; sed quòd piscibus ii vescerentur, adeòque innoxium Osiridis pecus violarent. Pisces sanè non salsuginis, quæ Typhonem redolet, sed aquæ puræ, quæ Osiridem agnoscit, amantes esse, vel inde constat, quòd ut idem Plutarchus de solertia animalium testatur, *instante partu potabilium aquarum mitissimam & placidissimam quærant.* Et hæc cùm ita sint, jam utique constare poterit, cur in vasculo nostro, Piscis in lacu aut mari præfigaretur, ex eoque lacu vel mari fluvius defluat. Verum ubique Osiridi, secundum sapientiores, dominium vindicatur, quod in universum Elementi humidi excursum is credebatur extendere, sive in Fluviis, sive in Lacubus, sive in Mari!

Sequitur Flos, inquit ARCHÆOPHILUS, primi hujus segmenti Basi affictus. Non Basi tantùm, excepit DULODORUS, imò nec in hac tantùm sectione, sed & in reliquis toties repetitus, ut meritò ejus interpretatione simul defungamur. In basi *ter* visitur apertus, *ter* adhuc teneriore capitulo clausus.

clausus. Semiapertus sub urnula secundi segmenti *bis*,& *bis* sub fasciculo tertii: *ter* apertus, & *quater* adhuc clausus, in segmento quarto, & *sexies* semiapertus sub manubrio: utrinque artificiosi vel Candelabri, vel certè Fontis ad instar ligatus. Ad medium stipitem, inquit ARCHÆOPHILUS, eundem florem sub bacillo transverso, crebrisque ligaturis distincto extollentem, sex reliquas alligari facilè mihi persuadeo; Vincula enim clariora sunt, quàm ut negari possint: Imò cum idem bacillus transversus, qui super florem supremum visitur, etiam sub urnula, alibique occurrat, & illud crediderim, etiam flori impositum, rei alicujus sacræ basin fuisse, quam injuria temporis abstulerit, non minus ac Osiridis & caput & ornatum. De Flore autem quærere lubet, cujus eum generis arbitreris? Lotum Ægyptiam, respondit DULODORUS; Ei enim descriptio supra sub Antiocho Evergete ex Theophrasto Eresio tradita, ad unguem convenit: Videri tamen possunt & Herodotus, qui Lilium vocat, & Plinius, cujus verba, *foliisque densa congerie stipatis*, omninò de flore, & non de caule intelligi debent. Lotum, excepit ARCHÆOPHILUS, proculdubio Osiridi sacrum arbitraberis, eò quòd simulacro Osiridis Sol adumbretur, Lotus autem, ut audisse memini, Sole occidente se comprimat, ad ortum autem aperiatur. Osiris, respondit DULODORUS, artifici Cimelii nostri, non tàm Solem, quàm ut suprà dictum est, *Naturam humidam*, adeòque Typhoni, sive *naturæ aridæ* oppositam significat: indeque eam potius consecrationis causam attuleris, quòd Lotus in aquis & Paludibus nascatur, aut etiam, quòd magnis in æstibus coronæ ex loto refrigerent. Illud Herodotus l. 2. docet: *Quum fluvius* (Nilus) inquit, *plenus campos inundavit*, φύεται ἐν τῷ ὕδατι, *exoritur in ipsa aqua ingens vis Liliorum, quæ Loton Ægyptii vocant.* De Coronis ex Loto refrigerantibus testatur Athenæus, qui & Meliloton Naucratitis vocari tradit; Sed de his, & aliis Loti proprietatibus, si plura desideres, adi Joh. Bodæum à Stapel in Notis & Commentariis ad Theophrastum Eresium Lib. IV. c. x. ut Salmasium aliosque taceam.

De Loto, inquit ARCHÆOPHILUS, acquiesco. Eum autem florem, qui sub rana segmenti tertii visitur, Lotum esse mihi imaginari non possum. Non abs ratione dubitas, respondit DULODORUS; neque enim eadem utrinque figura est. Poculum videtur imitari, excepit ARCHÆOPHILUS. Eaque causa est, ut non tàm florem quàm folium Colocasiæ arbitrer, cùm Plinius apertè Lib. XXI. cap. 15. *Adeo Nili sui dotibus gaudent Ægyptii, ut implexis COLOCASIÆ foliis in varias species vasorum, potare gratissimum habeant.* Si huc respicias, respondit DULODORUS, potius pro Faba Ægyptia pronunciabis, idque ex Strabone, qui Lib. XVII. *Folia* (Fabæ scilicet) *adeò*, inquit, *magna sunt, ut poculorum & catinorum usus præbeant, habent enim concavitatem quandum ad id idoneam, unde Alexandrinæ officinæ iis plenæ sunt, & pro vasis utuntur.* Hæc Strabo; Sed ego satius arbitror rem destituere, quàm incertis conjecturis volvere. Illud tamen monendum, in Tabula Iliaca similem ferè florem, Isidis sceptro & capiti impositum esse, exponique & ipsum *florem Loti*, quod equidem nec asserere nec refellere animus est: Quanquam indubium videatur, etiam hunc florem ex Palustrium genere esse, indeque & Osiridi sacrum, & ranæ suppositum.

Ranas in Ægypto fuisse, subjecit ARCHÆOPHILUS, dubium non est; nota enim sunt, quæ de ranarum Ægyptiarum vafritie Ælianus prodidit. Sed hoc ad propositum non sufficit; omninò enim pandenda est ratio, cur Osiridi rana jungatur? Non alia est, respondit DULODORUS, quàm quæ

fui-

fuit & in Pisce, de quo jam vidimus. In aquis Ranæ nascuntur, in aquis vivunt; Quid igitur mirum, si Numini naturæ humidæ præsidi jungantur? Rana *Aquatica* vocatur Plinio l. 32. *Palustris* Horatio serm. I. & secundum Ovidium:

Semina limus habet virides generantia ranas:

adeò ut necesse non sit, ad hierographica abire, quæ Pignorius hôc locô ex Horapolline attulit. Ratio aperta est, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem ab altero hujus segmenti latere? Dimidiam equidem partem in segmento secundo video, quid autem sit, non satis discerno. Cùm in manubrio ligatum sit, respondit DULODORUS, fasciculum herbarum & florum palustrium arbitrer. Si opinio minus placet, lubens assurgam, si certiora docueris. Id à me non exspectabis, subjecit ARCHÆOPHILUS. Potius & ipse tecum sentio, agnoscoque rationem ex præcedentibus.

An autem eâdem facilitate etiam de serpente, Urnulæ sectionis secundæ imposito pronunciaturus sis, vehementer dubito. Quid enim hic ad naturam humidam? Serpentem, respondit DULODORUS, Aspidem esse, ex colli crassitie patet; Ita enim Lucanus lib. 9.

Aspida somniferam tumida cervice levavit.

Quid hoc ad rem? inquit ARCHÆOPHILUS. Docebit Ammianus Marcellinus, respondit DULODORUS. Is cùm plures serpentum in Ægypto species, Lib. XXII. memorasset, *Omnes*, subjicit, *magnitudine & decore Aspis facile supereminens nunquam sponte suâ fluenta egreditur Nili.* Adverte! *nunquam fluenta Nili egreditur suâ sponte!* In nostro segmento egreditur è vasculo: Supponitur igitur in vasculo aqua, quæ utique Osiridi sacra. Vasculum autem ipsum propriè Isidis simulacrum est; de quo latior erit dicendi campus ad supellectilem Antiquariam, ubi tale vasculum producam, & uberius interpretabor. Hæc ad propositum sufficiant. Succedit

HERCULES
CERBERUM VINCIENS
OPUS
DIOSCORIDIS.



Onych Excis

De Cerbero, inquit ARCHÆOPHILUS, licet plurimis Authoribus is memoretur, res tamen admodum controversa est. *Canem* fuisse, plerique statuunt, idque cum Cœlatore hujus Gemmæ; Pausanias tamen non Canem, sed *serpen-*

ſerpentem facit, idque adſtipulante Hecatæo Mileſio, & tantò veriſimilius, quantò majore conſenſu *Typhone & Echidnâ prognatum*, Heſiodus & Hyginus aliique teſtantur; Echidnam enim ſerpentem, & Typhonem ſerpentibus armatum fuiſſe, in vulgus patet. Quicquid ſit, inquit DULODORUS, Canem tamen & Homerus appellavit, quanquam nec de nomine, nec de forma aliquid tradat. Cæterùm & de Capitum numero diverſæ ſententiæ proſtant. Capita duo video, excepit ARCHÆOPHILUS, indeque Artificem cum Albrico Philoſopho ſentire autumo; Nam hic Cerberum, *Canem bicipitem* appellavit, nequicquam moratus alios, quorum plerique *Capita Tria*: quidam etiam, ut Heſiodus in Theog. *Capita quinquaginta*: quidam, ut Horatius l. 2. carm. od. 13. & Tzetzes, *Capita centum* Crebero aſſignârunt. Si ritè Gemmam examines, inquit DULODORUS, artificem à vulgato trium capitum numero abire non dixeris; Licet enim duo tantùm conſpicua ſint, duo tamen hæc ſub femore Herculis prominentia, ita ponuntur, ut tertium ab altero latere ſuppreſſum facilè agnoſcas. *Tria* ſanè Crebero *capita* & Apollodorus aſſignavit, non minus ac Caudam Draconis, quæ & ipſa hîc ad oculum patet. Caudam Draconis? inquit ARCHÆOPHILUS. Ita eſt, & quid ſi hinc Pauſaniæ ſententia fulciatur? Poterit & villis, reſpondit DULODORUS; Licet enim artifex noſter eos non expreſſerit, ſerpentes tamen fuiſſe, Horatius l. 3. od. 11. cecinit, Mercurium allocutus:

Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
CERBERUS, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus;

Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego opinionem de *centum capitibus* ex hoc ſerpentum numero arbitrer ſurrexiſſe; Fortaſſis, reſpondit DULODORUS. Fortaſſis & illa de *quinquaginta capitibus*. Nos eâ re in medio relictâ ad Herculem reſpicimus. Is in Gemma nudus viſitur, qualiter in pleriſque Antiquitatum reliquiis. Imò & Leonis pellem & clavam abjecit, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen *Thorace indutus*, & *Leonis pelle contectus*, capita compreſſiſſe, Apollodoro memoretur: imò cùm in Numiſmate Heracleæ Ponticæ, apud Triſtanum Tom. III. p. 545. clavâ Cerberum percutiat. Ex diverſitate temporis, inquit DULODORUS, hæc videntur explicanda; Primò enim Leonis pellem Hercules oppoſuiſſe, inde furentem clavâ domuiſſe, tandem vinxiſſe, apud Senecam in Hercule furente, Theſeo memoratur: En verba!

Hic ſævus umbras territat Stygius canis
Qui TRINA vaſto CAPITA concutiens ſono
Regnum tuetur: ſordidum tabo caput
Lambunt COLUBRÆ: Viperis horrent jubæ,
Longusque tortâ ſibilat CAUDA DRACO;
Tunc ipſe rictus & Cleonæum caput
Opponit, ac ſe tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum DEXTERA ROBUR GERENS,
Huc nunc & illuc verbere aſſiduo rotat,
INGEMINAT ICTUS. Domitus infregit minas,
Et cuncta laſſus capita ſubmiſit canis,
Antroque toto ceſſit. Extimit ſedens

Uterque ſolio Dominus, & duci jubet:
Tunc gravia monſtri colla permulcens manu
Adamante texto VINCIT; oblitus ſui
Cuſtos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; & patiens trahi,
Herumque faſſus, ore ſubmiſſo obſequens
Utrumque CAUDA pulſat ANGUIFERA latus.

Hæc apud Senecam, cujus ad placitum, utique abſonum non erit, ſi dicamus, Ceberô jam domitô, Herculem clavam & Leonis pellem abjeciſſe, indeque & artificem noſtrum ab Herculis tergo Leonis pellem, clavam autem ſub Canis pedibus expreſſiſſe. Apollodorus obſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, is enim à Plutone Herculi, canis abducendi poteſtatem eâ conditione narrat factam, *ut ſine armis*, quibus communitus advenerat, negotium perageret. Locus pro Gemma eſt, reſpondit DULODORUS, cùm utique nullis in ea armis munitus canem vinciat? At non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, pro Numiſmate Heracleæ Ponticæ, quod modô allegavi. Quid tum? reſpondit DULODORUS; an non ſufficit pro hoc Senecam ſtare? Sed Herculem Cerberum vincientem, qualem fere hîc exhibemus, videas & apud Leonhardum Auguſtinum in Gemmis, & eundem in vinclis ducentem in Numiſmate Poſtumorum apud Patinum, ut marmor Narbonenſe taceam, quod Choulius exhibet: taceam & ea, quæ in MSc. Pighiano viſuntur. De loco mihi res adhuc dubia videtur, inquit ARCHÆOPHILUS, Seneca enim eum *Avari Ditis in domo* ponit: Tibullus Lib. v. El. 3. *ante fores:* Virgilius l. 6. *in antro:* Albricus *ſub pedibus Plutonis*. Ita nec de loco deſcenſûs Herculei convenit; licet enim plerique *in Tænaro* eum ponant, allatum tamen ſuprâ Heracleæ Ponticæ Numiſma non obſcurè *pro Ponto* eſt. Pro Ponto, reſpondit DULODORUS, etiam Plinius videri poteſt, Lib. 27. c. 2. Imò & fuiſſe, qui rem in Italiam transtulerint ex MScti Pighiani marmore patet, quod ſub Sirenum ſcopulo Cerberum ab Hercule extractum fingit. Ita non in antro tantùm, & ante fores eum excubaſſe; ſed & ſub Plutonis pedibus ſediſſe, ex alio marmore ejusdem MSc. conficitur: adeò ut Virgilio ratio conſtet, quando de Hercule:

Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit;
Ipſius à SOLIO REGIS, traxitque trementem,

neque opus ſit, cum Servio ad naturam canum reſpicere, quaſi territus ad dominum Cerberus fugerit, id quod tamen & Seneca innuere videtur: Tanta ſcilicet in fabulis licentia eſt, ut quilibet fingat, quod genio ſuo veriſimillimum videtur. Vinctum ab Hercule Cerberum, inquit ARCHÆOPHILUS, fabulam eſſe, ego facilè dedero, cùm autem fabulæ aliqua tamen baſi ſoleant inniti, meritò quæſierim, quid veritatis ſubſit? Primò notandum, inquit DULODORUS, Cerberum, qualis antiquitati pingitur, merum figmentum eſſe, & hactenus optimè cecinit Lucretius Libro III.

Cerberus & Furiæ, jam verò & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt usquam, nec poſſunt eſſe profectò.

At, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi Hecatæi Mileſii ratio de ſerpente valeat, aliquid Hiſtorici ſuberit. Idem ſtatueris, perrexit DULODORUS, ſi ad mentem Palæphati, Cerberum *Canem Geryonis* arbitreris, *tricipitem* à civitate *Tricarina* dictum: Idem, ſi cum Plutarcho in Theſeo *Canem Aidonei Regis Moloſſorum*

lossorum. Sed notandum secundò, alios rationem figmenti physicam adferre; Platonicis enim Cerberus *symbolum mali dæmonis* fuit, quem Persæ *Arimanium* appellarunt, potestatem in tria Elementa exerentis, ut scribit Vossius Theol. Gent. Lib. II. Natalis Comes sub Cerbero *rerum naturalium generationem* intelligit, probatque rem ex Cerberi Parentibus, Typhone, qui *ardentem* significat, & Echidna, animalium *frigidissimo:* quòd sc. ex commistione Caloris & frigoris Generatio fiat, quæ Cerberi instar, nascentibus blandiatur, morituros autem, & retrò nitentes deterreat. Alii *Terram* sub Cerbero intelligunt, probantque opinionem ex nomine, ex Κρέας *Caro* & Βορῶ *voro*, composito, quòd scilicet terra, aut sepulcrum, sepulta cadavera absumat. Quid ex his amplectar? inquit ARCHÆOPHILUS. Quicquid placet, respondit DULODORUS; ubique enim Cerberi ab Hercule vincti ratio subesse potest. Herculem si Deum arbitreris, ejus potentiâ malum Dæmonem coërceri planum est: si arbitreris Solem, ejus viribus venenatos Terræ spiritus ligari, Generationemque in lucem protrahi, indubium: Et huc facere videtur, quod Delrius ad illud in Senecæ Oedipo, commentatus est.

Quin Tænarii vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis.

Hoc, scilicet, tempore pestis creditum contingere. Quicquid sit, aliis tamen Ethica interpretatio potior videtur, sive sub Hercule *virtutem* intelligas, sive *Philosophum* fuisse contendas; Virtus enim mortis vires infringit, avaritiam domat, divitias in lucem protrahit, intemperantiam omnemque vitiorum congeriem coërcet, quæ omnia ad Palæphatum notavit Paulus Pater Hungarus, qui fabulam Cerberi lepidè & ad avaros & malæ fidei hospites accommodat. Luculenter hæc exposita sunt, inquit ARCHÆOPHILUS, nec quicquam restat, nisi Artifex. Opus Dioscoridis hoc esse, ab initio memini Te dixisse, & Διοσκουρίδȣ sanè nomen subscriptum lego, quis autem fuerit ille Dioscorides? haud æquè innotuit; neque enim illum arbitrer, qui in Re Medicâ celebratur, cujusque de herbis adhuc libri exstant, *Herbariorum*, ut Scaligero appellatur, *Dictator.* Dioscoridis, inquit DULODORUS, Gemmarum cœlatoris meminit Plinius, Lib. XXXVII. c. 1. *Post Eum, Pyrgotelem*, inquit, *Apollonides & Cronius in gloria fuére, quique Divi Augusti imaginem similem expressit, qua postea Principes signabant, DIOSCORIDES.* Idem ferè & Suetonius c. 50. *In diplomatibus*, inquit de Augusto, *libellisque & Epistolis signandis initiò sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri: novissimè suâ, DIOSCORIDIS manu sculpta, quâ signare insecuti quoque Principes perseverârunt.* Quibus ex locis indubium est, sub Augusto hunc Dioscoridem vixisse, arteque cælatoriâ ante alios excelluisse, id quod etiam Gemma nostra nobis apertissimè confirmat. Sequitur

MARSIÆ SUPPLICIUM.



Hanc Gemmam, inquit ARCHÆOPHILUS, jam vidi in Choulio *de Religione veterum Romanorum*. Differt hæc à Chouliana, reſpondit DULODORUS, non tantùm, quòd hæc exciſa, illa autem inciſa fuerit; ſed etiam, quòd non Inſcriptio tantùm, ſed & Tibiæ in noſtra deſint. Quicquid ſit, excepit ARCHÆOPHILUS, admirandi tamen artificii hoc ſpecimen eſt, tam nativis ductibus elevatum, ut in ipſo opere vetuſtatis ſolertia radiet. Artificii ſublimitas, reſpondit DULODORUS, fateor Priſcis temporibus nihil concedit; ſed eô non obſtante, de antiquitate tamen dubitari poſſet, cùm barbam Marſyas biſulcam adhuc præferat, licet eadem & in cute detracta ſub eo pendeat, quæ res an priſci artificis cœlo tribuenda ſit, ego vehementer ſanè dubitarem. At eadem, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in Gemma Chouliana occurrit. Quid inde? repoſuit DULODORUS, an Gemmam utramque eſſe indubiæ antiquitatis? Imò contrarium. Multò ſanè aliter Annulus Gorlæi, quem vel ideò, neſcio an adeò malè, prototypon arbitrer, ad quod reliqua fuerint cœlata. Barbam is in detracta quidem cute ponit, vultum autem imberbem relinquit, qualis utique detractâ cute fuerit, neceſſe eſt. Multum hæc differentia Gemmæ pretio detrahit, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed eô non obſtante, juvabit tamen Marſiæ fabulam ad eam recolere, ut innoteſcat, an adhuc alibi cœlator erraverit? Et quid ſi in Marſyæ pedibus? Marſyam Satyrum fuiſſe, Ovidius cecinit, *Metam Lib. VI. fab. V.* Satyros autem *capripedes* Horatius appellat, Lib. II. ad 19. Non Horatius tantùm, excepit DULODORUS, imò & Lucretius Lib. 4. & Græci paſſim, quibus Satyri Αἰγίποδες, τραγόποδες & τραγοσκελεῖς vocantur; Sed hoc artificem Gemmæ non ferit; Præter enim, quòd hoc in Satyris perpetuum fuiſſe, vel inde dubitari poſſit, quòd Pauſanias Satyrorum maximos Silenos dictos aſſerat, qui capripedes non fuére, accedit & illud, quòd Marſyas non ob figuram corporis, ſed propter Carminum obſcœnitatem Satyrus dictus videri poſſit. Pauſaniæ certe, imò & antiquiſſimo Hiſtoricorum Herodoto non *Satyrus*, ſed *Silenus* vocatur: Et eodem Pauſania teſte, Phryges, qui Celænas incolunt, *Tibicinem* dixére. Palæphato Ἀγροῖκος καὶ ποιμὴν *Ruſticus* & *Paſtor* audit: Suidæ σοφὸς, *vir ſapiens*, qui per artem Muſicam tibias ex calamis, & æneas invenerit. Hyginus & ipſe *Paſtorem* dicit, ſed addit *unum ex turis* fuiſſe, ubi Barthius & Micyllus ex *Saturis* legunt, niſi potius *ex Tityris* legendum contendas. Ex quibus omnibus utique

utique planum eſt, quod pedes Marſyæ attinet, Artificem culpandum non eſſe. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an ad arboris truncum Marſyam religatum credam? De truncatâ arbore, reſpondit DULODORUS, equidem nihil habeo, quod dicam, niſi compendii gratia id in Gemma factum arbitreris, ne arbor frondoſa ſpatium abſumeret. Cæterùm ad arborem Marſyam religatum, non tantùm Hyginus, ſed & Philoſtratus, & Plinius aſſerunt, eô diverſi, quòd hic Platano, ille Pinui alligatum memorent. De Pinu ſuffragantur etiam Apollodorus & Nicander, & hic quidem his verſibus:

Πολλάκι καὶ πίτυος γοερῆς ἀποδάκρυα τμῆξαι
Μαρσύου, ἧχί τε Φοῖβος ἀπὸ φλόα δύσσατο γυίων.

Sæpius & lacrymas de PINU triſtis ademit
Marſyæ, ubi Phœbus nudavit cortice membra.

Sed heus, ARCHÆOPHILE, quid tu de arbore tantoperè ſollicitus es, cùm tamen potiora in Marſyæ Apollinisque proſopographia ſe ſiſtant? Hæc mihi nota ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, & vel Apulejo in Floridis decantata: *Marſyas*, inquit, *Phryx & Barbarus, vultu ferino trux, hiſpidus, illuti barbus, ſpinis & pilis obſitus; fertur, proh nefas, cum Apolline certaviſſe, Therſites cum decoro, Agreſtis cum erudito, bellua cum Deo.* Et paulò poſt: *Marſyas laudans ſeſe, quòd erat comâ relicinus, & barbâ ſquallidus, & pectore hirſutus, & arte tibicen, & fortunâ egenus. Contra Apollinem culpabat, quòd Apollo eſſet & comâ intonſus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiſcius, & fortuna opulentus.* Optimè hæc obſervaſti, inquit DULODORUS, addo ego, quòd Apollinem attinet, & Philoſtratum, qui victoriâ obtentâ, Lyram in Apollinis ſiniſtrâ, Plectrum autem in dextra ponit, remiſſamque Dei formam, ipſumque Deum ſuave ridentem, dextraque plectrum leniter continentem deſcribit, quæ omnia in Gemma noſtra probè obſervavit artifex. At, inquit ARCHÆOPHILUS, quid figura Apollini ſupplex? An hæc Nyſæorum aliquis fuerit? Hos enim certaminis judices fuiſſe, Diodorus author eſt. Hyginus, reſpondit DULODORUS, Muſas judices fecit. Cùm autem credibile non ſit, judices Apollini ſupplices factos, figuraque hæc ſupplex nec Marſyam nec Apollinem magnitudine æquet, haud fragili Ego ratione opinor, Olympum arbitrarer, Marſyæ diſcipulum, corpus Magiſtri ad ſepulturam expoſcentem. Ut hoc arbitrer, facit idem Hyginus, *qui Scytham, qui juſſu Apollinis Marſyam membratim ſeparaverit, reliquum corpus Diſcipulo Olympo ſepulturæ tradidiſſe* author eſt. Quod de Scytha memoras, inquit ARCHÆOPHILUS, id ex malè intellecto vocabulo ἀποσκυθίσαι aſſertum, non improbabiliter conjicere videtur Salmaſius, ad Solin. p. 916. Reliqui enim Authores, ad unum omnes, ab ipſo Apolline excoriatum ſcripſére. Non omnes, reſpondit DULODORUS, cum Hygino facit Philoſtratus junior, & addit rationem Schefferus Hygini commentator, quòd Scytharum proprium olim id excoriandi artificium fuerit, de qua re videri poſſit Gronovius ad II. Senecæ de ira c. 5. Quicquid autem ſit, ſive Scytha, ſive Apollo Marſyam excoriaverit, ſufficit excoriatum Olympo ad ſepulturam traditum, quod proculdubio precibus à Deo Olympus obtinuit, adeò ut conjectura mea ratione non careat. Crudele ſupplicium! exclamavit ARCHÆOPHILUS, & divina poſt ſupplicium pietas! Mirum ſi Deum non pœnituerit rigoris. Imò pœnituit, reſpondit DULODORUS, nam lyræ nervum rupiſſe, Harmoniamque à ſe inventam aboleviſſe, Diodoro memoratur; Sed hæc ad propoſitum nihil. De fabulæ ſenſu adhuc quærendum,

 excepit

excepit ARCHÆOPHILUS; Licet enim facile credam, in eos excogitatam esse, qui stultâ ambitione cruda studia jactant, & à solida eruditione victi, famam & existimationem perdunt, Amnis tamen, qui Marsyæ nomine propè Celænas fluens, decoriati ex sanguine memoratur ortus, suspicionem movet, omninò Historici quid subesse. Amnis, respondit DULODORUS, fabulæ ortum dedisse potest; Ita enim Strabo, cùm de Marsya & Apame locutus esset: Εν ταῦθα δὴ μυθεύετο, inquit, τὰ περὶ τὸν Ολυμπον καὶ τὸν Μαρσύαν, καὶ τὴν ἔριν, ἣν ἔρισεν ὁ Μαρσύας πρὸς Απόλλωνα. *Isti loco adsignant fabulam Olympi & Marsyæ: ac concertationem Marsyæ adversus Apollinem.* Et in immediate sequentibus: ὑπέρκειται δὲ καὶ λίμνη Φύσσα κάλαμον τὸν εἰς τὰς γλώττας τῶν αὐλῶν ἐπιτήδειον. ἐξ ἧς ὑπολείβεσθαι φασὶ τὰς πηγὰς ἀμφοτέρας, τὴν δὲ τοῦ Μαρσύου, καὶ τὴν τοῦ Μαιάνδρου. *Supernè est Palus calamum edens ad tibiarum lingulas aptum. Ex hac Palude, ajunt, utrumque scaturire amnem, Marsyam, inquam, & Mæandrum.* Quanquam, ut quod sentio fatear, nec historica basis displiceat; Quid enim mirum, si imperitum aliquem, à peritiore certamine victum & excoriatum credas? Sæpius id à potentioribus factum, inquit ARCHÆOPHILUS, inficias ire non possum. Notum est Hormisdæ dictum, quod Suidas refert, *Eum Marsyæ morte multaturum convivas, quòd in Regiam reverso non assurrexissent.* Tyranni hæc vox fuit, inquit DULODORUS, quam & captivitate & exiliô Hormisdas luit. Tyranni, inquit ARCHÆOPHILUS; sed quæ simul & Neronis mentem nobis aperit, qui ut suprà vidimus, sigillô suô hoc Marsyæ certamen expressit; Quid enim si & ipse Marsyæ mortem minatus sit iis, quos Citharâ vicisset? Citharœdum Neronem fuisse, excepit DULODORUS, imò & artis gloriam affectasse, in confesso est: tantâ tamen in victos acerbitate usum, non memini. Quicquid sit, omninò tamen adhuc addendum, alios Marsyam non Tibicinem, sed Regem putasse, cui cutis detracta feratur, quòd Regnô spoliatus fuerit: Alios Philosophum putasse, & sapientiæ certamen subiisse, qui sensus Xenophonti placuit, lib. I. de Exped. Cyr. Nos his relictis ad alia nos conferimus. Subit

FAUNUS
AN SATYRUS? SALTANS.



Similem Gemmam, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Leonhardum Augustinum

ſtinum p. 135. me vidiſſe memini, ſed ille non *Faunum* aut *Satyrum*, ſed *Bacchantem* inſcripſit, eòque non tam ſaltantem, quàm Bacchicô Oeſtrô furentem indigitat, id quod non Thyrſus tantùm, ſed & motus vehementior tàm capitis, quàm artuum videtur arguere. Motus vehementior, reſpondit DULODORUS, Saltationem non excludit; Notandum enim, ad eam Saltationem hîc reſpiciendum eſſe, quæ *Satyrica* & *Sicinnis* dicta eſt, ἀπὸ τȣ͂ σείεσθαι, *à corporis ſuccuſſu*; Ita Athenæus Lib. XIV. Καλεῖται, inquit, ἡ μὲν Σατυρικὴ ὄρχησις, ὥς φησὶν Αριςοκλῆς ἐν ὀγδόῳ τῶν περὶ χορῶν, ΣΙΚΙΝΝΙΣ, καὶ οἱ Σάτυροι ΣΙΚΙΝΝΙΣΤΑΙ Σκάμων δ' ἐν πρώτῳ περὶ ἑυρημάτων σίκιννιν αὐτὴν εἰρῆσθαι ἀπὸ τȣ͂ σείεσθαι. *Satyricam Saltationem SICINNIN eſſe tradit Ariſtocles octavo libro de Choris: Scamon libro primo de inventoribus rerum ait, SICINNIN dictam eſſe* ἀπὸ τȣ͂ σείεσθα *à CONCUSSIONE.* Hic locus, inquit ARCHÆOPHILUS, ad vehementiam motûs non incongruè citatur, ſed audiamus & alterum de Pyrriche, in qua motus ille vehementer ceſſavit. Is in ſequentibus legitur: ἡ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη, inquit idem Author, Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ. ἐπιεικεςέρα ȣ̓͂σα τῆς ἀρχαίας. ἔχȣσι γὰρ οἱ ὀρχȣ́μενοι θύρσȣς ἀντὶ δοράτων. προίενται δ' ἐπ' ἀλλήλȣς καὶ νάρθηκας, καὶ λαμπάδας φέρȣσι, ὀρχȣ͂νται τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τȣ̀ς Ἰνδȣ̀ς ἔτι τε τὰ περὶ τὸν Πενθέα. *Noſtra Pyrrhiche magis eſſe videtur Bacchica, longè quàm priſca illa placidior, quandoquidem haſtarum locô THYRSOS geſtant Saltantes, eosque alii mutuò in alios vibrant, ferulas & lampadas ferunt, ſaltandoque repræſentant Bacchi res geſtas, ſubactos Indos, & Penthei ſupplicium.* Hæc Athenæus, & ad Gemmam, meo quidem judicio appoſitè; apertè enim *Thyrſum* geſtat hîc ſaltator, & niſi fallor fax ad pedes adjecta eſt. Si fax hæc eſſet, reſpondit DULODORUS, flamma proculdubio ſurſum arderet, cùm autem deorſum tendat, palam eſt, nec facem, nec flammam ſubeſſe. Mihi Lituus videtur, ſuperiore ſui parte in caput avis cujusdam efformatus. Lituos ejusmodi ornatus recipere, ſuprà ex Numiſmate Valentiæ vidimus: Et eſſe inſtrumenta cantûs bellici, nec ipſum inficias ibis: Quô poſitô Bacchi Triumphos hôc ſaltationis genere adumbrari, facilè adducor ut credam, cùm Bacchus hoſtes ſuos, uti ex Nonni Dionyſiacorum Lib. XXX. principiô conſtat, inermi exercitu, & ſolos Thyrſos vibrante, vincere ſueverit, & hoſtes

Σατύρων παίζȣσαν ἐνύω,
Satyrorum ludentem pugnam.

Formidaverint. Ne autem ad Pyrrhichen reſpiciam, illud obſtat, quod in hoc ſaltantes, ut belli ſchema exprimerent, Thyrſos unus in alterum vibraſſe dicuntur; at in Gemma propoſita hoc non fit. Sed & nudus hic ſaltator eſt. Excepit ARCHÆOPHILUS, quâ ratione ego vel ad Cordacem, vel certè ad Gymnopædicen, Gemmam referrem; Cordacem enim nudos ſaltaſſe, ex Libanio colligit Henr. Valeſius in notis ad Harpocrationem, & Gymmopædice vel ſuo nomine nuditatem arguit: Adde quod utraque ſaltatio Bacchi aſſeclas non excluſerit; Cordacem enim ſaltaſſe Silenum, apud Lucianum in Icaromenippo legimus, & Gymnopædicen Bacchicam fuiſſe teſtatur idem Athenæus: Ἔοικε ἡ Γυμνοπαιδικὴ τῇ καλȣμένῃ Αναπάλῃ τοῖς παλαιοῖς, γυμνοὶ γὰρ ὀρχȣ͂νται οἱ παῖδες πάντες ἐυρύθμȣς φοράς τινας ἀποτέμνοντες, καὶ σχήματα τινὰ τῶν χειρῶν κατὰ τὸ ἁπαλὸν, ὥς' ἐμφαίνειν θεώρημά τι τῆς παλαίςρας, καὶ τȣ͂ παγκρατίȣ, κινȣ͂ντες ἐυρύθμως τȣ̀ς πόδας. τρόποι δ' αὐτῆς ὅιτε ὀσχοφορικοὶ, καὶ οἱ βακχικοὶ, ὥςε καὶ τὴν ὄρχησιν ταύτην εἰς τὸν Διόνυσον ἀναφέρεσθαι. *Gymnopædices magna ſimilitudo eſt cum ea, quam nominavit Antiquitas* ἀναπάλην. *NUDI ſaltant omnes adoleſcentes concinno quodam impetu corporis, ſed interſciſſo, molli quadam manuum figuratione, pedumque venuſto*

nusto motu, ut luctæ ac Pancratii exhibeatur species & exemplum. Modi sunt Bacchici, & quales canuntur in Oeschophoriis, ut ea saltatio omninò sit Libero Patri destinata. Quid videtur? DULODORE. An hæc non ad propositum convenienter? Non arbitror, inquit ILLE; nullum enim nec luctæ, nec Pancratii hîc vestigium est, quorum tamen exemplum Gymnopædicen exhibuisse, hôc locô apertè dicitur. Quid autem de *Cordace?* excepit ARCHÆOPHILUS. Hæc comica fuit, respondit DULODORUS, nec Sicinnidi hoc loco prævalet, cum hanc & Faunus, & vehementior motus evincant; Satyricam enim fuisse, jam supra dictum est. At, inquit ARCHÆOPHILUS, non *Sicinnidem* tantùm, sed & *Cordacem* & *Emmeliam* Satyrorum inventum, Lucianus de saltatione memorat: Imò & totam Bacchi actionem nihil aliud, quàm saltationem complecti, eâque utentem, & Tyrrhenos, & Indos, & Lydos subjugasse, Gentesque adeò bellicosas, ipsis saltem Thyrsis desaltasse, adeò ut hactenus incertum sit, ad quod saltationis genus Gemma pertineat. Emmeliam, respondit DULODORUS, quòd hæc tragica fuerit, opinor ipse rejicies, quid enim tragici in Fauno saltante, poculumque & Thyrsum ostentante? Ita & Sicinnidem Cordace potiorem modò ostendi. De nuditate non est, quod dubium moveas, quis enim unquam Satyros vestitos exhibuit? Satyros inquam, quos *Sicinnistas* dictos, ex Athenæo audivimus, proculdubio, quòd vehementiore illô motu, qui in Gemma radiat, Bacchi & furores exprimerent, & beneficia simul celebrarent. Ita nec illud in contrarium adferes, quòd Satyrica hæc saltatio fuerit, cùm tamen in Gemma Faunum agnoscam; jam enim *Tomô primô* notavi, & docebo infra adhuc luculentius, quos Faunorum habitu Artifices fecêre, eos idoneis Authoribus, Satyros non raró vocari. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, sed nondum perspicio, cur Faunum agnoscas, & non potius Bacchantem, qualem & Leonh. Augustinus publicavit, non alia re à nostro distantem, nisi uvarum fasciculo, quem dextrâ præfert, & Amphorâ, quam pedibus prostravit. Ut Faunum agnoscam, respondit DULODORUS, facit Cauda, quam supra clunes affictam, saltantis motus ventilat, quæque apud Leonh. Augustinum deest. Hanc caudam cùm teste Pausania & Nonno in Dionysiacis etiam Satyri habuerint, utique talem in Gemma nostra adumbrari Sicinnistam, facile tibi persuadebis, sive ex consortio Bacchi is credatur, sive Mimus quidam in Theatro, Bacchi asseclam repræsentans. De Pelle, quam brachio suspensam gerit, alibi dicetur. Succedit

BACCHA.



Furentis instar, & ipsa capite projectô, capillis hederâ revinctis, Thyrso humeris imminente. Baccham, excepit ARCHÆOPHILUS, admitto, cùmque

que de his in præcedentibus ſparſim dictum ſit, non tàm ejus fulcra ex Authoribus, quàm artificioſam in lapide ſculpturam contemplor. Ebrius faciei furor, Capitisque jactati veſana ſublimitas, Baccham abundè demonſtrant: Demonſtrant & os patulum, reſpondit DULODORUS, & Capilli per humeros ſparſi, de quibus dicere ſuperſedeo. De arte adjicio Epigramma Silentiarii ex Florilegio Libro IV. cap. 3.

Ἔκφρονα τὴν βάκχην ἐχ' ἡ φύσις ἀλλ' ἡ τέχνη,
Θήκατο, καὶ μανίην ἐγκατέμιξε λίθῳ.

Inſanam Baccham non natura, ſed ars
Fecit, & furorem cum lapide commiſcuit.

Prodit

CUPIDO
AB ACHIOPHILO COELATUS.



Achiophilo? excepit ARCHÆOPHILUS. At mihi vox ſubjecta Cupidinis Epitheton videtur; Quidni enim *Achiophilus* vocetur, facem & arcum cum ſagitta tenſum geſtans? Si conſtet, vulneribus & dolore amantium eum delectari, eamque rem hoc vocabulo commodè exprimi? Ἄχος certè *dolorem* ſignificare, in vulgus patet. Si ΑΧΕΩΦΙ in Gemma legeretur, reſpondit DULODORUS, conjecturæ Tuæ aliquid tribuerem, cùm ΑΧΙΩΦΙ ad oculum pateat, ſententiæ meæ adhuc tenax inſiſto. Ἄχος *dolor* in Genitivo Ἄχεος habet, & non Ἄχιος. Accedit & notus jam Artificum mos, nomina ſua Gemmis à ſe cœlatis inſcribere ſolitorum, id quod non tantùm productô ſuprà Dioſcoridis exemplô patet, ſed & duobus aliis apud Sponium, in Miſcell. Eruditæ Antiquitatis: Adeò ut non abſurdè hîc ſimile quiddam ſtatuendum arbitrer. *Achiophili*, excepit ARCHÆOPHILUS, neſcio an quiſquam veterum meminerit. Quid tum? reſpondit DULODORUS. Annon pretium & raritas inde creſcunt? Annon Antiquitatis uſus inde commendatur? quòd nova indies ex ejus ſupellectile eruantur, quæ ſine hâc æternis involuta tenebris jacerent? Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed vellem aliâ re artificium ſuum Achiophilus probaſſet; Cupido enim res nimis vulgata videtur. Nullibi, reſpondit DULODORUS, eô modô cœlatum memini, quô hîc nobis exhibetur: nullibi, ne memoratum quidem; Utut autem res ipſæ notæ ſint, quis enim Cupidinis arcum & ſagittam? quis facem neſcit? illud tamen myſteriô carere non videtur, quòd facem præfert, arcum autem & ſagittam à tergô vibrat, fugientis Parthi inſtar, de quo Virgilius Georg. 3.

Fidentemque fugâ Parthum, verſisque ſagittis.

Conjunctionem, inquit ARCHÆOPHILUS, video eſſe inſolitam, ſed ratio-

rationem ejus, ut verum fatear, non assequor. Duplex esse poterit, respondit DULODORUS, vel ut indicetur Cupido, qualiter Choro apud Senecam in Hippolito describitur,

Impotens FLAMMIS simul & SAGITTIS.

vel etiam, & quidem potissimùm, ut innuatur, amorem venientem adferre calorem, discedentem infligere dolorem. Ratio experientiâ nititur, subjecit ARCHÆOPHILUS, quid autem in Gemmæ aversa? an Geomantia Arabica, de qua Tomo primo Te docuisse memini? Illa ipsa, respondit DULODORUS, non amplius punctis sparsa, sed lineis jam in arborem contracta, cujus sensus licet nos lateat, ad rem amatoriam tamen pertinere, ex adversæ Cupidine noscitur. Sed hæc, ut reliqua omnia, peritiorum judicio subsint! Sequitur

ALEXANDER MAGNUS, & OLYMPIAS.



Similem Gemmam, excepit ARCHÆOPHILUS, sed cum collo & pectore, aliisque Galeæ ornamentis, ex Thesauro CHRISTINÆ AUGUSTÆ, nisi fallor, jam publicavit, & Alexandro M. ejusque Matri Olympiæ vindicavit Angelus Causæus in Museo Romano. Rectè meministi, inquit DULODORUS, eaque cum in præcipuis cum nostra conveniat, simile quid & de hôc statuendum arguit. In præcipuis? subjecit ARCHÆOPHILUS; At Caput Jovis Ammonis, quod humero apud Causæum affixum est, & Alexandri divinum ortum denotat, non minus ac Draco Galeæ impositus, cujus sub figurâ Jupiter cum Olympia congressus memoratur, hîc non apparent: Non apparent Caput Medusæ gestamen Palladis, quam Alexander impensè coluit. Si hæc non apparent, respondit DULODORUS, apparent tamen eadem planè lineamenta vultuum, nisi quòd lanugo barbæ Alexandro desit: eadem laurea tàm in casside Alexandri, quàm in coma Olympiæ: idem velum à capite Olympiæ dependens, & in nostro etiam in vertice conspicuum, cùm apud Causæum tantùm sub Alexandri mento promineat. Quid ex his judicabis? si non, effigies has iisdem esse tribuendos, quibus à Causæo vulgatas Jovis Ammonis vultus & Draconis simulacrum addixére? Stringit ratio, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam dubium moveant, vulgata apud Goltzium Alexandri capita, quæ utique ad descriptionem ab Authoribus traditam efficta esse, nemo negaverit; Projectâ enim cervice cœlum respiciunt, non leni, sed violento planè

planè conatu, ſecus ac in his Gemmis. Scio, inquit DULODORUS, ſed juxta ſcio, etiam in eo, quod Tomo primo Alexandro Magno ex prominente, ſub corio Elephanti, cornu arietino vindicavi, eôdem planè filô Effigiem effiĉtam eſſe, quô in hac noſtra Gemma, eaque, & non Cauſæi Authoritas, mihi baſis eſt, ut eundem Alexandrum cum Matre Olympia hîc ſtatuere auſim. Numiſmata à Golzio vulgata placitum non evertunt, quid enim ſi Monetarii vel famâ ſeducti, vel adulationis Genio in majus extulerint, quod Gemmarum Cœlatores majore curâ & preſſius exſecuti ſunt? Licet autem Gemma CHRISTINÆ AUGUSTÆ integritate, & in quibusdam etiam ornatu, noſtram vincat, vincitur tamen ipſa, non eò tantùm, quòd Aquilam caſſis oſtendat, ſed & Genere lapidis. Illa *Achates* fertur, ſed noſtra *Sardonix* eſt, figuris tam artificiosè elevatis, ut facies Olympiæ tota cœrulea ſit, comæ in rubedinem flaveſcant, laurea ex cœruleo & rubicundo miſceatur: Ita & Facies Alexandri tota fuſca eſt, Caſſis & laurea ex fuſco & cœruleo miſcentur, Aquilæ caput & collum in ruborem vergunt, alæ fuſcum & cœruleum variant, pedes ex rubore in nigredinem obſcurantur; quæ an in Gemma CHRISTINÆ AUGUSTÆ fuerint, haud forſan abs ratione dubitem. Autoψία rem edoceat, neceſſe eſt, excepit ARCHÆOPHILUS. Minimùm, reſpondit DULODORUS, Cauſæus aliud videtur innuére; Achatem enim vocat, vocat Camæum; Cameos autem eſſe, ubi cruſta unius coloris ſculpitur, ac alterius pro ſtrato relinquitur, Anſelmus Boetius de Boot teſtatur. His ego nimis anxiè non inhærebo, excepit ARCHÆOPHILUS: Potius quæſierim de aquila, quid hæc Galeæ impoſita? Duplex ratio eſſe poteſt, reſpondit DULODORUS, vel Divina Alexandri origo, vel miſſum à Jove Patre victoriarum auſpicium. De his cùm ad Alexandri Numiſmata abunde dictum ſit, hîc nihil addendum arbitror, niſi in Gemma noſtra non fruſtrâ capitis vertici Aquilam imminere, non fruſtrâ laureæ victoriarum ſymbolo incumbere. Lauream, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ego in Alexandro facilè admitto, quid autem eâdem redimita Olympias? Imò quid hæc velo divinitatis ornata? An victoriarum particeps? an divinô honore culta fuit? Cùm filius ſe adorandum ſuis obtruſerit, reſpondit DULODORUS, cùm ſe Jovis filium jactârit, quid mirum, ſi matri victoriarum gloriam communicaverit? Quid mirum, ſi à Jove, ut ferebat, compreſſam Junonio velo dignatus ſit? Tanta ſanè veneratione eam coluit, ut apud Curtium Libro IX. in fine capitis 6. inter cætera Amicis ſuis & ſequentia enunciârit: *Quoniam*, inquit, *olim rei agitatæ in animo meo nunc promendæ occaſio oblata eſt, mihi maximus laborum atque onerum erit fructus, ſi OLYMPIAS MATER IMMORTALITATI CONSECRETUR, quandocunque exceſſerit vitâ. Hoc ſi licuerit, ipſe præſtabo. Si me præceperit fatum, vobis mandaſſe mementote!* Evidens hoc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, amoris filialis argumentum, indeque nec amplius dubitabo, quin & hac in Gemma divinos Matri honores Alexander tribuerit. Id eò facilius credas, perrexit DULODORUS, quò apertius artificium in hac Gemma Alexandri ætatem prodit: quò apertius & Plinius teſtatur. Lib. XXXVII. cap. 1. Alexandrum Magnum edicto vetuiſſe, ſe ab alio ſcalpi, quàm à Pyrgotele, non dubiè clariſſimo ejus artis: adeò ut non abſurda conjectura ſubeat, Gemmam propoſitam ejusdem Pyrgotelis opus, nobis fauſtô omine ſupereſſe. Sequitur

NERO & OCTAVIA.



An Neronis hæc effigies eſt? excepit ARCHÆOPHILUS; at aliter multò in Nummis viſitur. Si Neronem *Cæſarem* ab *Auguſto* diſtinguas, reſpondit DULODORUS, conjecturæ meæ vix arbitror reluctaberis. Nero Auguſtus aliâ planè facie in Nummis occurrit: Cæſar autem juvenili planè & ſucculentâ, quali & in hac Gemma. Sed laureatus hîc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, in Nummis autem juvenis adhuc ſine laurea viſitur. Lauream, reſpondit DULODORUS, etiam Cæſaribus datam, vel ex Nummis Germanici patet, qui licet nunquam *Auguſtus* fuerit, interdum tamen laureatus, interdum ſine laurea occurrit, eòque exemplô patet, lauream aſſerto meo non obſtare. Sed obſtat Sidus vertici imminens, inquit ARCHÆOPHILUS; hoc enim quidni Solem interpreter, addicamque Elagabalo? cujus proinde vel mater vel uxorum aliqua hîc ei juncta videbitur. Ornatus Capitis fœminei obſtat, reſpondit DULODORUS; Talis enim eſt, qualis tempore Neronis, minimè autem qualis ſub Elagabalo proſtat. Adde quòd eôdem habitu, quô hîc fœmineum caput adornatur, jam ſupra Octaviam Neroni junctam protulerim, & quidem imminente capitibus, non Stella tantùm, ſed & Lunâ. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed in Gemma hac Luna abeſt, Stella autem inter utrumque caput imminet. Non abs ratione, reſpondit DULODORUS; Omninò enim videtur adumbrari benedictio divina, quam Neonuptis Principibus proculdubio Cœlator Gemmæ voverit. Prodit

ODENATHUS & ZENOBIA.



Effigies has determinas, inquit ARCHÆOPHILUS, ac ſi notiſſimæ jam aliunde eſſent; Quomodo autem poterit Odenathus eſſe, cùm tamen nullo is hactenus in Numiſmate apparuerit? Conjecturis ago, reſpondit DULODORUS, fortaſſe, fateor enim, fragibilibus. Aliquid tamen dicere malim, quàm tacere, cùm Gemmæ Elegantia & raritas produci vel maximè mereantur.

Gem-

Gemmam, excepit ARCHÆOPHILUS, commendat artificii non Genius tantùm, sed & solertia. *Pellem* enim *Leoninam* ex vena, fuscâ flavedine conspicua: *capillos* sub hac, flavedine lucidiore: *vultum fœmineum* albicantem; *virilem* ex candore in cæruleum vergente expressit. Sed hæc ad propositum nihil, nisi & rationes edas, quibus Zenobiam & Odenathum iis adumbrari credatur. Duæ potissimum sunt, respondit DULODORUS: Artificii Genius, qui Imperio, primô adhuc præcipitiô cadenti, convenientissimus est, & Zenobiæ Odenathique fortitudo, nequid de Zenobiæ effigie dicam, quæ in Nummis vulgata apud Seguinum cernitur, propositæque inconveniens non est. Nisi nummus ipse ad manus sit, perrexit ARCHÆOPHILUS, ego judicium suspenderim. Cæterum Zenobiæ superbia notior est, quàm fortitudo. Imò utraque, respondit DULODORUS, & altera fortassis causa est, quod locum honoratiorem in Gemma sibi vindicet, altera autem ex casside Leonina patet, quæ aliâs & ad venationes referri poterit, quas non minus ac maritus impensè amavit. Audiamus Trebellium Pollionem, qui simul & de fortitudine Odenathi docebit, quæ Casside jubata præfiguratur: *Ille*, Odenathus, *planè cum uxore Zenobia non solum Orientem, sed omnes omninò totius Orbis partes reformasset, vir acer in bellis, & quantum plerique Scriptores loquuntur, VENATU memorabili semper inclytus, qui à prima ætate capiendis LEONIBUS & Pardis & ursis, cæterisque sylvestribus animalibus, sudorem officii virilis impendit: quique semper in sylvis ac montibus vixit, perferens calorem, pluvias & omnia mala, quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus solem ac pulverem bellis Persicis tulit: Non aliter etiam CONJUGE assuetâ, quæ* multorum sententia *FORTIOR MARITO fuisse perhibetur: Mulierum omnium nobilissima: Orientalium fœminarum, ut Cornelius Capitolinus asserit*, speciosissima. Hæc Trebellius Pollio, & ad Gemmam quàm aptè? Sed ad alia.

SANCTUS PRINCIPUM AMOR
HEROES PROGENERAT,
PACEMQUE ET FELICITATEM PUBLICAM PROMOVET.



Martem video, inquit ARCHÆOPHILUS. Video Venerem, & quidem victricem; nam hanc demonstrat pomum, quod manu præfert. Benè sentis, respondit DULODORUS; Notandum autem ad Martis & Veneris, de quo fabula est, concubitum hæc non pertinere; Hic enim non ad aram, sed in Thalamo Vulcani ponitur. Quid igitur, inquit ARCHÆOPHILUS, si loco Martis Paridem substituamus? cùm ab hoc pomum venustatis præmium Venus acceperit? Barbata effigies, respondit DULODORUS, Paridem amovet: Amovet eundem & Clypeus, quem coram amantibus Genius præfert.

Si Pomum reſpicias, cogites, non ſolius hoc victoriæ Idææ indicium eſſe, ſed & commune amoris. Inde ſanè apud Virgilium Eclog. III. v. 64. Damœtas.

Malo me Galathea petit laſciva puella.

& preſſius Scholiaſtes Ariſtophanis de Nub. Act. 3. Sc. 3. μηλοβολεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν. Ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἐςὶν ἱερόν. Eôdem ſenſu & Coluthus :


Πασάων δ' ἅτε Κύπρις ἀρειοτέρη γεγαῦα,
Μῆλον ἔχειν ἐπόθησεν, ὅτι κτέρας ἔςιν ἐρώτων.

Venus verò quaſi præſtantior exiſtens omnibus
Pomum habere voluit, quod peculium eſſet Amorum.

Si nec ad Martis concubitum, excepit ARCHÆOPHILUS, nec ad Paridis judicium hæc Gemma pertineat, Ego ſanè eam non determinavero. Nec Ego, reſpondit DULODORUS, niſi quòd ſub Martis & Veneris ſchemate Conjuges Imperatorios latere, caſtumque eorum amorum, Amorisque ſimul in publicum fructus adumbrari, non abſurdè mihi ſtatuere videar; Eôdem enim inventô ſub Veneris Martisque ſimulacro, non Titum tantùm & Berenicem, ſed & Marcum Aurelium & Fauſtinam in Nummis cernimus: utrobique, ut amor eorum denotetur, blanditiæque innoteſcant, quibus Berenice Titum poſt bella quieſcentem, Fauſtina autem M. Aurelium contra Germanos profecturum demulſit. Niſi fallor, excepit ARCHÆOPHILUS, Martis vultus aliquid ex vultu M. Aurelii trahit, ornatusque capitis Venerei idem planè eſt, qui & Fauſtinæ. In parvis, reſpondit DULODORUS, rem adeò diſtinctè non diſcerno. Illud tamen omninò dicendum, artificium ſæculo M. Aurelii digniſſimum in hac Gemma radiare: Maſculus in Marte eſt vigor, ſucculenta in Venere Gracilitas, eaque corporum proportio in omnibus, ut dubium non ſit, Cœlatoris cujusdam excellentiſſimi hoc opus eſſe. Hæc cùm ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, quid eſt, quò minus in M. Aurelio & Fauſtina ſubſiſtamus? An ara? at hæc amoris ſanctitatem innuit, quam caſtiſſimus Imperator ſanctè utique coluit. Si eandem coluiſſet Fauſtina, reſpondit DULODORUS, frugique filius inde ſurrexiſſet, forſitan Tecum ſentirem. Solus Mars aræ manum imponit, inquit ARCHÆOPHILUS, & quis neſcit, adulationis Genium bona etiam in malis augurari? Quicquid ſit, perrexit DULODORUS, Tutius tamen eum ſenſum hoc in Gemma ſequerer, quem & Cœlator videtur intendiſſe, cuicunque demum Imperatori dedicata: ut ſcilicet ſancto ex Principum amore Heroes prodire, pacemque & felicitatemque publicam promoveri, graphicè etiam ad ſeram poſteritatem teſtatum eſſet. De amore audivi, inquit ARCHÆOPHILUS; at ubi de amoris fructu? in adſtante Genio, reſpondit DULODORUS; is enim cùm clypeum præferat, Heroum geſtamen: præferat & ramum oleæ inſigne pacis, & Cornucopiæ inſigne felicitatis, utique rem ad oculum demonſtrat. Probè hoc obſervas, inquit ARCHÆOPHILUS, nec me jam piget in tuam ſententiam tranſire, modò doceas rationem, cur omnes hæ figuræ nudæ ſint? Nuditate, reſpondit DULODORUS, amoris ſinceritas adumbratur; non enim nudas videre par eſt, niſi quas ſincero amore proſequimur. Id quod uxor Candaulis apud Herodotum teſtatur, quæ proinde publicatam ſuam formam adeò doluit, ut vel Mariti cæde nefas expiandum cenſuerit. Sed rus concedimus, quo

PASTO-

PASTORES



Nos vocant. Paſtores, inquit ARCHÆOPHILUS, in his deliciis non ſemel occurrunt; memini enim & apud Gorlæum, & apud Leonh. Auguſtinum eos vidiſſe, imò & in ipſo Theſauro hoc Electorali, ex annulo Caprarium te oſtendiſſe; Sed illos adjecta pecora demonſtrant, propoſitos autem unde determinem? Ex habitu, reſpondit DULODORUS; idem enim eſt, qui & Caprariorum apud Gorlæum: Idem qui & Paridis apud Coluthum, cujus verba alibi citavi, ut Theocriti ſuffragium hîc præmittam, quod & ipſum Tibi adhuc memoriam ſubire arbitror, ex Idyll. 7. His ego non contradico, repoſuit ARCHÆOPHILUS; ſed illud mihi viciſſim largieris, pelles non ſolis paſtoribus, ſed in genere, quibusvis in uſu fuiſſe; Ita ſanè Propertius, etiam Romanos Senatores eas olim geſtaſſe teſtatur Lib. IV. El. 1.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
PELLITOS habuit ruſtica corda PATRES.

Ubi *pellitos Patres* dici, quòd pelles geſtarent, haud opinor inficiaberis. Quid tum? excepit DULODORUS. Nonne additur fuiſſe *corda ruſtica*? quô ſenſu & idem Poëta paulò poſt:

Verbera PELLITUS ſetoſa movebat ARATOR.

Ruſtici ſcilicet, Aratores, & Paſtores tunc licet dignitatem ſummam obtinerent, operibus tamen aut habitu non diſtinguebantur. Reges & Regum filios paſtoritiam exercuiſſe, nemo eſt qui ignoret. Quinctius Dictator ab aratro memoratur Romanis; Sed eò aſcendere opus non eſt. Pellis adeò Paſtoribus propria fuit, ut Ovidius *Paſtoriam* vocaverit, eô inſigni Apollinem, Regii pecoris cuſtodem, adornans, Met. II. fab. XIV.

Illud erat tempus, quo te PASTORIA PELLIS
Texit, onusque fuit BACULUS ſylveſtris olivæ.

Baculus, inquam, qui & ipſe in Gemma, ſi non omnes, tamen unum fulcit. Baculus, excepit ARCHÆOPHILUS, ſenectuti ſervit; Ita enim Cornel. Gallus Eleg. I.

Hinc eſt quod baculo incumbens ruitura ſenectus
Aſſiduo pigram verbere pulſat humum.

Non hoc tantùm, reſpondit DULODORUS, quanquam & barba ſenectutem in Gemma arguat; Imò & Paſtorum inſigne baculum eſſe, ex eodem Propertio conſtare poteſt, quô canente Lib. IV. El. 2. Vertumnus, cùm in varias ſe verti figuras aſſereret, inter alia & ita loquitur:

PASTOREM ad BACULUM poſſum curare.


Nil niſi canis reſtat, inquit ARCHÆOPHILUS. Ad tuendos greges, reſpon-

respondit DULODORUS, hic Paſtoribus & utilis & familiaris eſt. Res hodiénum cernitur, adeòque probari non meretur. Si tamen ex Authoribus fulcra deſideres, adi Homerum, de Paſtoribus Ulyſſis canentem: adi Virgilium, apud quem Ecloga III. Menalcas ad Damœtam:

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante LYCISCA?

Sed ad alia tranſeo; neque enim de Paſtorum conſortio interrogabis, cùm colloquentes geſtus demonſtret, Colloquia autem Paſtoribus ſolita, & Eclogæ Virgilii, & Idyllia Theocriti teſtentur. Paſtorium pecus fuére

BOVES:



Et prior quidem ex vena Gemmæ fuſca elevatus, cùm vena ſubſtrata candidiſſima ſit: Poſteriores autem Sardæ inciſi, ſed ideò præcipuè memorandi, quòd Palmæ ramus eos ornet. Rarum hoc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Palmæ ramum quidem Equis affixos memini, idque in memoriam Victoriarum in Ludis vel Olympicis, vel Circenſibus; Bobus autem nec ratio Palmam adjudicat, nec exemplum hactenus addidit; Quid enim palma ſymbolum victoriæ, ad Bovem ſymbolum ſervitutis? cùm hoc & Dido averſata fuerit, Carthaginem conditura? Duo boves in Gemma ſunt, inquit DULODORUS, & quidem juncti, qualiter in Nummis Coloniarum frequentes occurrunt, ideò expreſſi, quòd horum miniſteriô pomœria notarentur; Cùm igitur inter Colonias, *Colonia Victrix*, & *Celſa* & *Oſca* vocentur, quis dubitet, hoc ſchemate artificem ad eas reſpexiſſe? eôdemque inventô ſimul bobus apologiam ſcripſiſſe? quòd non amplius ſervitutis, ſed & Victoriarum ſymbola ſint? Aliud mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS. Palma Græcis φοίνιξ dicitur, indeque & *Phœnicia* regio Palmis abundans; Quid igitur, ſi palmâ hâc Boves Phœnicios arbitrer deſignari? Phœniciam ſanè bobus abundaſſe, fabula Europæ, à Jove bovis figurâ raptæ, dubitare non ſinit. Nec hæc ratio futilis eſt, reſpondit DULODORUS. Nec abſurdum rem Gemma dignam eſſe viſam, cum boves præcipuæ fuerint antiquorum & divitiæ & deliciæ, id quod pluribus ex Homero, aliiſque deducere poſſem, ſi nunc id ageretur. Noti ſunt Boves Theſſalici, de Grege Iphicli, Proteſilai patris, quos Neleus à filiæ procis ſponſalitium munus petiit: Noti Boves Geryonis, quos Herculi adducendos Euryſtheus imperavit. An ad horum aliquem, inquit ARCHÆOPHILUS, Bos Gemmæ prioris pertineat? Ego, reſpondit DULODORUS, hunc Bovem ſacrum arbitrarer. Color & cauda, mihi conjecturam firmant, ut de pacifico habitu taceam, qui tamen & ipſe obſervari meretur. De colore notum

notum eſt, victimas *albas* Diis ſuperis, *nigras* inferis immolari ſolitas. Inde Statius in Archemori Exequiis Lib. VI. Theb. v. 264.

Centum ibi NIGRANTES armenti robora TAUROS
Lenta mole trahunt.

Et Virgilius L. 6. Æneid.

Quatuor hic primum NIGRANTES terga JUVENCOS
Conſtituit.

De Cauda eſt locus Plinii L. VIII. c. XLV. de Bobus: *Huic tantùm*, inquit, *animali omnium, quibus procerior cauda, non ſtatim nato conſummatæ, ut cæteris, menſuræ: creſcit uni, donec ad veſtigia ima perveniat. Quamobrem VICTIMARUM PROBATIO in vitulo, ut ARTICULUM SUFFRAGINIS CONTINGAT. Breviore non litant.* Sequitur

VACCA.



An Ægyptia? excepit ARCHÆOPHILUS; talem enim & Leonhardus Auguſtinus prodidit, Gemma 188. aitque formam Ægyptiam ex lineamentis cognoſci. De lineamentis, reſpondit DULODORUS, judicium ſuſpendo; neque enim, quid Ægyptiæ ab aliis diſtent, hactenus didici. Si Ægyptia ſit, poterit fortaſſis conjectura de matre Apidis valere, quam in urbe Memphi nutriri ſolitam, ex Strabone conſtat; quanquam, ne huc reſpiciam, arbuſculum faciat, quæ Vaccam hanc inumbrat; Hæc enim non tam Aulam, in qua Apidis mater alebatur: ſed campos, aut Sylvas videtur denotare, in quibus greges paſci ſolent. Bucula Myronis in mentem mihi venit, inquit ARCHÆOPHILUS; hanc enim non uno Epigrammate celebrarunt Authores. Sanè quod ad illam Anacreon, id etiam ad hanc adducere poſſem:

Βουκόλε τὰν ἀγέλαν πόῤῥω νέμε, μὴ τὸ Μύρωνος
Βοΐδιον ὡς ἔμπνουν βουσὶ συνεξελάσῃς.

Paſtor armentum procul paſce, ne hanc Myronis
Buculam, ut vivam, cum bobus unà abigas.

Myronis Bucula, reſpondit DULODORUS, ærea, & columnæ ad aram impoſita, Epigr. l. 4. c. 7. n. 1. 2. 4. 5. legitur; at noſtra lapidi inciſa eſt, nullô nec columnæ, nec aræ veſtigiô. Cùmque arbuſculum liberè vagantem arguat, Ego potius, vel ad eam reſpicerem, quæ Cadmo, & ejus ſociis dux fuit, vel ad eas, quas Corcyrenſes & Eretrienſes in Olympia dedicarunt. Sed difficile eſt certi quid definire. Lapides autem cùm bobus cælari ſolitos, ex Epigrammatum Corpore, L. IV. c. 18. n. 5. 6. & 7. patet. Unum ſubjicio.

Τὰς βοῦς καὶ τὸν Ἴασπιν ἰδὼν περὶ χειρὶ δοκήσεις
Τὰς μὲν ἀναπνείειν, τὸν δὲ χλοηκομέειν.

Boves & Jaſpidem videns in manu, arbitraberis
Has quidem ſpirare, illum verò herbam virentem producere.

Poſt armenta prodit

LEO.



An Ætolus? excepit ARCHÆOPHILUS: an Parnaſſius? an verò Nemæus? Hos tres enim antiquitùs celebres recordor. Ætoli meminit Antoninus Liberalis, Parnaſſii Numiſmata Phocenſium, Nemæi fabula Herculis: Et quis dubitet horum unum hâc Gemmâ adumbrari? Res incerta foret, reſpondit DULODORUS; Poſſet enim & ille ſubintelligi, quem Meles Sardium Rex per muros circumtulit, urbi ſecuritatem conciliaturum, id quod ad Sardium Numiſma audivimus: Poſſet & Olympius, quem Polydamas interfecit, memorante Pauſania: Poſſet & Leo Cybeles. Cybeles Leones, excepit ARCHÆOPHILUS, mites utplurimum, vel currum Deæ ſubeunt, vel Throno ejus aſſident, vel inſidenti terga ſubſternunt; Attamen, quòd propoſitus cùm horrore quodam contremiſcere videatur, opinio forſitan haud futilis erit; Omninò enim eum mihi imaginor deſignari poſſe, quem Epigramma Alcæi deſcribit Lib. I. cap. 33. n. 29. ubi ſequentia legimus:

Κειράμενος γονίμην τὶς ἀπὸ Φλέβα μητρὸς ἀγύρτης
Βησσήεντας ἀνὰ πρῶνας ἐβȢνοβάτει.
Τῷ δὲ λέων ἤντησε πελώριος, ὡς ἐπὶ θοίναν
Χάσμα Φέρων χαλεπὸν πειναλέȢ Φάρυγος.
Δείσας δ' ὠμηςέω θηρὸς μόρον, ὡς ἄυδαξε,
Τύμπανον ἐξ ἱερᾶς ἐπλατάγησε νάπης
Χὠ μὲν ἐνέκλεισεν Φονίαν γένυν, ἐκ δὲ τενόντων
Ἔνθȣς ῥομβητὴν ἐςροφάλιζε Φόβην.
Κεῖνος δὲ προφυγὼν ὀλοὸν μόρον, εἵσατο ῥείῃ
Θῆρα τὸν ὀρχηθμῶν αὐτομαθῆ Κυβέλης.

Qui præſecuit ſeminalem venam Deûm Matris præſtigiator,
Flexuoſos per colles proficiſcebatur:
Huic autem Leo obviam factus immenſus, tanquam ad convivium,
Rictum ferens gravem eſurientis gutturis,
Reformidans autem crudelis feræ mortem cùm clamaſſet,
Tympanum e ſacro concrepuit ſaltu.
Et hic quidem occluſit mortiferum rictum, è cervice autem
Ut numine afflatus, in rhombi modum volvit jubam.
Ille verò cum effugiſſet exitialem mortem, ſimulacrum poſuit,
Statuam feræ, quæ ſaltationes per ſe didiciſſet Cybeles.

Hæc

Hæc Alcæus, & ad propositum quàm aptè? neque enim frustrà artifex Leonem fuscum ex vena Gemmæ videtur expressisse, cùm in sylva obvio, color is vel maximè conveniat. De Colore fusco, subjecit DULODORUS, constat, Leones non fulvos tantùm, sed & nigros fuisse, ad quos quin artifex respexerit, dubitari non debet. Oppianus asserti author est, Leones in Libya & Æthiopia nigros memorans.

Πᾶσι δὲ γύιοις
Ηκα μέλαν κυάνοιο φέρει μεμοευγμένον ἄνθος.

Omnibus Membris
SUBNIGRUM FUSCO fert TEMPERATUM florem.

Canit de Libyco: Et iterum de Æthiopico:

Ἐκ δέ ποτ' Αιθιόπων λιβύην ἠμείψατο γαῖαν
Θαῦμα μεγ' εἰσιδέειν, μελανόχροος, ἠΰκομος τε.

Aliquando ex Æthiopibus in Libyam venit terram
Mirabile visu NIGRICOLOR, barbatusque &c.

Quid autem in re nota diutius hæremus, cùm & Plinius Leonum colorem in Syria nigrum, Lib. VIII. c.17. testetur, cujus suffragium opinioni de tremente Leone Cybeles forsitan servire poterit, cùm Cybele *Dea Syria*, etiam in Antiquis monumentis, crebrò vocetur. Nos ultra tendimus. Sequitur

MUS
MENSAE RELIQUIAS COMEDENS.



Ridebat ARCHÆOPHILUS, & quàm in parvo, inquit, & elegante lapillo lusit ars, non serium quid, sed musculum reliquiis infestum cœlando! Quæso DULODORE, an operæ pretium fecerit artifex? Tantum, respondit ILLE, quantum Poetæ, qui variis Epigrammatibus Murium cupedias prosecuti sunt. Ita Antiphilo in Florilegio L. 1. c. 33. n. 16. canitur

Πάμφαγος ἑρπυστὴς κατὰ δώματα λυχνοβόρος μῦς.

Cuncta vorans, reptilis per ædes, lychni arrosor mus.

Ut enim aliorum animalium noticia homini utilis est, ita etiam est notitia muris, licet is *ridiculus* Horatio audiat, nobisque si non familiaris, tamen domesticus, & satis interdum damnosus sit; Adde quod & Plinius, *haud spernendum in ostentis etiam publicis animal* appellet, utpote quod arrosis Lavinii Clypeis argenteis Marsicum bellum, Carbonique Imperatori apud Clusium fasciis, quibus in calceatu utebatur, exitium portenderit. Nihil horum in Gemma, respondit ARCHÆOPHILUS. Mensæ reliquias rodit, & quidem Tripodi impositas: proculdubio, ut non pauperis cujusdam tugurii, sed divitioris alicujus Palatii incolam se prodat. Benè hoc observas, inquit DULODORUS; Licet enim Horatio Satyr. III. Libri I.

Mensa tripes,

De tenuiore dicatur, quô ſenſu & Ovidius Metam. 8.

Accubuére Dii, menſam ſuccincta tremensque
Ponit anus: MENSÆ ſed erat PES TERTIUS impar;

Notandum tamen menſas tripedes non tantùm tenuiorum, ſed & ditiorum fuiſſe, diſtinctasque & materiâ & formâ, cum ditiores menſarum pedes, ut & in propoſita, & aliis apud Sponium in Miſcell. Antiquit. variarum animalium pedibus adornaverint, id quod ex his Juvenalis agnoſcas Sat. XI. v. 123.

Latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis PARDUS HIATU.

Adeò, ut non tam ex menſa tripede: non tam ex Mure menſæ reliquas rodente; ſed ex menſæ pedibus ditioris alicujus hunc murem hoſpitem evincas. Imò & ex ipſo mure, excepit ARCHÆOPHILUS: Hos enim tenuiorum ædes relinquere, vel ex illo Ciceronis patet, Attic. Lib. 14. *Quod quæris, quid arceſſerim Chryſippum, tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt. Itaque non ſolum inquilini, ſed mures migrarunt.* Non de ædium paupertate, ſed de ruina loquitur author, ſubjecit DULODORUS. In ædibus pauperum mures æquè verſari, ac in palatiis divitum, apparet ex Epigrammate Leonidæ, qui mures tuguriô ſuô ut fugiant, monet, quòd capſa paupercula ſit.

Φέυγεθ' ὑπ' ἐκ καλύβης σκότιοι μύες. ὅτι πενιχρῆ
Μῦς σιπύη βόσκειν οἶδε λεωνίδεω.

Sed potior cura ſubit de menſæ reliquiis, quidnam eæ adumbrent? Perna videtur, inquit ARCHÆPHILUS: Si magnitudo permitteret, reſpondit DULODORUS, tecum ſentirem, ſed ad murem exacta minor eſt, quàm ut perna credi poſſit. Fortè Caricam arbitraberis, ſive ficum aridam, quam ut rodant mures inter alia Ariſton monet, Epigr. ſequenti ex Florilegio Lib. I. c. 33. num. 27.

Ω μύες, εἰ μὲν ἐπ' ἄρτον ἐληλύθατ', ἐς μυχὸν ἄλλον
Στείχετ', (ἐπεὶ λιτὴν οἰκέομεν καλύβην.)
Οὗ και πίονα τυρὸν ἀποδρέψεσθε, καὶ ἄυην
Ἰσχάδα, καὶ δεῖπνον συχνὸν ἀπὸ σκυβάλων.

O mures, ſi ob panem veniſtis, in alienam domum
Pergite (cum tenue inhabitemus tugurium)
Ubi & pinguem caſeum decerpetis & ARIDAM
FICUM, & cænam denſam è reliquiis. &c.

Murem excipit

AQUI-

AQUILA
LEPORI INFESTA.



De lepore, inquit ARCHÆOPHILUS, res aperta eſt; De ave autem, an non Milvus ſit, dubitari poteſt. Aquilas, reſpondit DULODORUS, Lepores unguibus vel portantes, vel carpentes, etiam in Nummis Siciliæ & Magnæ Græciæ oſtendi, iisque ſubſcribit Virgilius Lib. 9. Æneid.

Qualis ubi aut Leporem aut candenti corpore Cycnum,
Suſtulit alta petens pedibus jovis armiger uncis.

Imò & Juvenalis Sat. 14.

Sed leporem & capram famulæ jovis & generoſæ
In ſaltu venantur.

Ubi autem ſimile quid de Milvo? Apud Ælianum ex Cteſia, inquit ARCHÆOPHILUS; Indos enim milvis venari, & lepores comprehendere, citante Aldrovando docet. Longè hoc petitum! exclamavit DULODORUS; niſi alia baſi nitaris, Milvum non admitterem: imò, repoſuit ARCHÆOPHILUS; etiam figura milvum arguit; gibberum enim hoc genus avium eſt, præſertim cum prædæ inhiat, planè qualiter in Gemma viſitur. In Gemma nihil tale, reſpondit DULODORUS. Eminentia major non eſt, quàm aquilæ, caput verſus prædam inclinantis ſolet. Imò nec alterum pedem elevat, id quod milvis, gibberâ dorſi eminentiâ prædæ intentis, naturale eſt, adeò ut vel hôc argumentô, Milvum removeas, & tutò de aquila concludas, de qua cùm multa jam ad Numiſmata Agrigentinorum in Theſauri hujus Electoralis Tomo I. dixerim, hic plura non adderem, niſi citante eôdem Aldrovando, Albertus rationem ederet, cur Leporibus Aquilæ infeſtæ ſint? Quænam ea fuerit? excepit ARCHÆOPHILUS. Pellem affectant, inquit DULODORUS; hanc enim ad ova fovenda in nidum deferre ſolent. Quicquid ſit, tanta inde antipatia, tantùm odium, ut & vocem aquilarum lepores perhorreſcant. Ab animatis ad inſtrumenta ut tranſeamus,

LUCERNA
NEPTUNI



Monet. De Lucernis, inquit ARCHÆOPHILUS, integrum volumen composuit Fortunius Licetus, &, ut audio, etiam Cel. Bellorius, cujus tamen librum mihi videre nondum contigit. Bellorii Lucernas, respondit DULODORUS, cum omni ejus supellectile Antiquaria Cimeliarchio Electorali accessisse, pretiô redemtas magnificô, jam suprà dixi, & erit latissimus de iis etiam nobis disserendi campus. In Gemma autem Lucernam cœlatam quis hactenus vidit? Hæc sanè vel sola causa mihi est, ut propositam producam. Nisi flammula in apice arderet, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego poculi genus intelligerem. Tali enim figura est, cum basi insistat. Bases, inquit DULODORUS, etiam Lucernis addi solitas, pluribus apud Licetum exemplis docemur. Illud ad hanc observandum, quod caput Equi manubrium adornet, quale & inter supellectilem antiquariam producam. Equus Soli sacer est, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid igitur, si huic Lucernam hanc addicas? Commodè sanè æternus utriusque ignis hôc symbolô videbitur adumbrari. Si subsistas, respondit DULODORUS, non movebo; quanquam nec Neptuno ratio desit, cùm hic Equum produxisse memoretur. Sed de his uberior disputandi locus infra se pandet. Ad Gemmæ parvitatem, ne forsan hanc contemnas, adjicio Epigramma, in lavacrum conscriptum ex Epigrammatum libro IV. c. 18. n. 19.

Μικρὰ μὲν ἔργα τάδ᾽ ἐςὶν, ἔχει δ᾽ ἡδεῖαν ὀπωπὴν
  Ως ῥόδον ἐν κήποις, ὡς ἴον ἐν ταλάροις.

Parva quidem opera sunt hæc, verum habent dulcem aspectum:
  Ut rosam in hortis, ut violam in corbibus.

Cornidis loco prætereundi non sunt.

MAGI EX ORIENTE,
INFANTI JESU DONA FERENTES.



Licet enim Hi recentius artificium non obscurè præferant, tanta tamen & lapidis


puritas

puritas, & cæli pulchritudo eſt, ut antiquioribus mereatur & apponi & opponi. Magos hos coronatos video, inquit ARCHÆOPHILUS, eorum ad opinionem, qui Reges fuiſſe arbitrati ſunt, unde hodiénum vernaculâ linguâ die heilige Drey Könige vocantur. Ea res, reſpondit DULODORUS, vel præcipuam novitatis ſuſpicionem movet, cùm hiſtoria hæc etiam in Johannis Zimiſcæ Numiſmate apud Carolum du Freſne, in Hiſt. Byzantina occurrat, capitibus non *coronatis*, ſed *pileatis*, pileisque non *rectis*, quales Regum fuiſſe, ſuprà ſub Mithridate diximus, ſed Phrygiorum inſtar verſus frontem propendulis: ut proinde vel hinc colligas, commentum de Regibus tantâ antiquitate donari non poſſe. Quicquid ſit, in propoſito tamen notandum, primum qui Infanti Jeſu ſupplex eſt, coronatum non eſſe, proculdubio coronâ coram Chriſto ad terram projectâ, licet hanc apertè non videamus. Veriſimiliter hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, quid autem eſt, quod Magi hi præferunt? an Aurum, Thus, & Myrrha? At primus globum affert, ſecundus pateras elevat, tertius Phialam oſtentat. Id ideò, reſpondit DULODORUS, quòd aurum Jeſu regnum denotet, regnum autem antiquitus, imò hodiénum ſymbolo globi adumbratum ſit, uti neminem utique latet. Ita & Thus antiquitus non in acerris tantùm præferebatur, ſed & ex patera, ſacris ignibus infundebatur: ut proinde non obſcurè hîc Pontificatus Jeſu Maximus lateat, uti ſub Phialâ, Myrrham continente, ſepultura; Myrrhâ enim cadavera condita, inter alia ex Luca c. 23. v. ult. apparet, ubi Mulieres ad condiendum Jeſu cadaver, aromata & *Myrrham* præparaſſe leguntur. Hæc benè ſe habent, inquit ARCHÆOPHILUS: imò nec de Infante Jeſu, nec de matre Maria dubitari poteſt; omninò enim hîc effìcti ſunt, qualiter deſcribuntur ab Evangeliſta Matthæo; Quid autem hoc, quòd domus arbori cohæret? arborque quaſi effoeta ſuper tectum novas frondes progenerat? Arbor, reſpondet DULODORUS, progeniem Davidicam adumbrare videtur, quæ tempore Mariæ, à Regio virore, ad eam fortunæ ſterilitatem reciderat, ut in urbe patria vix ſtabulum, paupertatis ſuæ aſylum inveniret: in Chriſto autem eò rurſus potentiæ reſurrexit, ut omnem humanam manſionem ſibi ſubjectam virore ſuo & tegeret & protegeret. Imò & illuſtraret, adjecit ARCHÆOPHILUS, id enim ex ſtella videtur confici, quæ Magis apparuit, eosque ex Oriente Hieruſalem, & inde Bethlehemum duxit, quamque artifex & ipſam adjecit, in ſublimi micantem. Stellam hanc, excepit DULODORUS, Artifici vel præcipuam cauſam fuiſſe crediderο, ut hiſtoriam Magorum hoc in lapide conſignaret; Oportunè enim ſtella hæc non cælo tantùm expreſſa eſt, ſed expreſſa eſt eo loco, ubi venula aureo fulgore illuſtriſſima, magnitudineque ſuâ ſtellæ aptiſſima radiabat, adeò ut ſummum in hoc artificis judicium meritò mireris, qui ut venam lapidis pellucidam ſtellæ naturali fulgore radianti aptam, ita & huic ſtellæ, quòd ea in media ſummitate ſplenderet, hanc de Magis hiſtoriam convenientiorem judicavit, quam aliam quamcunque.

His ita deductis DULODORUS ad Supellectilem Antiquariam tranſiturus erat; Sed ARCHÆOPHILUS, non equidem miſſionem, inquit, peto: dulcior enim eſt mercium tàm nobilium contemplatio, quàm ut ejus ſatietas me capere poſſit; Cùm autem noſtrô hactenus more labores noſtros glorioſô aliquô BRENNONICI JOVIS in genus humanum meritô deſtinxerimus, multò Nos juſtius id arbitror heîc facturos, poſtquam *duo* Gazophilacii Electoralis *Membra* feliciter exegimus. Jamdudum me cupido tenet, ACADEMIAM ARTIUM noſcendi, quam in ſua hac Regia, ELECTOREM BRANDENBURGICUM,

GICUM, dignis tantâ Majeſtate ſumtibus fundaſſe, candidior mihi fama retulit. Quid ais, DULODORE? Anne cedis & hujus ſalutandæ otium? Cedo, inquit ILLE, & quidem tantò lubentius, quantò faventior propoſito affulget occaſio. Fervet ſedulitas, & hâc etiam horâ, opinor, non ſtudioſos tantùm, ſed & Profeſſores congregatos offendes. His auditis ARCHÆOPHILUS confeſtim ſurrexit. Surrexit & DULODORUS, brevique ſalutationis comitate prævià, Ille ad conſtitutum properavit, Hic Numiſmatibus & Gemmis decenter iterum compoſitis, Gazophylacium clauſit, & ſimul digreſſus eſt.







Edat Parrhaſiæ ſtudium ſublime Tabernæ!
Cedat Apellææ gloria priſca Scholæ!
BRENNONICI nutrit Generoſa potentia SCEPTRI
Quicquid Roma artis, Græcia quicquid habet!

His verbis ARCHÆOPHILUS, luſtratâ Artium Academiâ, in Cimeliarchium Electorale redux, DULODORUM affatus eſt; Et Ille: Adeonè, inquit, Tibi ſatisfecit inſtitutum, ut etiam priſcis Artificum officinis ejus primordia præferas? Non priſcas tantùm, reſpondit ARCÆOPHILUS, ſed & modernas plerasque, ſi incrementum accedat, ſuperaturam confido; Neque enim in *Belgio*, neque in *Gallia*, neque in ipſa artium parente *Italia* & *Roma*, majorem vel Artificum excellentiam, vel Diſcipulorum ſolertiam deprehendi. Et quid de ordine loquar? cùm omnia hîc decenter utique diſtincta ſint? Non *Pictorum* tantùm, ſed & *Statuariorum*, *Sculptorum*, *Cœlatorum*, tota Europa celeberrimorum, hîc vidi Collegia. Vidi diſtinctos *Pictores* in *eos*, qui Tabellas grandiores coloribus oleaginis: & *eos*, qui minutas coloribus aqueis pingunt: Vidi diſtinctos in *eos*, qui in Imaginibus: & *eos*, qui in Hiſtoriis: & *eos*, qui in Regionibus: & *eos*, qui in Architectonicis delineandis excellunt. Et ne vel æmulatio ordines turbare, vel meritorum mercedem invidia intervertere poſſit, tota Academia ſuo Præſide regitur, judiciaque de laboribus, more priſcô, calculis bicoloribus in urnam conjiciendis exercentur, quæ res ſalutaris omninò eſt, & divinam ſimul Prudentiam extollit Ejus, cujus conſiliô inſtitutum tam glorioſum innititur. ELECTOR is eſt, reſpondit DULODORUS. Ut Solis inſtar, & copiam & ordinem in omnes ſuas Provincias, in omnia ſuorum Collegia diffundit, ita & Academiæ Artium adeò ſapienter, adeò magnificè proſpexit, ut non videam, quid ejus incremento deeſſe poſſit. Salaria annua Artificum plerorumque ultrà Imperiales mille aſſurgunt, ſtatutaque ſunt honoraria iis, quorum labores Artificum calculô probantur. Et ne exempla deeſſent, ad quorum cynoſuram ſtudioſa juventus formetur, Statuarum & Marmorum totâ Europâ celeberrimorum ectypa, immenſis ſanè ſumtibus curata, & per tanta marium & fluminum ſpatia advecta, in ipſo Academiæ interiore Palatio radiant. Ea vidi, excepit ARCHÆOPHILUS, & fateor, cùm contemplarer, in ipſa Italia mihi videbar con-

ſiſtere, adeò *Laocoon* me delectavit, ſinuoſis Draconum voluminibus conatu heroico obnitens: adeò *Venus Gnidia*, ſpecioſiſſimâ corporis nuditate ſpectatorum oculis expoſita. Et quid *M. Aurelium* loquar, equeſtri ſtatua ſublimem? Quid alia innumera artis abſolutiſſimæ monumenta? Si ectypa tantùm placuére, regeſſit DULODORUS, quid placebunt prototypa? Sed horum gloria jamdudum Eruditis innotuit. Ad noſtra revertimur, non *Statuas* tantùm, & *imagines*, ſed & *Clypeos*, *Signa*, *Sigilla*, *Urnas*, *Lampades* aliaque Veterum *inſtrumenta* ſolitô luſtraturi colloquiô, idque eò hôc locô juſtiùs, quò clariora ſimul ſunt tot artium apud Antiquos exquiſitiſſimarum teſtimonia! Annuit ARCHÆOPHILUS, & quidem cum gaudio. Igitur DULODORUS, ut ordine procedamus, inquit, totam hanc ſupellectilem in *Tria capita* diſtinguimus, in *primo* ea contemplaturi, quæ ad *Deos* pertinent. Inter hos à Jove principium fiet; Primum enim ſe ſiſtit

JUPITER CAPITOLINUS,

Qui aliter etiam *optimus Maximus* dictus eſt, Cicerone teſte, *quòd velit & poſſit omnibus prodeſſe*; Jupiter enim quaſi *Juvans Pater* dicitur. Hæc vulgaria ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Quin potius edoces, quô indiciô Jovem Capitolinum agnoſcas? id quod oppidò difficile videtur. Primò enim dubium eſſe poterit, annon Regis cujusdam Barbari hoc caput ſit? Deinde, ſi *Jovis* eſſe concedam, quis indubiè ad *Capitolinum* reſpiciat? cùm idem planè Jovis barbati caput etiam in Numiſmatibus occurrat, ſed aliis, & quidem innumeris cognominibus variatum? Scio, inquit DULODORUS, ſed propoſitum cum eo ex aſſe convenit, cui in Nummo Petillii CAPITOLINUS adſcribitur, cùmque Româ advectum, & Celeberrimo Bellorio Capitolini creditum ſit, neſcio, quæ ratio me ab aſſerto dimovere debeat. Diadema, excepit ARCHÆOPHILUS, & Fibula ſuper humerum Chlamydi innexa; Hæc enim, neſcio, an Jovi dari poſſit? Imò & illud neſcio, annon Regem quendam indubiè demonſtret? Utrumque, reſpondit DULODORUS, & Diadema & Fibula chlamydi innexa, ea in Jovis effigie cernitur, quæ in nummo argenteo apud Equitem Patinum in Familiis Incertis, I. O. M. CAPITOLINUS inſcribitur adeò, ut vel hôc exemplô nullum omninò de propoſito relinquatur dubium; quanquam ſi Regis cujusdam hoc caput arbitreris, non admodum reſtiturus ſim, ſed eâ lege, ut doceas cujus ſit? Id non potero, reſpondit ARCHÆOPHILUS; Indeque Tibi accedere & tutius arbitror, & utilius; Proculdubio enim de Jove Capitolino quædam dubia mihi ſolves. *Capitolinum* à *Capitolio* dictum, quòd Tarquinius in eo Templum fundaverit, in propatulo jacet: ſed unde *Capitolium*? niſi enim fallor, mons Capitolinus ante *Tarpejus* dicebatur. Imò vetuſtiſſimis temporibus *Saturnius*, reſpondit DULODORUS, ut Poëtâ canit, à Saturno eum habitante:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.
Janiculum huic, illi fuerat SATURNIA nomen.

Adeò ut *Saturnius* usque ad Romulum, *Tarpejus* usque ad Tarquinium, ſub Tarquinio autem *Capitolinus* dictus ſit, idque à Capite, quod in fundamentis Templi inventum memoratur, quod Caput Toli fuiſſe, Arnobius videtur innuere. Innuit & Etymon vocis, inquit ARCHÆOPHILUS; Nobis autem non tam de appellatione, quàm de effigie cura ſubit. An hæc templo coæva? De propoſita id non aſſerueris, reſpondit DULODORUS; Coæva enim



enim non marmorea, sed fictilis fuit, referente Plinio lib. 35. c. 12. *Turianum Fregellis accitum, cui locaret Tarquinus Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicandam: FICTELEM fuisse, & ideo miniari solitam.* Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, sculpendi marmoris ars ejus vetustatis non est, ut Marmorea poni potuerit. Imò vetustior, respondit DULODORUS, eôdem enim Pliniô teste, cum origine Olympiadum cœpit; quanquam Romæ sub Tarquinio adhuc incognitam fuisse, haud abs ratione credas; Quis enim artificum urbem nec antiquitate nec potentiâ adhuc nobilem, populique Martii nutricem, præsentiâ suâ honorasset? Utut hæc sint, inquit ARCHÆOPHILUS, juvabit tamen hanc Jovis effigiem intueri; proculdubio enim, si non Antiquissimorum, eorum tamen temporum est, quibus ars marmoris scalpendi Romæ floruit; satis enim concinnè Capillorum lenitas, Frontis & Superciliorum majestas, Genarum & Barbæ decor elucent. Quæ autem figmenti ratio? Quam in Thesauro Palatino tradidi, inquit DULODORUS. Jovis simulacrum, teste Macrobio, Phidias delineavit, idque ex Homero, cujus Il. A. v. 528. sequentia sunt.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Dixit, & nigris superciliis annuit Saturnides;
Ambrosiæ autem comæ defluxerunt Regis
Ex capite immortali, & magnum concussit Olympum.

Olympum concutiunt tempestates. Tempestates in media aëris regione oriuntur. Media aëris regio Physicis Jupiter est, attestantibus & iis nummis, in quibus Jupiter in medio Junonis & Minervæ collocatur, quòd scilicet Juno aëris regionem imam, Minerva autem summam denotet, quæ proinde & ex Jovis vertice nata fingitur. His positis planum utique est, cur barbatum Jovem finxerit artifex? Nubes regionis aëriæ denotat barba, quibus vis ignea tegitur, & simul temperatur: Patet, cur comas utrinque defluentes & ambrosias addiderit? Pluvias designant comæ, quæ ex aëre defluunt, terrisque calore marcentibus nectare quovis & ambrosiâ dulciores sunt: Patet, cur supercilia nigra Poëta cecinerit? Tempestatum horror designatur, quarum fulmina fulmen Jovi affinxére: Quæ omnia latius hîc deduci possent; Sed

JUPITER AMMON



Nos vocat, non barbâ tantùm & comis, ſed & cornibus arietinis ſpectabilis. Inde ſanè *corniger Ammon* Ovidio, *corniger vates* Statio, *corniger Jupiter* & *tortis cornibus Ammon* Lucano, *flexis per tempora cornibus Ammon* Silio Italico vocatur. Hæc Poetæ, excepit ARCHÆOPHILUS. Turnebus autem Jovem Ammonem non cornibus tantùm inſignem, ſed arietis ſpecie cultum author eſt, eumque fulcit & Lucanus, qui Δία κριοπρόσωπον *Jovem arietino vultu* memorat: & Curtius, quo authore *id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò Diis artifices accommodaverunt. Umbilico tenus ARIETI SIMILIS eſt habitus*; Locus pro me eſt, inquit DULODORUS; Apertè enim fatetur, artifices aliâ effigie, ut Deos alios, ita & Jovem Ammonem fingere, & quâ? ſi non eâ quæ millenis in Nummis & Marmoribus proſtat? quæque & in propoſito graphicè adumbratur? Sed unde cornua? excepit ARCHÆOPHILUS. Id pluribus, reſpondit DULODORUS, ex idoneis Authoribus deduxit Lil. Gyraldus Syntagm. II. *Vel* quòd Jupiter Rex Ægypti Amalthæam amârit, ex Diod Siculo: *Vel* quòd amputatô arietis capite ſe oſtenderit Herculi: *Vel* quòd Galeam cum inſigni arietis geſtaverit: *Vel* quòd reverâ cornua habuerit: *Vel* quòd idem fuerit cum ariete Phryxi, & eo, quem ſideribus intulit vetuſtas: *Vel* denique quòd oracula Jovis Ammonis involuta eſſent. Quid inter tot rationes ſequar? excepit ARCHÆOPHILUS. Quod ultima docet, reſpondit DULODORUS; Hoc enim & Ammonis cognomen

men arguit. Ammonis cognomen, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, *Arenoſum* ſignificat, ab Ἄμμος deductum, quod Græcis *arena* eſt. Imò AMUN, reſpondit DULODORUS, Jovis apud Ægyptios nomen eſſe, ex Plutarcho diſcimus, Libro de Iſide & Oſiride: Et Manethus Ægyptius author eſt, eô nomine *arcanum occultumque* ſignificari, cui & Hecatæus adſtipulatur, eôdem Lil. Gyraldô obſervante: adeò, ut non abs ratione inde & rationem cornuum petamus, cùm reliquæ utique nil niſi fabulas ſapiant. Sed vulgò receptas, excepit ARCHÆOPHILUS, quarum proinde dulcedo ſi non juvat, tamen delectat. Si ita ſentias, reſpondit DULODORUS, fabuloſis his aliquantiſper adhuc inhærebimus.

JOVIS AMMONIS ORACULUM COLUMBA CONDIDIT.



De Dodonæo res innotuit, inquit ARCHÆOPHILUS, ibi enim Columbæ oracula edere leguntur; Quis autem de Ammonio? Silius Italicus, reſpondit DULODORUS; Is enim circa finem Libri III. de Bello Punico ſecundo, Oraculum Jovis Ammonis deſcribens, inter cætera & hæc habet:

Nam cui dona Jovis non divulgata per orbem,
In gremio Thebes geminas ſediſſe Columbas?
Quarum Chaonias pennis quæ contigit oras,
Implet fatidicô Dodonida munere quercum;
At quæ Carpathium ſuper Æquor vecta per auras,
In Libyen niveis tranavit concolor alis,
Hanc ſedem primò Cytherëia condidit ales.
Hîc ubi nunc aras, lucosque videtis opacos,

Ductore electô gregis, admirabile dictu!
LANIGERI CAPITIS MEDIA INTER CORNUA PERSTANS,
Marmaricis ALES Populis responsa canebat.
Mox subitum nemus atque annoso robore lucus
Exiluit &c.

Hæc Silius, & ad propositum quàm aptè? cùm Ales media inter cornua Capitis lanigeri hîc perstet? Si diis placet, subjecit ARCHÆOPHILUS, An nescis, lectionem hanc eruditissimo Demstero improbari? *ALES*, inquit, *hîc monstri instar est, nam si de columbis Dodonæum oraculum dantibus loqueretur poëta, eleganter diceretur ALITEM RESPONSA CANERE, quod non sum ignarus à Lactantio Placidio traditum ad v. 105. l. 3. Thebaid. & aliis passim: Nunc cùm de Arietino Oraculo fiat narratio, censeo rescribas:*

Marmaricis ARIES Populis responsa canebat.

Nollem, inquit DULODORUS, Viro alioquin doctissimo hæc excidisse; Si enim *aries* hîc, loco *Alitis* reponatur, utique Aries media inter cornua capitis lanigeri, sive arietis perstaret, id quod monstro similius foret, quàm Columba capiti arietis insistens. Adde quòd non Silius tantùm, sed & Sacerdotes Dodonæi Columbas, tàm in Lybia, quàm etiam apud se vaticinatas asseruerint, à quorum opinione Sacerdotes Ægyptii eò tantùm differebant, quòd locô Columbarum fœminas substituerent, uti latius videre est, apud Herodotnm L. II. c. 44. seq. Τὰ Δωδωναίων φασὶ αἱ προμάντιες, δύο πελείαδας μελαίνας ἐκ θηβέων τῶν Αιγυπτίων ἀναπταμένας, τὴν μὲν αὐτέων, ἐς Λιβύην, τὴν δὲ παρὰ σφέας ἀπικέσθαι. τὴν δὲ ἐς τὺς Λίβυας οἰχομένην πελειάδα λέγυσι Ἄμμωνος χρηςήριον κελεῦσαι τὺς Λίβυας ποιέειν. *Antistites Dodonæorum hæc ajunt: Geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras advolasse, unam quidem in Libyam, alteram ad ipsos. Eam verò, quæ ad Libyas abisset columbam, jussisse, ut Ammonis oraculum conderent.* Hæc Herodotus eôdem planè assertô, quô & Silius:

Hanc sedem primò Cithereïa condidit ales,

Qui proinde nec in modo peccasse credi debet, cùm hunc utique κειμήλιον nostrum (ob raritatem id jure ita appello) egregiè fulciat, & contra quascunque caliginosæ mentis nebulas illustret & defendat. De colore adhuc dubium est, excepit ARCHÆOPHILUS. Herodotus *nigras* facit, Silio autem teste:

Quæ Carpathium super æquor vecta per auras,
In Libyen NIVEIS tranavit concolor alis.

In voce *Niveis*, respondit DULODORUS, jam vulnus agnovisse Heinsium, sed auxiliatrices manus abstinuisse, ait Claudius Dausqueius, profiteturque, se sine ferro, sine cautere persanare, substituto *liveis*, pro *niveis*. Mihi quod vox *liveis* primam producat, metrum obstare videtur, indeque apertiore sensu pro niveis *Nigris* legendum censeo. Minimùm, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc vox cùm re & metro convenit. Unde autem factum est, ut cùm Ægyptii fœminas oraculorum authores facerent, ut Dodonæi de Columbis fabularentur, & quidem nigris? utrumque, respondit DULODORUS, docebit Herodotus Lib. eodem c. 57. *Quod mulieres*, inquit, *à Dodonæis Columbæ vocatæ sint, ob id mihi videtur factum, quia barbaræ essent, quòd scilicet simile quiddam avibus sonare ipsis viderentur. Nigram autem Columbam esse dicentes, Ægyptiam fœminam significant.* De columbis tamen addi etiam potest, quod Servius notat, ad Eclog IX. rem ideo fingi, quòd Linguâ Thessala *Peliades*, & *Columbæ* & *Vaticinatrices* vocentur. Subit

MINER-

MINERVA,



Bellica illa Dea, quam Jovis ex cerebro prognatam, perpetuòque Virginem fuisse, Mythographi docent. Virginem, inquit ARCHÆOPHILUS, ex facie agnosco, quanquam juxta in mentem veniat Orpheus, qui Minervam etiam masculum fuisse asserit:

῎Αρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς, πολεμάτοκε Μῆτι.

Masculus quidem & fœmina suscepta es, Bellorum susceptrix Prudentia.

Ratio in aprico jacet, respondit DULODORUS; Deos enim utriusque sexûs fuisse, alibi docuimus; quod utique in Minerva rationi eô convenientius videtur, quò apertius ejus potestas in opera & virilia & muliebria se extendit. Bella sæpè virorum sunt, nisi fortè Amazones cogites, adeòque hâc ratione Minervam virum & fœminam arbitreris: Textrina autem, cui & ipsi Minerva præposita, ex Ovidio noscitur, ἔργον est fœminarum. De hac inter Gemmas vidimus, allegato ex Admirandis Statuariæ Foro Palladio: De illis res clarior est, quàm ut doceri debeat. Mirum, interrupit ARCHÆOPHILUS, eandem Deam durissimis simul & mollissimis præpositam esse laboribus, Bello & Textrinæ, Viris & Fœminis! Nihil miraberis, inquit DULODORUS, si cogites, Sapientiam, quæ sub Pallade intelligitur, utrinque dominari. Nobis Bellica curæ est. Casside enim insignis est Pallas in Sigillis nostris, brachiaque & pedes in altero ita componit, ut non gradientem tantùm videas, sed & dextrâ hastam, sinistrâ clypeum tenuisse, facilè intelligas. Annon hôc habitu, quæsivit ARCHÆOPHILUS, in Domitiani Nummis visitur? Jaculum ibi vibrat, regessit DULODORUS, quanquam in aliis hastata sit, id quod etiam de

de ea memorat Pausanias, quæ in Piræeo fuit. De hasta & clypeo, perrexit ARCHÆOPHILUS, res vulgata est, non autem est de patera, quam Pallas postrior, tanquam sacrificatura præfert. Palladem sacrificantem, excepit DULODORUS, supra ad Numismata Smyrnæorum & Atticorum vidimus; Id ideò facere videtur, ut ostendatur, etiam prudentissimos Divinæ Potestati subjectos esse, eique supplicare necesse habere. De Jove constat, eum Cœlo sacrificasse, & Pallas cui sacrificet, si non Jovi Patri? Adeò etiam hîc verum est, quod Horatius cecinit:

Omne sub Regno graviore Regnum est!

Minervam excepit

DIANA EPHESIA.

Dianam Ephesiam hanc esse, excepit ARCHÆOPHILUS, nemo negabit. Centena ejus prostant etiam in Numismatibus hôc schemate simulachra, & plus quàm decennium, nisi fallor, effluxit, ex quo Claudius Menetrejus, Cimeliothecæ Barbarinæ præfectus, ejus Statuas & Symbola peculiari tractatu non proposuit tantùm, sed & dilucidè me hercule & eruditè exposuit: Unde an operæ pretium hîc sit, crambem jam coctam recoquere, meritò dubitem. Fateor, inquit DULODORUS, plura Menetrejus Dianæ Ephesiæ simulachra dedit; Ab omnibus tamen abit, quod heic aspicimus. Adde, quòd nec in Commentario tam absolutus sit, quin specilegium nobis reliquerit: ne dicam tam verax, ut dissensûs nulla semita pateat. At quâ in re? interrogavit ARCHÆOPHILUS? Certè *Corona Turrita*, quam in vertice cernimus, symbolum Cybeles est, *boves & fruges* sunt Cereris, *Cervi & rosæ* Dianæ, *Reliqua* Isidis Ægyptiæ; Ex Ægyptiorum enim disciplina Ephesii novum hoc Naturæ numen sub Dianæ indigitamento composuerunt. Ita Menetrejus, & benè! inquit DULODORUS: quanquam idem paulò ante, & in plerisque sequentibus, non Naturæ Numen, sed solam Lunam sub hâc Dianâ arbitretur latere: quod quidem non sine exemplo facit. Ego præcipuas hoc in simulacro Lunæ partes esse, non negavero: vereor tamen, ut primi hujus Idoli Authores eò tantùm respexerint, cùm apud Boissardum ΦΥϹΙϹ ΠΑΝΑΙΟΛΟϹ, NATURA OMNIVARIA, subscribatur. Inde sanè abundè patet, ad solam Lunam hîc respici non debere, sed ut dictum, *ad totam Naturam*, id quod clarius demonstrant affticta his simulacris apud Menetrejum simulacra, non *Lunæ* tantùm, sed & *Solis*. Ita & in Barberinis *Gryphi*, *Soli* potius quàm *Lunæ* addicendi: imò & *Sphynges*, quæ potius Minervæ addicerentur: Et quid opus fuisset, novum hoc Lunæ simulacrum procudere, si sola Luna hîc lateret? cùm utique hæc sub Dianæ Venatricis simulacro, apud hos ipsos etiam Ephesios fuerit? At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon *velum*, annon *nigredo faciei*, *manuum & pedum* soli Lunæ conveniunt? Quid enim his indigitetur, si non opacæ noctis tenebræ? Noctis, inquam, quæ proprium Lunæ, seu Dianæ, tempus est. Ita Menetrejus, respondit DULODORUS; sed quæsò ARCHÆOPHILE, si ita calculum ponas, annon sequeretur, sub hôc Dianæ simulacro non Lunam, sed Noctem latere? Nox enim solet esse nigra, non Luna. Si Dea candida, velum nigrum foret, forsitan tecum sentirem; cùm velum candidum, Dea nigra sit, secus videtur statuendum. Palla Isidis, excepit ARCHÆOPHILUS, simulacrum noctis Apulejo memoratur; Quidni ergò & velum Dianæ? Palla Isidis, respondit DULODORUS, nigerrima fuit, & atro nitore

pag. 224



nitore ſplendeſcens, adeòque Noctis ſimulacrum eſſe potuit; ſecus autem hoc eſt in velo Dianæ, ut dixi, candido. Si Nox ſub velo intelligi non poteſt, inquit ARCHÆOPHILUS, tamen modeſtiæ hoc, & pudoris virginalis indicium eſſe, in confeſſo eſt, quâ ratione quin Dianæ debeatur, ne dubitari quidem poteſt. Quin debeatur, reſpondit DULODORUS, nec mihi dubium eſt, an autem ob modeſtiam & pudorem virginalem? Id eſt, in quô diſſentio. Pudicitia in nummis velô *faciem* tegere ſuevit, non *occiput*, qualiter hîc; qualiter & alibi Juno & Cybele, quas ſanè pudor virginalis jamdudum deſeruerat; Quidni potius ob ſanctitatem, ut in Veſta? aut divinitatem, qualiter in Jove Deorum ſummo, qui apud Martianum Capellam inter publica indumenta, etiam *caput ex poſticis velamine rutilante*, memoratur, *contexiſſe*. De velo acquieſco, excepit ARCHÆOPHILUS; Sed quænam fuerit ratio *nigredinis*, faciei, manuum, & pedum? cùm cœtera hujus ſimulacri ſint candida? Non alia, reſpondit DULODORUS, quàm Numinis obſcuritas. Videbant Epheſii Lunæ vires univerſæ Mundi machinæ non ſufficere: Videbant & Lunæ interdum defectus. Hinc eò devenerunt, ut majus quoddam Numen ſtatuerent; Cùm autem ejus naturam non aſſequerentur, credibile eſt nigro ore, manibus, & pedibus id eos efformaſſe, eâdem ratione, quâ Athenienſes, ut apud Pauſaniam, & in Sacris eſt, aram poſuerunt, Θεοῖς ἀγνώςοις, *Diis incognitis*. Si hæc ratio foret, inquit ARCHÆOPHILUS, facies, manus, & pedes in omnibus Deorum ſimulacris eſſent nigræ; Sed res ſecus ſe habet. Nullô modô, reſpondit DULODORUS, pauci enim eò devenerunt, ut Deorum ſuorum naturam obſcuram eſſe faterentur. Qui creaturas adorârunt, utique Deos ſibi cognitos credebant. Minimùm, perrexit ARCHÆOPHILUS, in iis, ubi facies, manus, & pedes à reliquo ornatu diſtinguntur, ea ratio foret; Et tamen nec in his nigredo apparet: In ſtatuis Apollinis & Veneris apud Pauſaniam p. 577. & 640. Os, Manus & imi Pedes è marmore, reliqua è ligno memorantur: Apud Eundem p. 592. ſignum Minervæ itidem ligneum, facie, ſummis manibus, ac pedibus, eburneis legitur. Eburneis, inquam; Ebur enim candidum eſſe, quis neſcit? Diverſa in his ratio eſt, reſpondit DULODORUS. Ad dignitatem reſpexêre artifices, indeque cùm veſtes ligneas facerent, faciem tamen, ſummasque manus, & pedes, ex materiâ nobiliore, Marmore puta aut Ebore formârunt: In Dianæ autem Epheſiæ ſimulacro ſimul ad Numinis obſcuritatem videntur reſpexiſſe, quicunque primùm ex Ebeno fecerunt, ut plures teſte Plinio tradiderunt. Ebenum certè nigrum eſſe, etiam vulgò patet. Pateat, inquit ARCHÆOPHILUS, modò tanta ſit pluribus Authoritas, ut aſſertum fulcire poſſint. An neſcis, Vitruvium Dianam Epheſiam ex *Cedro* memorare factam? An neſcis, alios *Vitigineam* prædicare, inter quos apud Eundem Plinium Mucianus Conſul, qui illud proximè ſpectavit? Hæc ſcio, inquit DULODORUS, & facilè arbitror conciliari poſſe, etiam non moroſioribus; Quid enim, ſi Facies, Pedes & Manus ex Ebeno, reliqua autem vel ex Cedro, vel vitiginea fuerint? Nonne ritè diceretur, vel cum pluribus, fuiſſe ex Ebeno, intelligendo ipſam Deam? vel cum Vitruvio, aut Muciano, fuiſſe vel ex Cedro, vel Vitigineam, intelligendo de reliquo corpore, & veſtium ornatu? Credibile ſanè eſt, ad primi prototypon reliqua, ſi non materiâ, tamen colore fuiſſe expreſſa, indeque non tantùm in Noſtro, ſed & in omnibus, quæ Menetrejus dedit, rem eandem occurrere, quod ſanè de nihilo non eſt.

Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Victoriæ ſibi volunt, Dianam hanc corollis & palmis ornantes? Annon indicant Numinis hujus (nam de Lunâ non amplius cogitare auſim) poteſtati cuncta ſubmitti? Non adeò malè, reſpondit DULODORUS, quanquam propriè ad res bellicas hæ Victoriæ videantur reſpicere, quòd ſcilicet etiam has dirigat, viresque ſuas non in Phyſicis tantùm, ſed etiam in moralibus & politicis exſerat; Hinc ſanè eſt, quòd in nummis Gordiani Pii, Diana Epheſia à duabus Victoriolis volantibus coronetur, quaſi ea Gordiano contra Perſas Victorias indulſiſſet, earumque gloria ſeſe efferret: id quod & in alio Numiſmate locum habet, in quo Gordianus idem Dianam Noſtram ſecum navi vectam, ipſe coronat, ut apud Menetrejum videre eſt, adeò ut non ideò tantùm, quòd Victoriæ Dianæ gratæ fuerint; ſed etiam, quòd ab ejus nutu dependerint, hîc expreſſas ſtatuamus, pari ratione quâ & reliqua hujus ſtatuæ ſimulacra.

Numen Naturæ loqueris, inquit ARCHÆOPHILUS, & tamen Politicis id actionibus præfuiſſe contendis, id quâ ratione fieri poteſt? Eâdem, reſpondit DULODORUS, quâ & in Iſide Ægyptiorum, quam & ipſam Naturæ Numen eſſe, in confeſſo eſt; & tamen Apulejus aſſerit, *res prorſus humanas ipſius regi providentiâ.* Et quale eſt, quòd ipſa apud eundem, *Cecropiam Minervam* ſe eſſe aſſerit? quale quòd, notante Lilio Gyraldo, eadem cum *Bellona*, bellicis utique Numinibus, & quorum vires non tam circa phyſica corporum incrementa & decrementa, quàm circa animorum habitum, prodeuntesque ex utriſque actiones humanas verſantur? quâ ratione forſan nec ἄτοπον hîc erit, ſi Dianæ Hegemaches, *in bellum ductricis*, hîc memoriam ex Pauſania refricem; ſi ex eodem & Mardonii exercitum, ductu Dianæ devictum memorem. Et quis dijudicet, annon eâdem ratione & in arca Cypſeli Diana alata fuerit, cujus rei cauſam Pauſanias ſibi incognitam fatetur? Alata ſanè etiam in Numiſmatibus Trajani apud Triſtanum occurrit. Veriſimiliter hæc exequeris, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem eſt, quòd Cancrum hæ Victoriæ coronant, & Encarpo fructuum inſiſtunt? Annon hæc Dianæ ſymbola ſint? Cancer ſanè multas ob cauſas ei fuit acceptus, easque eruditè congeſſit Meneſtrejus. Hujus laudi nihil derogo, reſpondit DULODORUS; Sed ego in hoc ſimulacro potius ad mare reſpexerim, cujus ut incola, ita & ſymbolum in Numiſmatibus Cancer non raro occurrit; Nec enim fruſtrà Victoriæ hæ Encarpo videntur inſiſtere, laureamque ſupra cancrum extollere. Encarpus Terræ fruges continet, adeòque Terram repræſentat, ut Cancer Mare: indeque planum eſt, Victorias hôc ſitu tàm maritimas, quàm terreſtres adumbrari, quòd ſcilicet utræque à Dianæ noſtræ providentiâ & nutu dependeant, quòdque terreſtres proventus, bellorum nervus & baſis ſint, quorum gloria non terras tantùm, ſed & æquora ſuperat. Encarpus, inquit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor, pomis & roſis diſtinguitur. Id inde, perrexit DULODORUS, quòd Roſæ inter flores, Poma autem inter fœtus arboreos præcellunt, duobusque his univerſa ferè terreſtrium animantium corona nutritur, indeque ſub Encarpo Mammas, nutritionis inſtrumenta, ſub mammis autem varia animantium genera cernis. Sunt *Cervi*, qui Dianæ propriè ſacrantur. Sunt *Leones*, Cybeli ſacri. Sunt *Pantheræ*, Baccho dicati. Sunt *Apes* volatilium ex genere. Sunt capita *Arietis* & *Tauri* ex Gregibus & Armentis: Quæ omnia non aliâ ratione affixa videntur, quàm quòd Naturæ beneficiô vivant. *Vivant*, inquam, id eſt, & *ortum trahant* & *nutriantur*, quorum poſterius

rius inde patet, quòd sub mammis effiĉta sint: prius inde, quòd habitum, ex Numinis hujus corpore prosilentium, præferant.

Caput Arietis, excepit ARCHÆOPHILUS, sanitatis solet esse symbolum. Fortassis & huc respiciendum; Sanitatem enim à Natura dependere, certum est. Id non negavero, respondit DULODORUS, imò & alias adhuc rationes concurrere posse, mihi facilè persuasero, quid enim, si sub capitibus Arietis & Tauri Veris principia lateant, quibus Natura novo conatu sese reparare solet? Quid si sub Apibus, simul apum in agro Ephesino copia adumbretur, de quâ ex Conone Photius memorat? Hæc utut sint, inquit ARCHÆOPHILUS, Lunæ tamen hoc in simulacro rationes præcipuas oportet fuisse, utpote cujus beneficiô ros nasci solet, præcipuum non Apum tantùm, sed & Cervorum nutrimentum: Cervorum, inquam, qui & numerô suô hoc in simulacro excellunt. *Novem* numeramus, cùm *tres* tantùm sint Leones, *tres* itidem Pantheræ, *duæ* Apes, *duo* capita Arietum, *duo* Taurorum. Hoc ego inficias non iero, respondit DULODORUS; Res enim etiam ex affiĉto duplici sub brachiis Lunæ simulachro patet. Tune hæc simulacra Lunæ arbitraris? excepit ARCHÆOPHILUS, at Menetrejus figuras has alatas esse censet? Si alatæ forent, respondit DULODORUS, vel sphynges crederes, quales in statua Eminentissimi Cardinalis Barberini visuntur, vel certè Victorias, de quibus jam suprà diĉtum est; Sed pace Tuâ dixerim, non Alæ has figuras decorant; sed Luna falcata humeris affingitur, qualiter in Deo Luno, qualiter & in Augustis quibusdam ad oculum patet: Adeò, ut non ex numerô Cervorum tantùm, imò & ex his utroque in latere affiĉtis Lunæ simulacris, pateat, quod ab initio dedimus, præcipuam in Dianâ hâc Ephesiâ, esse Lunæ rationem, quanquam Luna ipsa hæc non sit.

Si Luna non sit, respondit ARCHÆOPHILUS, fortassis poterit Terra esse; Ut enim, vel Sacro Codice attestante, Diana Ephesia *Magna* cognominabatur: ita & *Magna* cognominabatur etiam Terra, ut apud Pausaniam legimus, & ad hanc utique respiciunt etiam Corona Turrita & Encarpus, ut jam supra fassus es. Hoc si arbitreris, inquit DULODORUS, prout forsitan & ratio subest, nigredinem, quam suprà de obscuritate Numinis interpretatus sum, de colore Terræ poteris intelligere; Utut autem Terra velut alma viventium mater, non minus ac Luna, hîc concurrere videatur, Dianam tamen nostram, Terram ipsam esse, tantum abest, quantum Deus à Natura, quantum Natura, ut in scholis loquuntur, Naturans à Naturâ Naturatâ. Divinitatem artifex ab oculos ponere voluit, non Creaturam, indeque Numen, & Lunam, & Terram, & omnia gubernans. Numen id manibus apertis effinxit, ad indicandam hujus Numinis liberalitatem; Sponte enim suâ, omni rerum abundantiâ creaturas ditat. A manibus, excepit ARCHÆOPHILUS, non quidem in hoc, sed in plerisque aliis Dianæ nostræ simulacris, Verua descendunt. Ea fulcra fuisse, Lucas Holstenius ad Cardinalem Barberinum scripsit; Cùm autem ea utplurimùm in basin concurrant, globulisque quibusdam sibi invicem connexis constent, congrua mihi nascitur de veritate illius sententiæ dubitandi ratio; Quid enim statuam fulciant, à basi non distantia? nonne eadem erit debilitas, quæ & ipsius basis? In basin aliquando, respondit DULODORUS, verua concurrere, Numismata nos docent; sed eadem nos docent, id perpetuum non esse; in plurimis enim à manibus perpendiculariter descendunt, à basi statuæ tantum semota, quantum & manus à corpore, adeò ut sententia

Holſtenii non vacillet. Quod autem globulis hæc verua utplurimùm conſtent, illud præcipuæ cauſæ eſſe potuerit, quod rore matutinô Numen hoc terreſtria reſpergat; globulis enim roris guttas præfigurari, facilè crediderim: indeque, ut eam conjecturam admittam, Cervi faciunt, qui ubicunque adduntur, retortis ferè capitibus finguntur, 'tanquam rorem à Dea deſcendentem excepturi, id quod anhelanti ore eos facere, Phyſici jamdudum obſervârunt. Rorem à Lunâ generari, inquit ARCHÆOPHILUS, iidem ſtatuunt, indeque ſi hæc ratio foret, utique Luna ſub hoc Numine lateret, id quod ſuprà te negâſſe memini. Quaſi verò, retorſit DULODORUS, non & Lunæ opera Divinitati ſint adſcribenda; At ego jam ab initio dixi, non quidem Lunam aut Terram, ſed Divinitatem tam Lunæ & Terræ, quàm totius Univerſi Dominam, hîc adumbrari. Quid igitur mirum, ſi & Lunæ opera huic Deæ adſcribantur? Sed ad alia pergo. Sequitur

DIANA LUCIFERA,



Diverſis Sigillorum ſchematibus. Diverſis, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed ubique non obviis; Quis enim Dianam Luciferam globo inſiſtentem protulit? Globo inſiſtentem, reſpondit DULODORUS, etiam videas in Gemma Liceti, quamvis ille *Auroram* interpretetur, quô nomine non injuriâ Clariſſimo Gronovio vapulat. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed illa facem non extollit, ut propoſita, ſed deprimit. Hòc perinde eſt, excepit DULO-

DULODORUS; neque enim aliud indicat differentia, quàm Lunæ vel Ortum vel Occasum. Lunam in capite video, perrexit ARCHÆOPHILUS, quid igitur opus face? ut Lunæ lumen significetur, respondit DULODORUS, quod a Sole mutuatum Orbi subjecto tempore nocturnô Luna communicat, a face sanè δαδοῦχος *facifera*, Orpheo: à Lumine φωσφόρος Phurnuto appellatur, quod idem est ac in Numismatibus Faustinæ aliorumque *Lucifera*. Duas faces Dianam præferre, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor, ex nummo Corinthiorum, honori Getæ percusso, ex Vaillantio Col. T. II. recordor. Duas, respondit DULODORUS, etiam altera propositarum videtur prætulisse; licet enim injuria, nescio cujus? eas abstulerit, manubria tamen in utraque manu adhuc clariora sunt, quàm ut dubitari de iis possit: Videtur autem non dissimili ratione duas interdum faces præferre, quâ & duobus Equis vehi: sive quòd suô & Solis lumine, sive quòd noctu & die luceat, sive quòd lucem Orbi & hominibus tribuat; Eandem enim esse Dianam, sive Lunam Luciferam, & Junonem Lucinam, ex Cicerone patet L. II. de Nat. Deor. *Luna à lucendo nominata; Eadem enim Lucina. Itaque ut apud Græcos DIANAM, eamque LUCIFERAM, sic apud Nostros JUNONEM LUCINAM in pariendo invocant.* Sed de his plura videre poteris apud Illustrissimum SPANHEMIUM in Notis ad Callimachum, qui inter alia & ex Sophocle Dianam ἀμφίπυρον dictam observat, id quod ad duas faces apprimè facit. Notandum autem, faces has duas Dianam & ipsas videri deorsum pressisse, non minus ac in Gemma Liceti. Alia video, excepit ARCHÆOPHILUS, quæ ut mihi obscura, ita à vulgatis diversa sunt; *Primò* enim tunica ad pedes usque porrigitur, quæ aliâs vix ad genua pertingit; *Secundò*, non lunâ tantùm in capite est, sed & velum, & quidem in alterâ, stellis argenteis distinctum. Velum, respondit DULODORUS, non tàm Noctem, quàm Cœlum adumbrare, vel ex Stellis agnoscas: Inde sanè in Numismatibus etiam Faustina cum sceptro aquilæ insidens velô stellatô conspicua est & ipsa, ut scilicet cœlo & astris illata, typô evidenti significetur. Faustinam memoras, inquit ARCHÆOPHILUS; quid igitur si Faustinam hoc simulacrum exprimat? Id si arbitreris, respondit DULODORUS, celeberrimo Bellorio suffragaberis, & fateor Faustinæ à facie hujus simulacri facies adeò diversa non est. Ita nec insolitum, Dianæ Luciferæ sub habitu eam exprimi. Numismata id indubiè testantur; Sed libera hic sit opinio cuique. Ad Lunam inter stellas facit Virgilius, cui *Astrorum decus* vocatur: Imò & Horatius cui *inter ignes Luna minores* memoratur. Ad Tunicam quod attinet, non Lucifera tantùm, sed & Venatrix interdum ad talos eam demittit, uti videre est ex Num. Augusti IMP. X. inscripto. Utut autem Lucifera hîc ad talos usque Tunicam demittat, geminô tamen cinctu eam adornavit, adeò ut ritè huc alleges illud Claud. L. 2. de raptu v. 33.

Crispatur gemio vestis Gortynia Cinctu
Poplite fusa tenus.

Poplite tenus, inquit ARCHÆOPHILUS, at in sequentibus

DIANA VENATRIX



Tunicam ad genua tantùm dimittit? Nec his authoritas deeſt, reſpondit DULODORUS. Audiatur ipſa apud Callimachum in Hymno v. 11. ſeq. ad Jovem:

> Δός μοι — Φαεσφορίην τε, καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
> Ζωννῦσθαι λεγνωτὸν, ἵν' ἄγρια θηρία καίνω.

> *Da mihi Lucis geſtationem, & AD GENU USQUE tunicam*
> *Succingi fimbriatam, quando agreſtes feras perimo.*

Ad tunicam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam illud ſuccurrit, quòd Demſterus ad Roſinum notat, à tunica ſcilicet Dianam χιτώνην dictam eſſe. Χιτώνη ſanè aliquoties eſt in Inſcriptionibus apud Gruterum, & apud Poëtas ſæpius. Scio, reſpondit DULODORUS; An autem hæc Etymi ratio ſit, meritò dubitem, cum χιτῶνα genus veſtis virilis fuiſſe, Grammatici teſtentur. Quidni potius vel ab Atticæ Populis χιτώνη fuerit appellata? vel certè, quòd veſtes infantum ei ſuſpenderentur, uti Scholiaſtes Callimachi habet? qui mo-

dus

dus an hodieque in uſu ſit, uti Annæ Tanaquillæ placet, meritò dubitem; aliud enim eſt, veſtes infantum Diis ſuſpendere, aliud infantes Sancto alicui conſecrare, ejusque habitu exornare. Aſſerto fidem ipſa faciat, excepit ARCHÆOPHILUS, in propoſitis illud peculiare eſt, quòd Diana Lunam in capite non habeat. Luna, excepit DULODORUS, Dianæ Venatrici perpetua non eſt. Perpetuæ autem ſunt Pharetra & Arcus, vulgata Dianæ geſtamina, quamvis vulgatum non ſit, quòd arcum Dianæ Cyclopes fabricaverint, Callimacho teſtante: quòdque arcus, *aureus* fuerit, ex traditione Homeri. Ita licet nota ſint Epitheta, ſimulacris his ſervientia, *Jaculatricis* apud Ovidium 5. Met. *Pharetratæ* apud Statium I. Th. *Arcitenentis* apud Senecam: nota tamen non ſunt, quæ Græci tradire, quibus ab arcu τοξότις, à ſagittis τάχειρα, à canibus σκυλακίτις, à curſu εὔδρομος audit, ut apud Orpheum, aliosque videre eſt. Cæterùm & illud hîc notari meretur, quòd Pauſanias memorat in Achaicis, Dianam ſcilicet ſagittas è pharetra promentem, qualis propoſitarum altera eſt, qualemque & Nummus Epheſiorum apud Jacob. de Wilde exhibet, in Caſtello Phelloë fuiſſe: Ut taceam, quæ idem de Cane refert, Dianæ vel aſſidente, vel aſſiſtente, in Arcadicis & Phocicis. Etiam hæc, excepit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmatibus ſatis vulgaria ſunt: Nec hoc inficias ibo, reſpondit DULODORUS, quanquam juxta addendum cenſeam, quod idem Callimachus docuit, *Canes Dianam à Pane accepiſſe:* Et quod Demſterus ad Roſinum obſervat, Canes Dianæ in catenis appoſitos fuiſſe, adeò ut dubitare poſſis, utrum Diana propoſitarum altera ſiniſtrâ ſagittam, an verò catenam tenuerit?

DIANÆ CLYPEUS



Subit, in quo illud peculiare eſt, quod ſupra frontem loco Lunæ, in Lunæ corniculatæ

niculatæ figuram Diana comas religârit. Clypeus hic, excepit ARCHÆOPHILUS, mihi admodum placet, quamvis quô fine ei Diana inserta sit, non intelligam. Ut votivum agnoscas, respondit DULODORUS; Clypeos enim votivos vel sine vel cum imaginibus Deorum suspendi solitos, ex Nummis Augusti & Tiberii, ut alios taceam, abundè patet, eòque pertinet non propositus tantùm Dianæ, sed & in sequentibus alter Mercurii, alter Bacchi: Ad quos antequam descendamus, placet de Numinibus ipsis videre.

MERCURIUS



Prior est. In plerisque horum, excepit ARCHÆOPHILUS, nihil novi est; Quis enim nescit, Mercurium Crumenam gestare? gestare Caduceum, Galerum, Chlamydem? cùm dudum his insignibus ex Numismatibus innotuerit, uti inter alios videre est apud Illustrissimum Spanhemium ad Cæsares Juliani, p. 8. Recordor, inquit DULODORUS, sed semita Antiquitatis etiam tritissima, flores suppeditat non absque insigni voluptatis sensu carpendos; Quis enim, si GALERUM in capite Mercurii cernat, non libenter juxta contempletur illud Statii I. Thebaidos.

Obnubitque comas, & temperat astra Galero?

Si CHLAMYDEM, non locum Apulejii L. X. Metamorph. *Adest luculentus puer nudus, nisi quod EPHEBICA CHLAMYDE sinistrum tegebat humerum: flavis crinibus usquequaque conspicuus: & inter comas ejus aureæ pinnulæ cognatione simili sociatæ prominebant, quem caduceum & virgula Mercurium indicabat.* Non ad Chlamydem tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, imò etiam

etiam de Caduceo locus inſtruit, quem procul dubio ob inventionem fœderum geſtat; Pacis enim Caduceus indicium eſt. Non nego, reſpondit DULODORUS, imò potius inde rationem colligo, cur & ſomno & morti fingatur adhiberi. Quid enim magis pacificum? De morte teſtatur Horatius:

Tu pias lætis animas reducis
Sedibus.

De Somno Homerus Odyſſ. E. v. 47.

Ἕιλετο δὲ ῥάβδον τῆ δ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
Ὧν ἐθέλει, τὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἔγειρει.
Cepit autem virgam, quâ virorum oculos demulcet,
Quorumcunque vult, eos autem ipſos ſopitos excitat.

Sed Virgilius utrumque conjungit, his verſibus:

Tum virgam capit, hâc animas ille evocat Orco,
Pallentes alias ſub triſtia tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Mercurium Sermonis Deum credebam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid autem huic cum morte, quid cum ſomno? Nonne ſermonis blanditiæ, repoſuit DULODORUS, mortem tolerabiliorem reddunt? nonne & animas recreant, & corpora conſiliô interdum ex ipſis mortis faucibus eripiunt? Ita & ſermonem ſomnum conciliare, exemplô ſuô vel ipſe Mercurius docuit, quando lepidis narratiunculis, vel centum Argi lumina devicit. Somnum diſcutere, clarius eſt, quàm ut demonſtrari debeat.

CRUMENAM adhuc video, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid hæc ad ſermonis Deum? Multum, reſpondit DULODORUS, omnia enim lucra ſermone procurantur: Omnis mercatura eô vertitur; Mercurius, inquit Arnobius, quaſi quidam *medicurrius* dictus eſt, quòd inter loquentes duos media currat & reciprocetur Oratio. Idem paulò poſt, Mercurium ex mente Gentilium non tantùm *verborum excogitatorem & nominum*, ſed & *Nundinarum, Mercium, commerciorumque mutatorem* appellat, unde ipſe apud Plautum in Prologo Amphitruonis:

Ut vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me lætum lucris
Afficere &c.

Lætus, repetiit ARCHÆOPHILUS, etiam in ſigillis viſitur, & planè qualiter Galeno deſcribitur in Suaſoria: Νεανίσκος ἐςιν ὡραῖος ὐκ ἐπίκτητον ὐδὲ κομμωτικὸν ἔχων κάλλος, ἀλλ' εὐθὺς ὥςε συνεμφαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν δ' αὐτῦ. ἐςὶ δὲ φαιδρὸς μὲν τὰς ὄψεις. *Adoleſcens eſt primæ lanuginis, non adſcititiâ neque fucatâ indutus pulchritudine, ſed in qua animi virtus ſtatim compareat. Eſt autem hilari vultu.* Hæc benè ſe habent, excepit DULODORUS, notandum autem, etiam Mercurium barbatum Pauſaniæ memorari, cujus ſimulacrum in MScto Pighii viſitur. Nos imberbem perſequimur. Prodit

MERCURIUS
CUM
CORNUBUS COPIÆ, ET CAPITE CYGNI SUPRA GALERUM.



In imagine ex ære rariſſima & venuſtiſſima. Caput Cygni Tu hoc? excepit ARCHÆOPHILUS. Mihi Anſeris videtur. Quid autem huic cum Mercurio? Si Anſeris foret, reſpondit DULODORUS, vigilantiæ ſymbolum eſſe

esse posset, uti videre est, apud Licetum ad Lucernam simili capite insignitam: Respici posset & ad Isidem, cui Anserem sacrum fuisse nemo nescit: eòque facere posset Mercurius cum sistro & situla, cui nisi fallor & ipsi anser adjectus est, apud Pignorium ad Mens. Isiacam p. 90. & alios. Anser, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Junoni sacer fuit. Juno, respondit DULODORUS, cum Iside fuit eadem. Si tamen seorsim eam consideres, poteris ad aërem respicere, cujus Juno Dea est, cujusque ut sensus Anseribus maximus, ita usus Mercurio frequentissimus:

Jussa per auras
Verba patris porto,


Inquit ipse, apud Ovid. Met. 2. Sed me judice, ut dictum, non Anseris, sed Oloris aut Cygni hoc caput videtur: Cygnos, excepit ARCHÆOPHILUS, Apollini, imò & Veneri sacros novi, Mercurio sacros non novi. Apertum testimonium, respondit DULODORUS, fateor nec mihi hactenus occurrit, arbitror tamen ei tribui posse ob Leporem orationis, cujus Mercurius præses fuit. De oratione ligatâ, subjecit ARCHÆOPHILUS, id asserueris, quâ ratione Poëtas *Cygnos* appellatos, ex Horatio novimus, nec injuria: Μȣσάων ὄρνιθες Cygni Callimacho vocantur, & eosdem *circa Musas canere*, Himerius apud Photium author est: ut proinde non mireris, Apollini Musarum Poëtarumque præsidi sacros esse, cujus alias quòd etiam vaticinia æmularetur, μαντιπόλοι Oppiano dicti sunt, quid autem hæc ad Mercurium? quid ad Orationem solutam? Leporem Orationis, respondit DULODORUS, non ligatæ tantùm, sed & solutæ Cygnos indicare, unico teste Luciano confecero; Is enim de Electro aut Cygnis, licet solutâ oratione scriberet, metuit tamen ne Lectores sui Cygnos, id est orationis dulcedinem apud se inventuros sperent. Et quid Venus ad Poëtas? non ne & huic ob venustatem Cygni sacrantur? Quid oratio, quæ ut supra diximus, mortuos deducit, annon Cygnorum cantui simillima est? Et proinde, annon etiam hâc ratione Cygnus Mercurio sacer esse poterit? quanquam potior ratio in inventione Musices consistere videatur; si enim ob Cantum, Apollini & Musis sacri creduntur Cygni, quidni credantur sacri & Mercurio, *Musicæ*, ut Plutarchus de Iside & Osiride refert, *inventori?* Transeant hæc, inquit ARCHÆOPHILUS: Quid autem Cornua-copiæ? an & hæc Mercurio dantur? Utique, respondit DULODORUS. Cornu-copiæ præferentem videas apud Boissardum circa finem: Et quàm commodè hoc datur Deo, cujus antrum omni copia refertum Orpheo de lapidibus memoratur?

Ὃν δέ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένον ἦτορ ἀνώγει
Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν ἑρμείαο,
Ἔνθ' ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον.

Cuique hominum prudens cor placet
In peroptabile antrum accedere Mercurii,
Ubi ille omnis generis bonorum reposuit cœtum.

Sed plura addere quid attinet? Cùm Cornu-copiæ Deo Lucri non possit non quadrare. Alia nos vocant.

MERCURIUS
IN PROMONTORIO SEDENS



Se nobis offert. Nec Galero, inquit ARCHÆOPHILUS, nec Caduceo hic inſignis eſt. At eſt Crumenâ, reſpondit DULODORUS, & Talaribus. Illam dextrâ præfert, Hæc pedibus alata annectuntur: Et utraque Mercurio tribui, non minus ac reliqua quis neſcit? De Crumena jam dictum eſt. De Talaribus innotuére verba Maronis Æn. IIII. de Mercurio canentis:

Pedibus TALARIA nectit
Aurea, quæ ſublimem alis ſive æquora ſupra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Dicta autem ſunt *Talaria*, quòd talis annecterentur, uti Græcis πέδιλα, quòd pedibus. Talia non Mercurius tantùm, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & Perſeus geſtavit, vocantur autem Valerio Flacco lib. I. non talaria, ſed ſi rectè auguror, *Plantaria*:

Aerii PLANTARIA vellet
Perſeos.

De Perſeo, reſpondit DULODORUS, nunc ſollicitus non ſum. Ad Mercurium autem notandum, πτηνοπέδιλον Orpheo: πτηνὸν & πτερόπουν Epigr. L. 2. & 4. *alipedem* vocari. Ita & Minutius *pedibus Mercurium alatis* memorat: ut alia taceam, quæ magno numero hic adduci poſſent. Id opus non eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quin potius edoces rei rationem? neque enim placet opinio Servii, qui Mercurio ideò pennas, ait, tributas, quòd citius omnibus

Planetis

Planetis in ortum ſuum recurrat. Ad propoſitum Mercurii ſimulacrum, reſpondit DULODORUS, verior mihi videtur ratio Fulgentii: *Pennata*, inquit, *Mercurius talaria habet, quòd negotiantium pedes, ubique pergendo, quaſi pennati ſunt.* Cùm crumenam Mercurius præferat, inquit ARCHÆOPHILUS, & nec caduceus nec Galerus alia munia involvant, aſſertum ſuô pondere non caret, indeque & in Promontorio ſedentem libenter agnoſcerem, utpote Numen mercaturæ tàm maritimæ, quàm terreſtris, ſi vel exemplum vel authoritas placitum fulciret. Recorderis velim, inquit DULODORUS, ejus Mercurii, quem ex Numiſmate Tiberii produximus, & ipſum rupi inſidentem; Recorderis & ejus, quem in Promontorio Africæ cultum, ibidem ex Plinio docui. Res aperta eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi autem dubitationis cauſa fuit Epigramma Græcum Lib. IV. C. XII. n. 116. quô Mercurius ita de ſe:

Ὀχθηρὸν τὴν χῶρον ἔχω καὶ ἔρημον ὁδῖτα.
Οὐκ ἐγω, ὁ ϛάσας δ' αἴτιος Αρχέλοχος.
Οὐ γαὰρ ὀρειοχαρὴς ὡ ῥμᾶς ȣ̓δ' ἀκρολοφίτας,
Τὸ πλεόν δ' ἀτραπιτοῖς ὦ 'νερ ἀρεσκόμενος.
Αρχέλοχος δ', ὡς αὐτὸς ἐρημοφίλας καὶ ἀγείτων,
Ω παριὼν, τοῖον κᾀμὲ παρῳκίσατο.

Clivoſam regionem habeo, & deſertam, viator,
Non ego, ſed qui me poſuit, hujus cauſa eſt, Archelochus.
Non enim montibus gaudeo Hermes, nec in collibus verſor ſummis;
Sed utplurimùm itineribus delector.
Archelochus vero, ut ipſe ſolitudine delectatur ſine vicinis,
O præteriens, talem & me habitare fecit.

Hæc luſum Poetæ ſapiunt, inquit DULODORUS, Mercurium in Promontoriis habitaſſe non negant. Imò id adſtruit apertè & aliud Epigramma. Lib. VI. c. 3. n. 3. quamvis incerti authoris. Ita habet:

Ερμείη, σήραγγος ἁλίκτυπον ὃς τόδε ναίεις
Ἐυϛιβὲς αἰθυίαις ἰχθυβόλοισι λέπας,
Δέξο σαγηναίοιο λίνον τετριμμένον ἁλμῇ·
Λείψανον &c.

Mercuri, cavernæ maris undis pulſatum qui hoc habitas
Bene calcatum mergis Piſcatoribus Promontorium,
Accipe ſagenæ lini detritas in mari
Reliquias &c.

Sed idem forſan adſtruet &

MERCURII CLYPEUS,



Talis omninò, qualem jam ſub Diana vidimus. Votivum ibi putaſti, inquit ARCHÆOPHILUS; an idem judicas & de propoſito? Omninò, reſpondit DULODORUS; Quid enim hic minus ac Clypeus Clementiæ, & Moderationis, quos in Nummis Tiberii cernimus? Hi votivi non fuére, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed ob Tiberii Clementiam & Moderationem poſiti. Benè, inquit DULODORUS; Quis autem neget id factum, quòd Clementiam eam, & Moderationem Romani perpetuam vellent? Ita & Clypeos Jovi poſitos apud Livium legimus, proculdubio, ut Deus propitius redderetur: Eôdem fine & Croeſus Clypeum aureum Delphis dedicavit, memorante Pauſania, ut alia taceam, quæ paſſim de Clypeis, rerum priſcarum Scriptores tradiderunt. Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, facilè Ego & hunc Clypeum Mercurio dedicatum crediderim, ut & ipſe propitius fieret; niſi forte, reſpondit DULODORUS, ob beneficium jam collatum. Cæterùm cùm Mercurium in Promontorio Africæ, in quo Clupea urbs ſita erat, cultum ad Numiſma Tiberii docuerim, *Clupea* autem canente Silio, à *Clypeo* dicta ſit, utpote:

In Clypei ſpeciem curvatis turribus Aſpis,

Neſcio, an ita malè ſub hoc Mercurii Clypeo utriusque ſimul memoriam mihi imaginer. Arguta eſt conjectura, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Eâ tamen in medio relictâ ad alia tranſeo.

BAC-

239



C.F.B. delin
F.C.S. sculp.



BACCHUS

Subit, inquit DULODORUS, & quidem Elegantiſſimo, ex candido marmore, capite conſpicuus. Ebrius faciei languor, & ſucculenta colli pectorisque gracilitas Bacchum indubiè demonſtrant: demonſtrat Hedera, quæ caput lento vimine & ambit & coronat.

De Baccho, excepit ARCHÆOPHILUS, ſacraque Baccho hedera luculenter ad Gemmas diſſeruiſti, ubi & ratio dedicationis varia effulſit. Hîc uſum ejusmodi imaginum diſquirere libet; neque enim, niſi integris Deorum Statuis, honor Divinus videtur fuiſſe tribuendus. Imò & Deorum Capitibus, reſpondit DULODORUS, id enim apertè videas in Numiſmatibus, ubi Deorum non ſimulacra tantùm, ſed & capita exhibentur. Exempla videri poſſunt apud Goltzium, aliosque. Ita capita Geniorum Urbis Laodiceæ & Urbis Damaſci, intra templum videas, apud Cel. Vaillantium in Coloniis, ſub Elagabalo & Philippo, ſupràque in Num. Juliæ. Sed res notior eſt, quàm ut pluribus operæ pretium ſit ei inhærere.

Nota eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed non æque, an de Bacchi Capitibus, an autem de Phallis intelligendus ſit locus Euſebii Lib. V. c. 36. Θύȣσι, inquit, αἱ πόλεις καὶ τελετὰς ἄγȣσιν ȣ̓ μόνον Φαλληνοῖς Διονύσοιο καρήνοις, ἀλλὰ καὶ λιθίνοις καὶ χαλκέοις καὶ χρυσέοις. *Civitates paſſim non lignea modo, ſed etiam lapidea, ærea, aurea Bacchi Capita Sacrificiis & ſtatis religionibus venerantur.* Quid hîc dubites non video, repoſuit DULODORUS, cum Φαλληνόν pro *ligneo* poni, non tantùm ex Interpretis verſione pateat, ſed etiam ex oppoſitione ad lapidea, ærea, aurea: adeò ut locus hîc optimè quadret.

Mihi non videtur, iteravit ARCHÆOPHILUS, ſequentia enim placitum evertunt ȣ̓ μόνον Φαλληνοῖς, ἀλλὰ καὶ ἀυτοῖς τοῖς Διονυσίοις, καὶ ἄλλοις παμπόλλοις Ησιοδίοις θεοῖς. Quid enim hoc interpreteris? annon ita: *Non ſolum Phallica*, ſcil. capita, *venerantur, ſed etiam ipſos Dionyſios, & alios plerosque Deos, qui Heſiodi fabulis celebrantur?* Hæc ego fateri poſſem, regeſſit DULODORUS, cùm utique etiam in his verbis de Bacchi capitibus doceamur; Sed notandum quod jam ante me notavit Franciſcus Vigerius, locum hunc corruptum eſſe, ſcribendumque ȣ̓ μόνον δ' ἀυτοῖς Διονοσίοις, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις παμπόλλοις, *non Dionyſiacis tantùm, ſed & aliis plerisque* &c. Niſi enim ita legas, quomodò cohæreat oppoſitio Φαλληνῶν ad ærea, argentea, aurea? Sed quid multa, cùm Caput Bacchi hîc intelligendum, vel ex Pauſania pateat, qui non Oraculi tantùm, de quo hôc locô Euſebius loquitur, ſed & totius hiſtoriæ mentionem facit. En verba! Ἁλιεῦσιν ἐν Μηθύμνῃ τὰ δίκτυα ἀνείλκυσεν ἐκ θαλάσσης πρόσωπον, ἐλαίας ξύλȣ πεποιημένον. Τȣ̃το ἰδέαν παρέιχετο Φέρȣσαν μέν τι ἐς τὸ θεῖον, ξένην δὲ καὶ ἐπὶ θεοῖς ἑλληνικοῖς ȣ̓ καθεςῶσαν. Εἴροντο ȣ̃ν οἱ Μηθυμναῖοι τὴν Πυθίαν ὅτȣ θεῶν ἤ καὶ ἡρώων ἔςιν ἡ ἐικών. ἡ δὲ ἀυτȣ̀ς σέβεςαι Διόνυσον κεΦαλλῆνα ἐκέλευσεν. ἐπὶ τȣ́τῳ οἱ Μηθυμναῖοι ξόανον μὲν τὸ ἐκ τῆς θαλάσσης παρὰ σΦίσιν ἔχοντες, καὶ θυσίαις καὶ ἐυχαῖς τιμῶσι, χαλκȣ̃ν δὲ ἀποπέμπȣσιν ἐς ΔελΦȣ̀ς. *Methymnæi aliquando Piſcatores retibus è mari extraxerunt ex Oleæ ligno fabricatum caput, Divina illud quidem facie, ſed peregrina atque omninò diverſa quàm Græcorum Dii eſſe conſueverint. Conſulentibus Methymnæis, cujus ea vel Deorum vel Heroum imago eſſet? reſponſum eſt, BACCHUM CEPHALLENEN venerarentur. Eductam igitur è mari ligneam effigiem Methymnæi ſibi retinuerunt, Sacrisque faciundis & votis nuncupandis coluerunt, pro ea vero Delphos æneam miſére.* Quid clarius ad rem dici poteſt?

Fateor,

Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS, quamvis nondum videam, quomodo Φαλληνόν apud Eusebium pro *ligneo* sumi possit? Authoritas, respondit DULODORUS, hîc deficit, Φαλληνὸν Lexicographis etiam diligentissimis omittitur, & nisi eo, quòd φάλλος ligneum aut ficulneum veretrum exponitur, ideò Φαλληνὸν pro *ligneo* poni posse contendas, non video quomodo satisfacere possim. Res Peritiornm judicio permissa sit. Subit

BACCHUS BICORNIS



Ex marmore Ægyptio viridi. Elegantissimum est hoc caput, inquit ARCHÆOPHILUS, indubiisque ornatum Bacchi insignibus, Hædera, Diademate, Cornibus. Et cornua quidem taurina sunt, non arietina, qualia Ammonis filium gestasse, ex Diodoro te docere memini. Memineris ergo, respondit DULODORUS, & rationem Cornuum, quorum intuitu Horatio *bicorniger*, Nicandro in Alexipharm. Ταυροκέρως, Orpheo in hym. βȣκέρως Bacchus vocatur. De cornibus taurinis hæc instruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, de ratione cornuum non instruunt. Ratio cornuum, respondit DULODORUS, in audacia & animositate ebriorum videtur consistere, secundum illa Horatii L. III. od. 21. ad Amphoram:

Tu spem reducis mentibus auxiis,
Viresque, & addis CORNUA pauperi,

Quòd scilicet inter jucunda vini pocula spiritus crescant; neque enim de nihilo est, quòd cornua, hoc in capite, adhuc parva sint, adeòque vix dum ex fronte protuberent, cùm aliâs secundum Ovidium 4. Met. *Virgineum* tantùm *caput* præferat, & *sine cornibus* adstet. Fortassis, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam

etiam mos ex cornibus bibendi hîc locum habere poteſt; ſed de cornubus probaſſe non ſufficit; cornua enim hæc taurina ſunt, id quod myſterio carere non videtur. Ratio eadem eſt, reſpondit DULODORUS, quæ & Bacchi, Tauri figura apud Cyzicenos culti, de quo Euſtath. ad Il. N. quòd ſcilicet, qui ſupra modum vinum biberent, docente Athenæo, ad vim ſe conferre ſoleant; Tauri enim protervi, petulantes & cornu intentato iracundi. Ita & Feſtus ſcribit, Cornua Liberi Patris ſimulacro adjici, quòd homines nimio vino truces fiant. Propertius vini ſpiritus per Cornua intelligere videtur, quando Lib. 3.

Quod ſupereſt vitæ, per te, & tua CORNUA vivam,
Virtutisque tuæ, Bacche, Poëta ferar.

Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, omni Baccho cornua dabuntur; Diodorus autem tantùm ſecundo, Jovis ſcilicet & Proſerpinæ filio, ea addicere videtur, idque duplicem ob cauſam, *vel* ut ad naturam hujus ſecundi Bacchi alluderetur, *vel* ut indicaretur, quanta per aratri inventionem commoditas agricolis acceſſiſſet. Benè hæc, reſpondit DULODORUS; Notandum autem, licet plures Bacchi antiquiſſimis temporibus fuiſſe memorentur, eorum tamen omnium ut acta, ita & ornamenta, poſtmodum uni & quidem Jovis & Semeles filio, qui Thebanus eſt, Græcorum Romanorumque Calamo tributa eſſe, id quod etiam in aliis Diis factum eſt. Adeò ſanè Cornua Baccho propria credebantur, ut Poëta:

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Non cornua tantùm, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & Coronam hederaceam, & Diadema hoc in capite video. Ex Hedera, inquit DULODORUS, Bacchum primum ſibi coronam ſumſiſſe, quòd frigidæ naturæ eſſet hedera, vinique calorem temperaret, alibi oſtendi. Addendum autem non hederam tantùm, ſed & Corymbos hoc in capite cerni, quorum intuitu Ovidio *Corymbifer* dictus eſt:

Feſta Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

De Diademate apertum eſt, quòd hujus Bacchus inventor fuerit. Sed

BACCHUS
DIADEMATE ET UVIS REDIMITUS,



in capite æreo prodit. Superioribus, excepit ARCHÆOPHILUS, faciem aliâs ſatis venuſtam occupaverat temulentus languor; At hoc caput, licet mi-

nutum, mirâ tamen hilaritate ſpectatores afficit. Quidni, reſpondit DULODORUS, hilaris ſit

Lætitiæ Bacchus dator ?

Ut Virgilio vocatur, & quidem is, qui eôdem ferè habitu, quô hîc præfiguratur, etiam ad nuptias Pelei & Thetitis veniſſe Colutho memoratur, de Raptu Helenæ v. 39. ſeq.

> Χρυσείοις ἑκάτερθε τιναςςόμενος πλοκάμοισι
> Βότρυς,
> *Aureis utrinque quatiens capillis*
> *Uvas.*

Uvas, inquam, à quibus & Epitheta traxit. Βοτρυοχαίτην appellat Epigramma Græcum in Florileg. Lib. I. Βοτρυφόρον Orpheus in hymno; ςαφυλοκόμον Nonnus in Dionyſiacis: Quæ omnia de uvis, temporibus Bacchi additis, abundè docent. Succedit

BACCHUS IN CLYPEO,



Non Diademate & uvis tantùm, ſed & foliis redimitus. Rarum hoc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Sed Poëtis non incognitum, reſpondit DULODORUS, Horatius l. 3. Od. 25. Deum

Cingentem viridi tempora Pampino,

Appellat: Et alibi,

Ornatum viridi tempora Pampino.

Pampinus autem idem eſt, quod Græcis οἴναρον: *vitis*, ſcilicet *folium*. Οἴναρα τὰ τῆς

pag. 243.



τῆς ἀμπέλȣ φύλλα, inquit Hesychius. Cùm Bacchus, excepit ARCHÆOPHILUS, vini sive inventor, sive demonstrator fuerit, quod posterius etiam Tertullianum statuere Causæus observat, de Vitis non fructibus tantùm, sed & foliis non dubitarem. Sed in hoc clypeo adhuc Phallus mihi mentem acuit; neque enim in adjecta eidem Patera arbitror subsistendum, cùm constet Bacchi poculum eam fuisse, quod & *Scyphus* & *Cantharus* vocabatur. Ita Causæus, respondit DULODORUS, qui primus hunc Clypeum vulgavit, & in cæteris haud malè interpretatus est; Me autem judice, licet & Scyphum & Cantharum non minus ac Pateram Bacchi pocula fuisse concedam, Synonyma tamen esse non concederem, cum ex Nummis constet, diversam plane horum figuram esse. Pateram, excepit ARCHÆOPHILUS, qualis hic expressa est, sacerdotes tenere solent, an & hîc usus sacer fuerit? Non dixerim, respondit DULODORUS; Pateris enim bibere moris fuisse, præter alios ex Virgilio patet I. Æn. ubi de Bitia:

Ille impiger hausit spumantem PATERAM.

Unde simul constat, inter pocula Pateram locum habuisse: Inter pocula, inquam, quorum largiore usu cùm libido incendi soleat, utique nec abs re phallus affingitur. Phallus, excepit ARCHÆOPHILUS, duplex est, an quòd Bacchus bis genitus fuit? Ne credas, respondit DULODORUS, Bacchus enim non bis genitus, sed bis natus, adeoque *bimater* dicitur. Mihi duplex Phallus ad paratum ubique libidinis robur videtur referendus, quâ ratione & in Lucernâ apud Licetum p. 842. Bacchus phallos manu præfert. Utrinque sanè lucem affundit Apulejus, cui *Veneris hortator* & *Armiger* Bacchus audit: Ut proinde eò minus mirum sit, si Phallus etiam in Orgiis hujus Dei memoretur. Sed de talibus infra fertilior erit confabulandi campus. Illud adhuc moneo, quos flores aut rosas in Mitra sive Diademate potius agnoscit Causæus, non flores, sed Corymbos esse: Ut proinde Bacchus hic non pampinis tantùm & uvis, sed & hederâ coronetur. Subit

BACCHA

Quæ & ipsa non ex corona tantùm hederacea, sed & ebrio languore & capite inclinato noscitur, quæ Bacchantium indicia esse, ex superioribus patet. Res aperta est, inquit ARCHÆOPHILUS, & placet connexum in humero globulis indusium; An autem Gemmæ, an nodi intelligantur? libenter scirem. Fibulæ sunt, inquit DULODORUS, quales capite ultimo producam. Ubi & latior de iis dicendi campus erit. Unicum adhuc, excepit ARCHÆOPHILUS, ut quæram, permittes. Cùm fœmineam formam etiam Bacchus prætulerit, quô insigni Tu Baccham hanc interpretaris? Duplici, respondit DULODORUS; primò enim connexum fibulis in bracchio indusium fœminarum gestamen est, deinde non obscura sub indusio mamma turget; sed quid his inhæremus? Succedit

BACCHA
CUM TYMPANO.



Tympanum, excepit ARCHÆOPHILUS, Cybeles inſtrumentum eſt; Id enim non antiquitatis tantùm reliquiæ nos docent, ſed & Poëtæ. Catullum adfero, carmine 64. ita canentem:

Cybelles Phrygia ad nemora Deæ
Ubi Cymbalum ſonat vox, ubi TYMPANA reboant.

De Cybele res indubia eſt, inquit DULODORUS, ſed eſt etiam de Bacchis; Ita enim Ovid. l. 4. Met.

Minëia proles
Urget opus, ſpernitque Deum, feſtumque profanat,
TYMPANA cùm ſubitò non apparentia raucis
Obſtrepuére ſonis.

Ita & Sidonius Apollinaris Carm. 5. v. 496.

Rotat enthea thyrſum
Baſſaris, & maculis Erythreæ Nebridos horrens,
Excitat Odryſios ad marcida TYMPANA myſtas.

Si utrisque, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & Cybeles & Bacchi aſſeclis Tympanum debeatur, unde diſcernam utri propoſitum ſit addicendum? ex Tigride fœta, reſpondit DULODORUS, quæ Tympano huic impreſſa ſaltat; hæc enim Baccho, neutiquam autem Cybeli ſacra eſt. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque de Baccha non amplius dubito. De Tympano adhuc doceri velim, unde dictum? qua ex materia? quâve figurâ fuerit? Hoc enim ſi docueris, eò minus mihi dubii remanebit. Id paucis agam, reſpondit DULODORUS. Tympanum dictum videtur à Τύπτω, *percutio*; percutiebatur enim manu & digitis. Inde Ovidius L.IV. v.29.

Fœmineæ voces impulſaque tympana palmis.

Et Ca-

Et Catullus Ep. 46. de Aty. v. 9.

Niveis citata cepit manibus leve tympanum.

Materia utplurimum erat Circulus ligneus & ſuper inductum corium, quod digitis percuſſum, ſonum edebat. De pelle teſtatur Phædrus Tiberii Libertus L. IV. fab. 1.

Galli Cybeles circum queſtus ducere,
Aſinum ſolebant bajulantem ſarcinas,
Is cùm labore & plagis eſſet mortuus,
Detractâ PELLE ſibi fecerunt TYMPANA.

An nulla alia materia? excepit ARCHÆOPHILUS; At Demſterus, niſi fallor, ad Roſin. l. 2. c. 4. etiam ærea fuiſſe ſcribit. Demſterum, reſpondit DULODORUS, falli arbitratur Schefferus, quod *Corybantia æra* apud Virgilium de tympanis intelligat, cùm tamen vel ex Servio diſcere potuiſſet, Cymbala eô locô intelligi debere. Equidem Cymbala cum Tympanis non ſunt confundenda. Quando autem Schefero eâ ratione reprehenditur Demſterus, quòd ærea tympana, ut ait, non fuerint, fallitur Schefferus ipſe, cùm hac etiam in Electorali Gaza Tympanum æreum proſtet, quod infrà producam: imò & argentea memoret Plinius. De his ſuo loco, excepit ARCHÆOPHILUS. Nunc doceri velim, de globulis in tympano hoc in orbem conſpicuis. Tintinnabula videntur, reſpondit DULODORUS, ſive Nolæ, ideò additæ, ut ſonus eò major ederetur. Audi Suidam de Tympanis Indorum, qui procul dubio eorum uſum à Baccho Indico mutuati ſunt. *Indi*, inquit, ex verſione Æmilii Portæ, *habebant & TYMPANA, quæ bombum quendam horribilem emittebant. Erat autem talis fabricatio. In abietis ſtipitem excavatum NOLAS ex orichalco factas inſerelant. Et ore vaſis taurino corio circumtecto, Tympanum hoc ſublime ferebant al pugnas, &c.* Etiam his, inquit ARCHÆOPHILUS, materia tympanorum corium fuiſſe adſtruitur. Imò apertius, ſubjecit DULODORUS, id aſſerit idem Suidas in ſequentibus: Τύμπανον, inquit, ἐνδερμάτων ἐςὶ γενόμενον, ϗὶ κρȣ͂ον. ὁ κατεῖχον αἱ βάκχαι. ἐν ἐπιγράμματι ἀραξάχειρα ταῦτά τοι τὰ τύμπανα λεοντίδιφρε σοι Ῥέιη θῆκε. *Tympanum ex pellibus fiebat & pulſabatur. Id Bacchæ geſabant. In Epigrammate: Pulſata manibus hæc Tympana Baccha Leonino curru vecta Rhea, Tibi dedicavit.* De Materia hæc abundè, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem ad formam habes? Ea rotunda, reſpondit DULODORUS, in omnibus antiquitatis monumentis proſtat, non tamen globi, ſed diſci inſtar, planicie in averſis, quâ percuſsâ ſonus edebatur. Non abs ratione hoc; Rotunditas enim procul dubio quiddam ſimile cum Univerſo habere, ſonusque Tonitru referre videbatur. Sed plura de his capite ultimo dicentur. Sucedit

SILENUS,



Ex ære

De Sileno, inquit ARCHÆOPHILUS, jam Tomô primô dictum est, ubi inter cætera Te ex Bocharto notasse memini, commentum ejus ex prophetia de *Silo* originem sumsisse; sed nisi fallor, etiam aliæ vocis Etymologiæ prostant. Prostant, inquit DULODORUS; sunt enim, qui παρὰ τὸ σείεσθαι, à *concutiendo*: Sunt qui παρὰ τὸ σιλλαίνειν, *proscindere convitiis* nomen deducunt: Sunt qui à voce σίνος, quæ *penem* significat, de qua re videri potest Scholiastes Aristophanis Neph. Act. III. sc. III. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, Deum, occultæ scientiæ authorem tam turpi origine censeri. Nihil miraberis, respondit DULODORUS, si cogites libidinem vino crescere. Et quid? annon Tu in Calvitie Sileni, libidinis fructum agnoscis, quò respicientes Romani Cæsarem *Calvum Mœchum* vocârunt, quòd libidine calvitiem sibi attraxisset? Calvitiem, excepit ARCHÆOPHILUS, ego senii indicium arbitrabar. Est & hujus, regessit DULODORUS, sed non solius; Imò & senum libidines hoc symbolo notari crederem, quas & verbum Italicum perstringit. *Non è pena maggiore ch' in vecchio curor il pizzicor d'amore.* Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego in calvitie hac calorem contemplarer, quem ut temperaret Silenus, hederâ caput revinxit. Benè sentis, respondit DULODORUS; eâdem enim ratione & Baccho hederam sacrari, alibi ostendi, nec operæ pretium arbitror hîc pluribus morari. Nisi forte etiam *Pampineis redimitum tempora sertis* ex Senecæ Oedip. act. 2. observes: aut locum Luciani ad effigiem desideres, qui in Concilio Deorum & *Senem*, & *Calvum*, & *Simum*, *auribusque magnis* & *erectis* fuisse tradit, planè qualiter heic nobis exhibetur. Hæc nota sunt, inquit ARCHÆOPHILUS; Illud autem adeò manifestum non est, quisnam Silenorum proposito capite adumbretur? nam plures fuisse, supra ex Pausania dictum est. Plures creditos, respondit DULODORUS, inficias ire non possum; Cùm autem Antiquissimus ille Maleæ incola Bacchique nutricius inter reliquos emineat, quid prohibet, ut in hoc subsistamus? Bacchum, excepit ARCHÆOPHILUS, non unus, sed plures eduarunt; ita enim Nicander in Alexipharmacis:

Σιληνοὶ κεράοιο Διανύσοιο τιθηνοί.

Sileni Comites, cornuti & Patris alumni.

Nicandro, respondit DULODORUS, Antiquiores repno, Orpheum, Diodorum, alios. Hi sanè non plures, sed unum Silenum Bacchi nutritorem faciunt. Procedit

FAU-

FAUNUS



De Faunis, inquit ARCHÆOPHILUS, abundè dictum est ad Gemmas. Recordor, inquit DULODORUS, & omninò, quod ibi demonstratum est, hic videtur præmittendum: eosdem scilicet fuisse Panes, Faunos, Satyros, Sylvanos; Licet enim, ut nomine, ita & habitu videantur differre, differentia tamen

tamen essentialis non est, sed inde orta, quòd potestatem Panos, antiquissimi illius, & in quo omnia ornatuum genera concurrunt, posteriores diviserint. Quid hæc ad propositum? excepit ARCHÆOPHILUS. Ut agnoscęas, respondit DULODORUS, ex hoc antiquissimo Pane, omnem reliquam & Panum, & Faunorum, & Satyrorum, & Silvanorum turbam descendisse, ornatusque inde interdum plures, interdum pauciores esse mutuatos. Et quidem ipsum Pana etiam Faunum esse appellatum, dubium non habet ullum. Ex Horatio rem aperte docui: Et sacra Fauni ex Arcadia in Italiam advexisse Evandrum, cecinit Ovidius, traduntque & Plutarchus in Romulo, & Clemens Alexandrinus Stromat. l. Indeque est, quòd Faunus Poëtis *Capripes* fingatur, non minus, ac Pan, Satyri, & Sylvanus. An Sylvanus Capripes? excepit ARCHÆOPHILUS; At nisi follor rustici quadrati is figurâ delineatur, cupressum quatiens? Talem, respondit DULODORUS, etiam in sequentibus videbimus; sed id non obstat, ut non interdum & capripes, imò eôdem planè habitu, quô Pan & Satyri solent, effictus fuerit. Exempla apud Boissardum prostant, quibus licet bicornis & capripes, auribusque erectis, pinuque coronatus, adeòque apertè Pan effingatur, subscriptio tamen SYLVANO additur: aperto indicio, & Sylvanos cum Panibus eosdem fuisse; cùmque Satyri eôdem plane modô pingantur, quô & Panes, de quibus Propertius:

Capripedes calamo Panes hiante canunt.

Utique nec hos diversos statueris. Hactenus, inquit ARCHÆOPHILUS, omnem hanc Deorum turbam Capripedem docuisti; Sed noster pedibus humanis incedit. Quòd Fauni vulgò, inquit DULODORUS, pedibus non caprinis, sed humanis incedant, fortassis ea causa fuerit, quòd cognominis Latinorum Regis progenies crederentur: vel etiam, quòd nec Satyri Græcorum semper capripedes fuerint; quomodo enim aliâs Pausanias Satyrorum maximos *Silenos* vocatos potuisset asserere? cùm tamen constet, Silenos pedibus humanis incedere? Quomodo Euphemus Car, de incolis Satyridum insularum tantummodo caudam supra clunes memorasset, descriptione Faunis, quàm Satyris aptiore? Ita sanè nec Pan ipse, antiquissimus ille Arcadum, omnia semper potestatis suæ insignia prætulit. Imberbis enim comaque hirta, facieque Fauno propiore exstat in Numismatibus Ariminensium, ab Arcadibus oriundorum: imò & in Gazæ hujus Electoralis fictili, quod mox producam; cùm tamen de hoc Silius:

Summoque cadit barba hispida mento.

Ex quibus utique omnibus abundè constat, quod hîc assertum imus, Panes, Faunos, Satyros, Sylvanos revera eosdem fuisse: dictos autem *Satyros* à libidine, *Faunus* ab oraculis, *Sylvanos* à loco habitationis, *Panes* à potestatis magnitudine. Quid hoc ad propositum? denuò, excepit ARCHÆOPHILUS, ut intelligas, respondit DULODORUS, Authorum loca de Satyris, & Panibus, & Sylvanis, etiam ad Faunos citari posse, eôdem modô, quô Fauno Poëtæ addicunt, quæ Panis sunt. Ita ad aures propositi, *Aures Panos stantes* ex Silio d. l. *Aures Satyrorum acutas* ex Horatio l. 2. od. ὀξεῖς ex Luciano de concilio Deorum: Ad Caudam supra clunes, Caudam incolarum Satyridum Euphemi, imò & Caudam Panos, de quo Silius:

Interdum inflexus medio nascentia tergo,
Respicit arridens hirtæ ludibria CAUDÆ.

Tan-

Tandem ad Pedum & Pellem ejusdem Silii teſtimonium de Pane rectè citaveris:

Paſtorale Deo baculum, Pellisque ſiniſtrum
Velat grata latus.

Quid autem ad manum protenſam? excepit ARCHÆOPHILUS; An quod idem Poëta & ipſum de Pane:

Obtendensque manum, ſolem effervescere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu?

Ad ea Faunorum ſimulacra, reſpondit DULODORUS, quæ Auguſtinus Senenſis ex Gemmis prodidit, hæc benè adduceres. Noſter autem manum non fronti obtendit, ſed habitu gradientis, & tantùm non currentis, extendit, more venantium, currentem ſecum quaſi ad prædam Tigridem incitans. An Fauni, inquit ARCHÆOPHILUS, venationibus ſtudebant? Id jam ad Gemmas docui, reſpondit DULODORUS: Et quid mirum? ſi idem fecére & Paſtores, quorum Dii erant? Si idem & Pan, qui in Epigrammate ad Venatores de ſe:

Οἶδα ποτ' ἄγραν
Κοσμεῖν, καὶ λόγχαν, καὶ λίνα, καὶ καλάμȣς.


Novi olim venationem
Ornare, & Haſtam, & Lina, & Calamos.

Hæc utut ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, an tamen ad venationes hîc reſpiciendum ſit, non abs ratione dubitarem; Quid enim ſi ad eam actionem ſimulacrum pertineat, quô per agros currens pecoribus nocebat? quod deprecatur Horatius Od 18. Lib. III.

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incidas, abeasque parvis
Æquus alumnis.

Latus eſt divinandi campus, reſpondit DULODORUS, quid ſi & Baccho operetur Ludibundus? Faunos aut Satyros Bacchi comites fuiſſe, nemo neſcit: & huc ut reſpicias, Tigris monere poterit, quæ Baccho ſacra fuit: monere poterit Gemma Gorlæi, in qua Faunus cum tigride decurrens uvam prætendit. Sed ad alia tranſimus. Succedit

FAUNUS
NYMPHÆ RAPTOR,



Et quidem ex Cornu, in pedem Gryphi desinente, emergens. Rarum hoc est, excepit ARCHÆOPHILUS: Quæ autem rei ratio? Eadem, respondit DULODORUS, quam modò audivimus: Amor scilicet, cujus intuitu Faunus *Nympharum fugientum amator* Horatio, dicitur. Ita & Fauni Claudiano *Lascivi* audiunt; Ut taceam Nympharum Faunorumque contubernium, de quo Virgilius Lib. VIII. Æn. v. 314.

Hæc nemora indigenæ FAUNI NYMPHÆque tenebant.

Quod ex Lucretio desumtum videtur L. IV.

Hæc loca capripedes SATYROS NYMPHASque tenere,
Finitimi memorant.

Aperto indicio, Faunos & Satyros, ut supra diximus, eosdem esse. Sed de Faunis est alter Virgilii locus Georg. I.

Ferte simul FAUNIque pedem DRYADESque PUELLÆ.

Est &

Eſt & Statii Theb. VI.

NYMPHAS, FAUNORUMque greges,

Memorantis: ut taceam Satyrum *Nympharum contubernalem* alibi dici: taceam & Pana quem Ἡγήτορα Νυμφῶν *Nympharum ductorem* appellat Epigramma Græcum in Florileg. Lib.IV.c.XII.n.118. cujusque etiam amores fatum Syringæ docet; De Nympha inquit ARCHÆOPHILUS, acquieſco. Quid autem eſt, quod ex pede *Gryphi* hic Faunus emergit? An quòd Vaſi alicui ſuſtinendo ſervierit? talibus enim hodiénum utimur. Benè hoc, reſpondit DULODORUS: quanquam de nihilo non videatur, quòd ex pede Gryphi, & non aliûs cujusdam animalis hic Faunus emergat; Gryphus enim Soli ſacer eſt: Et ex Solis calore ſurgit Spermatica vis, cujus intuitu Faunis & Panibus libido affingitur. Succedit

FAUNUS
SALTANS CUM CROTALIS.



Eôdem ferè modô, quô apud Virgilium:

Copa Syriſca caput Grajâ redimita mitellâ,
Criſpum ſub Crotalo docta movere latus.

De Crotalis, inquit ARCHÆOPHILUS, ut & de reliquis ſaltantium inſtrumentis, utpote Cymbalis Tympanisque, memini Te ſuprà Cl. Sponium in Miſcellaneis citaſſe; Quid autem ſi Bacchantem hunc arbitrer, & quidem ex eorum numero, qui in Theatris ſaltabant? Bacchantem ſanè corona hederacea innuit, Theatroque addicunt ſocci, quibus indutus eſt. Hæc benè obſervas, inquit DULODORUS, notandum autem, id quod jam ad Gemmas docui, etiam Faunos in Theatris exhibitos; Faunum autem hunc licet cauda deſit, licet & pellis locô, ſubligaculum accinxerit, vel ſolæ Aures teſtantur, acutæ & ipſæ, quales Faunorum aut Satyrorum fuiſſe, ex hactenus allatis palam eſt. Ut autem Fauni Bacchi aſſeclæ, ita Theatra Baccho ſacra fuére, id quod inter alia etiam ex Agellio lib. XX. c. 4. adſtruitur, apud quem Comœdi, Tragœdi & Tibicines Græcis οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται memorantur appellati. Indeque forſitan eſt, quod & in ſequenti fictili

FAUNUS LUDIBUNDUS



Larvam, aut quod idem eſt, Perſonam miratur, inter uvas & hederam & Thyrſum propoſitam. Perſona ſanè Theatrum ſapit; Hedera & Uvæ & Thyrſus ad Bacchum reſpiciunt, alludensque Faunus quid, niſi Bacchum Theatri præſidem vene-

neratur? Sub arboribus, inquit ARCHÆOPHILUS, Faunos lusisse memini; Ita enim Martialis :

Sæpè sub hac madidi luserunt arbore Fauni.

Arbores, respondit DULODORUS, & ipsas in Theatris exhibitas novum non est. In proposito cùm earum mentio non sit, jure ad solos in Theatro lusus respicimus. In sequenti capite marmoreo,

FAUNUS, AN SATYRUS RIDENS?



Adumbratur. Faunum aut Satyrum hoc in marmore exhiberi, inquit ARCHÆOPHILUS, nescio an demonstrare possit. Risus non sufficit; Persio enim Satyr. III. teste :

Et populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

 Non

Non ex risu solo, respondit DULODORUS; sed ex auribus acutis Faunum hunc, aut Satyrum esse pronuncio; Has enim utrorumque insigne fuisse, jam vidimus. Eas non observâram, excepit ARCHÆOPHILUS, Res aperta est, & jam mihi etiam in faciei lineamentis, comæque horrore, Faunum agnoscere videor. De Satyris autem Lucianus obstat, qui Satyros φαλάκρυς *Calvos* fuisse asserit. De Senibus id sumendum, respondit DULODORUS, quos Pausanias *Silenos* dictos asserit; Silenus enim Calvus hodiénum in Antiquitatum monumentis prostat, uti & supra vidimus. In proposito, utpote juniore, res secus se habet, lucemque suam ex superioribus mutuatur. Risus superest, excepit ARCHÆOPHILUS, quem equidem in Satyro non miror, cùm ex Diodoro constet, Satyros ad tripudia & decantationem Carminum, omnemque hilaritatem & lusum aptos fuisse: Imò cùm & Horatio in Arte, Satyros *risores* meminerim cognominari: Quid autem de Faunis? De Satyris si constet, respondit DULODORUS, constabit & de Faunis; & quid dubites, cùm tamen in Faunalium solennibus inter cætera & risus fuerit, notante Plutarcho? De Satyro autem res clarior etiam ex Epigrammate Nili Scholastici, cùm quo nostrum ritè alloqui posses:

Πάντες μὲν Σάτυροι φιλοκέρτομοι. Εἰπέ δε καὶ σὺ,
Τὶ πρὸς ἕκαςον ὁρῶν τὸν δὲ γέλωτα χέεις;

Omnes quidem Satyri Convitiatores. Dic verò & Tu,
Quid ad quemque videns hunc risum profundis?

Cui ex eodem respondere videbitur ipse:

Θάμβος ἔχων γελόω, πῶς ἐκ λίθυ ἄλλοθεν ἄλλης
Συμφερτὸς, γενόμεν ἐξαπίνης Σάτυρος.

Stuporem habens rideo, quomodo ex lapide aliundè alio
Collatus, factus sum repente Satyrus?

Succedunt

TITYRI.

TITYRI.



Faunos & hos crederem, inquit ARCHÆOPHILUS, aut certè Bacchantes; Tales enim ſaltantium habitus, tales & Pelles demonſtrant. Si ſubſiſtas, reſpondit DULODORUS, non adverſabor; ex Bacchi enim conſortio hos eſſe, negare non poſſum. Si autem Tityros mecum inſcribas, nec ipſum opinor abs ratione feceris; Tityros enim in conſortio Bacchi fuiſſe, non minus ac Faunos, Satyros, Bacchantes, negari non poteſt. Teſtatur id Ælianus Lib. III. Teſtatur & Strabo. Lib. X. cujus hæc ſunt: Διονύσȣ δὲ Σειληνοὶ τε καὶ Σάτυροι, καὶ Βάκχαι, Λῆναι τὲ καὶ Θυῖαι, καὶ Μιμαλλόνες καὶ Ναίαδες, καὶ Νύμφαι, καὶ Τίτυροι. *Bacchi* (adminiſtri ſunt) *Sileni*, *Satyri*, *Bacchæ*, *Lenæ*, *Thyæ*, *Mimallones*, *Najades*, *Nymphæ*, *TITYRI*, ut alia taceam. Tityros, excepit ARCHÆOPHILUS, Bacchi famulitio arcere non auſim; An autem propoſiti eo nomine appellandi ſint, neſcio an adſtruere poſſis. Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm nec Sileni, nec Satyri, nec Fauni ſint; Bacchantium enim Generale nomen eſt; & quô indiciô reliquos agnoſceres? cùm nec Cauda, nec Cornua, nec Aures acutæ appareant, ſolæque præter Pellem, omnibus Bacchi aſſeclis communem, *Tibiæ:* ſola *Saltatio* hos diſtinguat. An Tibiæ, interrogavit ARCHÆOPHILUS, & Saltatio Tityrorum ſunt indicia? Me judice ſunt, reſpondit DULODORUS; Licet enim & Satyri, & Fauni, aliique

Bacchi

Bacchi aſſeclæ his uſi fuerint, notandum tamen, hos ipſos & ob ſaltationem & ob Tibiarum uſum *Tityrorum* nomen mereri; Tityros enim à *Teretiſmatis* hoc eſt *laſcivis & procacibus ſaltationibus* dictos, ex Æliano obſervat Paſſeratius, ad Propertium Lib. II. El. 25. Et ſi ad Tibias reſpicias, Tityrus non Satyrum tantùm, ſed & Tibiam denotat, uti apud Heſychium videre eſt: Τίτυρος, inquit, Σάτυρος, κάλαμος, ἢ ὄρνις. Indeque Τιτυρῆνος, μόναυλος, ἢ αὐλός καλάμινος. Monaulos inquam, quæ Ægyptiorum inventum Julio Pollici memoratur, ita dictu, quòd unicum ſonum ederet, non quòd aliis jungi non ſoleret; ne enim hoc forſan opineris, adeòque eam in propoſitis non agnoſcas, docet Athenæus vocabulum id mutatum, & Monaulon, Καλαμαύλην vocatam eſſe. Satis ſpecioſè cauſam tueris, inquit ARCHÆOPHILUS; At eundem qui Tibiis canit ſimul & ſaltare, & pedibus neſcio quid protrudere, inſolitum quid videtur. In Bacchi aſſeclis, reſpondit DULODORUS, res inſolita non eſt. Tibias enim, Crotala, & Pulſationes pedis, cum aliis inſaniæ inſtrumentis & exercitiis conjungit Strabo eôdem Librô X. Τῷ δ' αὐλῷ καὶ κτύπῳ κροτάλων τε καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ταῖς ἐπιβοήσεσι, καὶ εὐασμοῖς, καὶ ποδοκρουσίαις οἰκεῖα ἐξεύροντο καὶ τινὰ τῶν ὀνομάτων, ἃ τοὺς προςπόλους καὶ χορευτὰς, καὶ θεραπευτὰς τῶν ἱερῶν ἐκάλουν. Καβείρους, Κορύβαντες, καὶ Πᾶνας καὶ Σατύρους καὶ Τιτύρους, καὶ τὸν Θεὸν Βάκχον &c. *Tibiæ & ſtrepitui crepitaculorum ac tintinnabulorum, acclamationibusque, & evaſmis, & pedum pulſationibus propria excogitata etiam ſunt vocabula, quibus adminiſtros, Chorearum ductores, & famulos ſacrorum adficerent, Cabiros, Corybantes, Panes, Satyros & Tityros, & Deum Bacchum appellantes.* Pedum pulſationes audio, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed non audio, quid ſit quod pedibus Tityrus alter in monumento noſtro pulſet? An Inſtrumenti genus? Crotalo enim accedere videtur. Crotala, reſpondit DULODORUS, manibus agitabantur. Quæ pedibus pulſabant *Scabilla* & *Crupezia* vocabantur; ſed alia horum figura apud Sponium aliosque proſtat, ut proinde judicium hîc ſuſpendere, quàm incerti quid affirmare ſatius arbitrer. Ad totum ſaltantium habitum quadrant illa Arnobii Lib. II. adverſus Gentes. *Idcircò*, inquit, *animas miſit, ut res ſancti atque auguſtiſſimi nominis Symphoniacas agerent & fiſtulatorias hic artes, ut inflandis bucculas diſtenderent tibiis, Cantionibus ut præirent obſcœnis, numeroſos iterarent Scabillorum concrepitationibus ſonores, quibus animarum alia laſciviens multitudo incompoſitos corporum diſſolveretur in motus, ſaltitaret & cantaret, orbes ſaltatorios verteret, & ad ultimum clunibus & coxendicibus ſublevatis lumborum criſpitudine fluctuaret?* Orbes ſaltatorios memorat Author, excepit ARCHÆOPHILUS. An de his explicem globulos alterius Tityri pedibus ſubjectos? me judice non facies, reſpondit DULODORUS,; Orbis ènim propriè ex planis eſt, nec quicquam proinde Saltatorius Orbis, quàm Circulus, in quem ſaltantes ſe convertunt: An autem globuli hi Tityris ſubjecti poma ſint, an Nolæ, an aliud quid? fateor & me aliquandiu dubitaſſe, tandem tamen neutrum, ſed omninò *Uvas* deprehendi, humi projectas, indeque forſan & Crotalum pedi ſubjectum, de quo modo judicium ſuſpendi, & ipſum per inſanam ſaltationem manibus priorum excuſſum, humique projectum agnoſces. Quicquid ſit, ad *Tibias* adhuc notari meretur differentia; altera enim *recta*, altera *curva* eſt. De hac Virgilius Æn. II.

Aut ubi curva choros induxit Tibia Bacchi.

Sed de his plura Caſpar Bartholinus de Tibiis Veterum. Sequitur

SATY-

SATYRUS JUVENIS.



Satyrus hic eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, fateor. Pedes caprini eum apertè demonſtrant; ſed mirari ſubit, quòd inter antiquitatis reliquias Satyrus juvenis hactenus non apparuerit? Apparuit ſanè, reſpondit DULODORUS, & quidem in Galeria Giuſtiniana p. 61. ubi Satyrus puer fiſtulam novem cicutis compactam inflat, Nymphâ interim Bacchi infantis ori cornu admovente: Et iterum p. 122. ubi Satyrus puer cum tibia, aut cornu, inter cæteram pompam, Bacchi currum præcedit. An autem, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Authorum ſuffragium rem firmat? Imò vel maximè, reſpondit DULODORUS; Pauſanias enim Satyrum Puerum Baccho poculum porrigentem, pulcherrimum operum Praxitelis memorat in Atticis, & Ovidius Met. Lib. XIV. non fruſtra canit:

Quid non & Satyri, ſaltatibus apta juventus.

Notandum autem, vanam eſſe diſtinctionem inter Satyros & Pana, quam Hofmannus in Lexico habet, quòd ſcilicet Satyri nec fiſtulam, nec pedum, nec pellem habuerint; omnia enim hæc in altero Galeriæ Giuſtinianæ apertè viſuntur, ut propoſitum taceam, qui tamen & ipſe Pellem geſtat. Geſtat & & hinnulum, excepit ARCHÆOPHILUS, & niſi fallor Calathum fructibus refertum. Utrumque fortaſſis, reſpondit DULODORUS, ſacrificium adornaturus: Fortaſſis etiam ex venatione redux, vel ut ruris pecorumque præſidium adumbret; neque enim an hinnulus, an aliud animantis genus humeris impoſitum geſtet, liquidò diſcerno. Quod ad Calathum attinet, notandum, talem & eos Satyros capitibus impoſitos geſtare, qui inter Statuas Romanas p. 19. viſuntur. Corbes ibi ſunt uvis referti, excepit ARCHÆOPHILUS. In propoſito âutem fructus non diſcerno; Libidinem tamen miror in membro ſatis petulanter erecto. Quod mireris, reſpondit DULODORUS, hic nihil eſt. Jamdudum rem obſervavit Diodorus Lib. I. c. 55. *Panes*, inquit, *& SATYRI eandem ob cauſam in veneratione ſunt apud homines, ob quam & Hircus & Pu-*

& Pudenda, obgenerationem ſcilicet, quocirca etiam imagines ipſorum in fanis plerique dedicant ARRECTIS ita MEMBRIS, ut hirci naturam imitentur. Hanc enim pecudem ad coitum ferri procaciſſimè traditur. Sed de his quid opus plura dicere, cùm & Etymon laſciviam teſtetur? Ad noſtrum, quod ex ære eſt, juvat adſcribere Epigramma vetus ex Florilegio Lib. IV. c. 12. n. 100.

Η Σάτυρος τὸν χαλκὸν ὑπέδραμεν, ἢ διὰ τέχνης
Χαλκὸς ἀναγκασθεὶς ἀμφεχύθη Σατύρῳ.

Aut Satyrus æs ſubiit, aut ob artem
Æs coactum circumfuſum eſt Satyro.

Succedit

SACRUM SYLVANI.



Marmor hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Licetum vidi in Tractatu de Lucernis. Ex Thomaſino id deſumſit, reſpondit DULODORUS, Thomaſinus à Caſalio habuit, & in tractatu de Donariis id latius interpretatus eſt. Oſtendit ibi, Sylvanum à Sylvis denominatum, Deorum ruſticorum præcipuum fuiſſe,

fuisse, immolatumque ei porcum pro pecorum valetudine & agrorum fertilitate: Ostendit, aræ adstantem figuram mediam tunicatam & incomtam, solenni sacrificii ritu ad dextram conversam, manu aram tangere, erectoque vultu preces fundere: agrestium puerorum altero distentis interim buccis geminam tibiam inflante, altero ad arborem canem venaticum loro trahente, quod animalis genus in sacris mactatum primitùs constet: Ostendit, ab altero latere porcum vittatum, veluti Sylvano sacrum & litandum, à ministro teneri, eumque ponè, villicum pilam cervice gerere, tundendis frugibus, quæ immolandæ erant: Ostendit, Sylvanum in medio non frustrà nudum esse, relictâ scilicet apud Herculem veste: Capitis velamen esse obscurum, coronam tamen ei tribui, dubium an è ferula & liliis, ut apud Virgilium? Arbores arbitratur Palmam & Quercum cum Grutero, quòd æternitatem denotent: Falcem ad cædendas Sylvas refert: De ramo, quem sinistrâ præfert, Gratium in Cynegeticis citat:

Inculto Silvanus termite gaudet.

Rem optime persecutus est, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem? annon ramo huic Nux Pinea affixa cernitur? Non Pineam, respondit DULODORUS, sed Cupressi arbitratur Thomasinus, idque secundum Virg. I. Georg.

Et teneram ab radice ferens, Sylvane, Cupressum.

Sed ut verum fatear, Nucis Cupressi alia planè apud Botanicos figura est: adeò ut pro Pinea & ipse sentiam, adjutus statua Sylvani apud eundem Thomasinum, quæ Pineam Nucem cum aliis fructibus laciniâ præfert. Pineam nucem, inquit ARCHÆOPHILUS, soli Cybeli dicatam arbitrabar. Imò etiam Pani, respondit DULODORUS; id enim ex Lucretio patet lib. 4.

Pinea semiferi capitis velamina quassans.

De Pane hoc, inquit ARCHÆOPHILUS: Ubi autem de Sylvano? Annon recordaris, respondit DULODORUS, quod modò docui, Pana & Sylvanum eundem Deum fuisse? hoc sanè si supponas, non miraberis in Antiquitatum nostrarum reliquiis res sacratas interdum confundi. Ita in marmore Boissardi Panos figuram SYLVANO subscribi, jam dictum est, & in Proposito nos Pinus adjungitur Sylvano, figurâ illâ quadratâ delineato, quàm ei tribui in ipse observasti. De Pinu acquiesco, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem Palma & Quercus? Thomasinus has agnoscit, respondit DULODORUS. Sed quæsò, ARCHÆOPHILE! Marmor inspice! annon idem harum arborum figura, quæ & termitis, quem manu Sylvanus noster præfert? Rectè sentis, subjecit ARCHÆOPHILUS, cùmque termitem hunc Pini ramum, & non Cupressi ostenderis esse, jam nec de arboribus dubito. Gratulor potius & mihi & publico, quòd insignem, hoc in marmore, Thamasini errorem detexeris. Error respondit DULODORUS, non tam Thomasini est, quàm Gruteri, aut potius Horatii della Valle JCti, Possessoris scilicet Romani, quo Gruterus ejus descriptionem accepit, Operique suo intulit. Gæterùm illud notandum, in Pictura Thomasini etiam in lacinia, à collo dependente, juxta stipitem in sinistra nucem pineam pingi, cùm tamen non hæc, sed aperte uva, aliique fructus arborei in marmore sint, quales & in altera Sylvani statua apud eundem Thomasinum. Quid fructus arborei ad Sylvanum? inquit ARCHÆOPHILUS. Sylvanus, respondit DULODORUS, non pecorum tantùm, sed & agrorum Deus credebatur, utpote qui Servio teste, primus plantationes instituerit. Sed idem clarissimè Virgilius Æn. 8. v. 600.

Sylvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelasgos,
Arvorum pecorisque Deo, lucumque diemque.

Ex quibus utique facilè conſtare poteſt, non arbores tantùm, ſed & arboreos fructus Sylvano ſacros fuiſſe: Notandumque, corollam arbori à dextrâ appenſam, non ex foliis, ſed ex globulis, forte fructuum quodam genere, ligatam eſſe. Rem agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS, videorque ex allatis intelligere; De Pila autem, quam Villicus à ſiniſtra, cervice gerit, dubitem an vera ſit Thomaſini opinio? Præter enim quòd aliter depictam dederit, ac in marmore exſtat, quis de tundendis in ea, & immolandis frugibus nos edocet? Si Thomaſino minus credas, reſpondit DULODORUS, poteris hoc vas lacti addicere, quod Sylvano antiquitùs fundebatur. Audi Horatium L. 2. Ep. 1. v. 139. & 141.

Agricolæ priſci fortes, parvoque beati,
Tellurem Porco, Sylvanum Lacte piabant.

Ratio futilis non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS; quid enim ſi in memoriam ſacrificii antiquiſſimi, hoc vaſculum vacuum portetur, altero illo, quod proul dubio à Tellure translatum eſt, in Porca noſcendo, ſecundum Juvenalem Sat 6. v. 445.

Cædere Sylvano Porcum.

Sed tegumen capitis mihi aciem ferit; Quale enim hoc ſit, vix ac ne vix quidem diſcerno. Quid ſit? reſpondit DULODORUS, ego cum ignorantiſſimis ſcio; Licet enim agreſtem capitis honorem agnoſcam, non minus ac in Virgiliano illo Ecloga 10. tamen nec *florentes ferulas, nec grandia lilia* video: imò potius Calathum deprehendo, qui Sylvano, non minus ac Satyris, ut modò dixi, adeò abſurdè non daretur, ſive præfecturam agrorum conſideres, ſive ad placita Prudentiorum ὑλικὸν Θεὸν arbitreris; Utrinque enim Calathi ratio non incongrua foret. Re in medio relictâ, inquit ARCHÆOPHILUS, ad ſubſcriptionem deſcendo. Sylvanum hic *Sanctum* cognominari video. Id non ir hac tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & in pluribus aliis apud Gruterum Inſcriptionibus; Sed hoc ſubſcriptionem hanc non tam commendat quàm intricatior ſenſus, cùm alii *AUGuſto* in ea, alii *AUGuſti* legant, neutr ſenſu veritati congruo. Illi Sylvanum cognomento *Auguſtum* arbitrantu dictum, non minus ac Apollinem, aliaque Numina: Hi votum Liberti cujusdan pro ſalute Auguſti ſuſceptum arbitrantur, uti videre eſt apud Thomaſinum qui & ipſe *Auguſti* legit, probatque, ritè *ſuccepto* pro *ſuſcepto* dici, quòd ii vetuſtioribus libris Virgilii Æn. 1.

Succepit ignem foliis,

Pro *ſuſcepit* legatur. Valeant hæc! inquit ARCHÆOPHILUS. Vocen AUG. autem ego nec *Auguſto*, nec *Auguſti* legerem; Quid enim Auguſti? ai Libertus? Si litera L. adjecta eſſet, reſpondit DULODORUS, faterer: cùn abſit, omninò *AUGuſtus* legendum contenderem, ſenſu ſanè planiſſimo, cùm hâ ratione & *Sacrum* noſcatur in marmore, & *Deus*, cui id factum, in SANCT SILVANO, Et *is qui fecerit*, nempe *AUGuſtus*, Et *cauſa* cur fecerit, vo ſcilicet *SUCCepto*: Imò ne & votum ratione caruiſſe arbitreris, additur ſuſcep tum EX VISO, vel EX VISU. Quid clarius dici poteſt? Eadem conjectura, in quit ARCHÆOPHILUS, & mihi placebat: Illud autem aliquantiſpe cohibuit, an dignitas Auguſti permittat, ut ſolis tribus prioribus literis is ex primatur. Tribus literis, reſpondit DULODORUS, etiam iis in nummi deſignatur, in quibus Templum ROM. & AUG. ſubſcribitur. Cæterùm n

pluri

pluribus literis in nostro marmore scriberetur, angustia spacii causa esse potuit. Etiam ruditas artis in censum venit, excepit ARCHÆOPHILUS; Hæc sanè tersissimo Augusti ævo minus videtur quadrare. At quadrat rei expressæ, respondit DULODORUS; optimè enim Thomasinus: *Tabula*, inquit, *est marmorea duos ferè palmos alta, sesquipalmum lata, cujus dorso quatuor insculptæ sunt cavernulæ* (imò angulis quatuor foramina) *quibus dubio procul parieti appendebatur. Icones symmetria & habitu argumento rudiori decorè conveniunt*: Adeò ut hîc non tam artis ruditatem, quàm artificis Genium mireris, qui rei subjectæ tam peritè famulatus est. Subit

PRIAPUS
DEUS GENERATIONIS.

Hæc statua, excepit ARCHÆOPHILUS, obscœnior est, quàm ut sanctiori Literatorum Collegio proponi debere videri possit. Antiquitati, respondit DULODORUS, & præstantissimæ arti, is meritò habetur honos, ut non supprimatur celeberrimum utriusque monumentum: præsertim cùm simul ostendat, ubicunque in obscœnis ludit, non deesse vel Arti genium, vel Genio petulantiam. Priapus hîc exhibetur, dimidia marmoris, quâ effictus est magnitudine. *Marmoreum* Priapum nominat Martialis lib. VI. Ep. 72.

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum;
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto,
Præter MARMOREUM, nihil, PRIAPUM.

Priapum, inquit ARCHÆOPHILUS, agnosio, non ex fasciculis Phallorum tantùm, sed etiam ex subscriptione ΠΟΙΜΕΝΙ ΤΗΣ ΓΕΝΕΣΕΩΣ, *Pastori Generationis*. Eôdem hoc modô, respondit DULODORUS, quô apud Gruterum CONSERVATOR PROPAGINIS VILLICORUM inscribitur: Credebatur scilicet *generationem* juvare, non hominum tantùm, quod ex membris intelligimus, quæ & ipsa passim *Priapi* nomine veniunt, ut infra videbimus; sed & Pecorum & Plantarum. De Pecoribus ex Virgilio discimus:

Nunc Te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto!

Imò & ex Pausania, qui Capellarum Oviumque greges, & Alvearia, ei curæ fuisse, in Atticis memorat. De Plantis est custodia Hortorum & Vinearum, quibus Isidoro docente præest, ob fœcunditatem: Sunt res sacratæ, de quibus ipse apud Scriptorem Ithyphallicum Epigrammate. LXXXV.

Vere rosâ, autumno pomis, æstate frequentor
Spicis. Una mihi est horrida pestis Hyems.

Ut proinde, non abs ratione, quidam eundem cum Sole putârint, uti videre est apud Vossium de Idololatria lib. 2. qui & plerisque in Statuis eum læva veretrum suum intentum tenere, ex Suida docet, quòd Semina terrâ occulta producat in apertum. Proposita in Statua, subjecit ARCHÆOPHILUS, veretrum tensum non est, imô vix aliqua ejus supersunt vestigia? Benè mones, respondit DULODORUS; Attamen ne sic quidem desinit Priapum referre. Si Romanus esset, non abs ratione eum putares, qui Epigr. XXV. ad Quirites queritur:

Ipſi cernitis, exfututus ut ſim,
Confectusque, macerque, pallidusque,
Qui quondam ruber & valens ſolebam
Fures cædere, quamlibet valentes.
Defecit latus, & periculoſam
Cum tuſſi miſer exſpuo ſalivam.

Scilicet, quod meretricularum fatum eſt, cùm ipſas ætatis gravitas Venereis Sacris excludit, ut alios excitent, & vel ſic officium adimpleant: id & huic Priapo videri poteſt eveniſſe, cùm phallos quaſi venum exponat, ipſe crebris actibus inhabilis: Niſi fortè poſt labores languidum arbitreris, moxque reſurrecturum, qualis & ille, qui Epigr. LXXV. exclamat:

Obliquis, Pathicæ, quid me ſpectatis ocellis?
Non ſtat in inguinibus mentula tenta meis.
Quæ tamen exanimis nunc eſt, & inutile lignum,
Utilis hæc, aram ſi dederitis, erit.

Quicquid ſit, Teſticulorum craſſities naturæ habitum abundè demonſtrat: Demonſtrant phallorum faſciculi, quos utrâque manu ſatis luculentos geſtat: Imò & utrinque apertos, quod de ſe ipſo teſtatur Epigr. XIII.

Nos Vappæ ſumus, & puſilla culti
Ruris Numina. Nos pudore pulsô
Stamus ſub Jove COLEIS APERTIS.

Ad teſticulorum craſſitiem appoſitè quadrat illud Epigr. XIV.

Magnis teſtibus iſta res agetur.

Ad phallorum faſciculos ritè inclamaveris ſpectantium choros:

Qui ſapiet, malum cavebit,
Cùm tantum hîc ſciat eſſe mentularum.

Vides, amantiſſime ARCHÆOPHILE, quàm doctè in his operatus fuerit Artifex? Non doctè tantùm, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſed & artificioſè. Elegantia ſanè major eſt, quàm ut Priapo convenire videatur. Rudi manu eum formari ſolitum, Authorum ſuffragiô conſtat; At Hic vel cum Phidiæ Operibus certet. Rudi manu, reſpondit DULODORUS, interdum fieri ſolitum, inficias non ierim; ſed hoc non obſtat, quò minus & artificioſè interdum formatus fuerit. Audi ipſum apud Martialem:

Non rudis indoctâ fecit me falce colonus.
Diſpenſatoris nobile cernis opus.
Nam Ceretani cultor notiſſimus agri
Hos Hilarus colles & juga læta tenet.
Adſpice, quàm certo videor non ligneus ore,
Nec devota focis inguinis arma geram;
Sed mihi perpetuô nunquam moritura cupreſsô
Phidiacâ rigeat mentula digna manu.

Scilicet non artificii præſtantia à Priapo aliena eſt, ſed elegantia formæ:

Me pulchrâ fateor carere formâ,

Ait ipſe Epigrammate XXIX. Et Epigr. LXIII.

Imi perfluunt ſinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt noſtros,
Rigetque dura barba juncta Chryſtallo.

Cui


pag. 263.

Cui proinde graphicè Catullus :

Non Tibi barba nitet, non Tibi culta coma eſt.

Archiæ Græco Φοξὸς, *vultu diſtortus*, & ἄπους, *pedibus carens* audit, planè qualiter in Statua viſitur :

Βαιὸς ἐδεῖν ὁ πρίηπος, ἐπ αἰγιαλῖτιδα ναίω,
    Χηλὴν αἰθύιας ὔποτε ἀντιβίης.
Φοξὸς, ἄπους, οἷον κεν ἐρημαίησιν ἐπ' ἀκταῖς
    Ξέσσαιαν μογερῶν ὑιέες ἰχθυβόλων.

Littora parvus ego hîc habito ſaxoſa Priapus,
    Nullaque cum mergis bella cruenta gero.
Diſtortus vultus, pes nullus, falce dolando
    Piſcator talem finxerit, aut melius?

Quibus ex verbis & aliam Priapi præfecturam diſcimus, Portuum ſcilicet, unde λιμενίτης Græcis, Latinis *Portumnus* dicebatur, de quo Apulejus lib. 4. Mileſiarum, & ipſe appoſitô ad barbam lemmate : *Portumnus*, inquit, *cærulis barbis hiſpidus*. De barba, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ruſticoque faciei horrore, ex his abunde conſtat, de falce autem & hedera adhuc doceri cupiam, neque enim ſatis capio, quid hæc ad Priapum? Falcem Priapo fuiſſe, reſpondit DULODORUS, imò & Falcis uſum, Tibullus adſtruit, Lib. I. El. 1.

Pomoſisque ruber Cuſtos ponatur in hortis,
    Terreat ut Sævas FALCE Priapus aves.

Quidni & fures?

Cuſtos furum atque avium cum FALCE SALIGNA

Memoratur Virgilio, Georg. 4. Falcem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſertum hederaceum excipit. In ſerto hederaceo, reſpondit DULODORUS, imò & in hedera, quâ ut in averſa hujus ſtatuæ cernimus, egregiæ Priapi merces colliguntur, ſuccurrit pompa Dionyſiaca apud Athenæum, ubi hederaceam ex auro Priapus geſtaſſe memoratur : Et Theocritus in Epigrammatibus :

Τὸν κρυκόεντα Πρίηπος κισσὸν ἐφ' ἱμερτῷ κρατὶ καταπτόμενος.

Priapus croceam hederam pulchro capiti circumligatam habens.

Epigramma LXXXIV. Pampineam ſubſtituit :

Sacrum revincte Pampino caput.

Cauſa differentiæ non alia eſt, quàm quòd frondes hæ, haud adeò diſpari jure, Baccho debentur. Pampinus vinum producit, præcipuum Bacchi munus ; Hedera autem Ebriorum tempora refrigerat, eamque ob cauſam, à Baccho primùm uſurpata legitur ; Non de Baccho, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed de Priapo nobis ſermo eſt. Priapus, reſpondit DULODORUS, & Bacchi filius fuit, & vinearum cuſtos. De vinearum cuſtodia teſtatur Catullus Carm. 19.

Hæc neceſſe Priapo
Præſtare, & Domini hortum Vineamque tueri.

De filio Bacchi communior ſententia, quanquam alii aliter.

Bacchi ruſtica proles

Tibullo audit, lib. 1. Eleg. 4. Pauſanias in Bœot. de utroque Parente, & Baccho & Venere teſtatur. Diodorus & rationem addit, quòd vino repleti naturâ ad Venerem concitentur. Alii Najadis Nymphæ & Dionyſii filium ſtatuunt, qua de re videſis Strabonem lib. 13. Alii filium Chiones, vide Antipatrum Sidonium, & Scho-

& Scholiaſten Theocriti: Alii Adonidis, vide Apollonium: Alii Mercurii, vid. Higyn. Fab. 160. concinnam quicunque ob rationem, cùm Mercurius *eloquentiam* deſignet, cujus in excitanda prurigine vim, nemo eſt qui ignoret: Adonis *Sol* fuerit, cujus vi genitale ſemen, quod *Priapum* dixére, vivificatur; Chione *nivem* ſignificet, quæ alba eſt, quòd album & ſemen: Najas *humor* ſit, ex quo, non minus ac Dionyſo, id eſt Sole & calore, ſemen naſcitur. ARCHÆOPHILUS, licet attentè auſcultâſſet, rem tamen non ſatis capiebat: Igitur ſuprà, inquit PRIAPUM cum Sole eundem feciſti; at hîc Solis filium videris ſtatuere. Eundem hîc Bacchi filium doces; at Suidas Πρίαπος ὁ αὐτὸς ἐςὶ τῷ Διονύσῳ, *Priapus idem eſt cum Dionyſo*, inquit, id quod & Scholiaſtes Theocriti Idyll. 1 aſſerit: At quomodo fieri poteſt, ut idem fuerit & Sol, & Solis filius? idem & Bacchus, & Bacchi progenis? Si rationes Theologiæ Gentilis intuearis, reſpondit DULODORUS, res abſurda non erit. Priapus Sol eſt, ſi pro cauſa efficiente ſumas; Si autem pro effectu, vi procreatrice, aut Semine, erit Solis filius. Ita & de Baccho. Si hunc pro Sole ſumas, id quod fieri latius demonſtrari poſſet, utique Priapus pro eôdem ſumtus, à Baccho diverſus non eſt. Si autem Priapum pro ſemine ſumas, erit Bacchi filius, ſive Bachum Solem putes, ſive Vinum, cùm utriusque calore genitalis vigor & excitetur & in idoneam ſeminis abundantiam ebullire ſoleat. Sed ecce!

PRIAPUS SALTANS



Nos vocat. Hunc apud Cauſæum vidi, inquit ARCHÆOPHILUS, qui & commodè ad Saltationem & Crotala Virgilium citat, quem & Tu ſuprà de Copa Syriſca:

Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

Et in Priapo:

Cymbala cum crotalis prurientiaque arma Priapo.

De Crotalis & Saltatione, reſpondit DULODORUS, hæc oppoſitè; At autem

nec honeſtati, nec pietati contrariari, id quod pluribus ejusmodi exemplis demonſtravit allegatus Cauſæus. Sed ad rem! Criſtam Galli non tantùm noſter præfert, ſed & alius, quem Cauſæus protulit, ΣΩΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ ſubſcriptus. Ratio procul dubio ſalacitas eſt. Ita enim Politianus:

Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem
Implet.

Res aperta èſt, inquit ARCHÆOPHILUS; Calidæ enim alacrisque naturæ hoc animal perhibetur, maximèque ad coitum & libidinem proclive. Id quod Cauſæus memorat, qui & Soli ſacrum ex Pauſania El. pr. notat, quòd cantu reditum ejus denunciet. Priapum autem cum Sole eundem eſſe, jam ſuprà dictum eſt. Recordor, excepit DULODORUS, & juxta memoriam ſubit & Galli Metamorphoſis, quam Lucianus in Gallo refert. Adoleſcentem videlicet, Martis miniſtrum, quòd Deo cum Venere concumbenti ortum Solis indicare neglexiſſet, in id animal mutatum, criſtamque ei pro galea impoſitam eſſe. Quid hoc ad propoſitum? inquit ARCHÆOPHILUS. Multum, reſpondit DULODORUS; Suprà enim audivimus, Priapum Marti in diſciplinam traditum, adeòque Martium etiam Numen creditum; Quid igitur, ſi criſtam & hîc pro galea, adeòque Martis eô ſymbolô conſortium venditet? Si ita ſentias, repoſuit ARCHÆOPHILUS, poteris etiam ad Mercurium reſpicere, cujus Gallus *aſſeſſor* eidem Luciano dicitur, idque eò juſtius, quò apertius hoc in ſimulacro & crumena Mercurium arguit. Priapum certè veteribus cum Mercurio eundem creditum evincunt, Hermæ erectis in modum Priapi virilibus paſſim obvii: niſi fortè ad potentiam reſpicias, cujus cauſa, ut Cauſæus obſervat, Phœnices Diis ſuis aurea marſupia addidiſſe Codinus tradidit, de Orig. Conſtant. Οἱ φοίνικες τοῖς Θεοῖς ἀυτῶν πλάττȣσιν ἐπιφέροντας βαλάντια χρυσᾶ ὡς τȣ̃ χρυσȣ̃ σύμβολον. Admitterem placitum, inquit DULODORUS, ſi & noſter crumenam auream præferret; Cùm autem æream oſtendat, & quidem cûm dependentibus inde duobus phallis, omninò ad mercatum reſpexerim, quâ vetulæ, quod formâ non poſſunt, opibus conſequuntur. Ita enim Priapus ipſe Epigr. LXII.

Cornix, & Caries, vetuſque buſtum,
Turba & putrida facta ſæculorum,
Quæ forſan potuiſſet eſſe nutrix
Tithoni, Priamique, Neſtoriſque,
Illis ni pueris anus fuiſſet,
Ne deſit ſibi, me rogat, fututor.
Quid ſi nunc roget, ut puella fiat?
Si nummos tamen hæc habet, puella eſt.

Si hoc ita ſe habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, Priapus Noſter Crumenam portat, non tantùm ut nummos daturus, quò tendit Ovidiana Danaë, & illud Tibulli L. I. & 5. *donis vincitur omnis amor*; ſed & accepturus, ut vetularum divitum libidinoſam alliciat liberalitatem: Quâ ratione fortaſſis haud abs re erit, ſi tintinnabulum ſiniſtræ Priapi ideò appenſam credamus, ut emtores, ejus ſonitu convocentur; Quanquam Cauſæus ad clamores in Bacchi Orgiis hoc referat, ſubſcribente Priapi etymo, ita dicti, quaſi βριήπυος *vehementer clamans.* Mihi, inquit DULODORUS, aliud adhuc in mentem venit. Quid ſi ſacerdotum hîc fraus & avaritia lateat, nummis & muneribus Priapi merces obtineri, mulierculis eum in finem perſuadentium, ut largiore ſtipe ejus ſacra obirent? Elegans eſt apud Lucianum hiſtoria: *Apud Syros*, memorat, *Phallos*

fuiſſe trecentarum ulnarum, à Baccho dedicatos, eosque quotannis virum aſcendiſſe, ſeptemque in ſummitate per dies precibus vacaſſe eorum, qui AURUM ARGENTUM & ÆS attuliſſent; interque preces TINTINNABULUM ÆREUM pulſaſſe, quod motum magnum & aſperum ſonum ediderit: Quæ ſanè & ad Crumenam & ad Tintinnabulum non parùm faciunt; Certum enim eſt, ad Priapum & laſciviæ & fœcunditatis causâ adiiſſe mulieres, id quod non tantùm ex Epigr. ſuperiore, ſed & ex XI. patet, in quo Priapus ait:

Quædam ſerior Hectoris parente
Infirmo ſolet huc gradu venire,
Rugoſasque manus ad aſtra tollens,
Ne deſit ſibi, mentulam rogare.

Imò etiam ex Antiquitatum reliquiis, ut apud Agoſtinum in ſacrificio Caligulæ, & apud Boiſſardum, ubi mirum, quâ devotione Matronæ Priapi ſceptrum intuentur.

VENUS CNIDIA



Prodit. Venerem ex nuditate agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS; ita enim

enim Arnobius: *Venus nuda formata, & aperta, tanquam si illam dicas publicè divendere meritorii corporis formam.* Quid hoc mirum? excepit DULODORUS, cum tamen, eôdem authore, Venerem Praxiteles ad Phrynes meretricis formam effinxerit? Cnidia tamen illa, quæ primo hîc loco occurrit, paulò pudentior videtur, utpote quæ Luciano, imò & statua hodiènum testante, licet nuda conspiciatur, tamen manu pudenda contegit. Secus

VENUS MARINA;



Hæc enim dextrâ protensâ nescio quid prætendit, sinistrâ adhuc concham tenet, quæ Venerem Marinam apertè demonstrat. An Concha hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ex eorum numero est, quæ *Venereæ*, vulgò vocantur? Non est, respondit DULODORUS; Conchæ enim illæ leves fuére, ut patet ex Martiale, Lib. II. Ep. 47.

Levior à Conchis, Galle, Cytheriacis.

Plinius earum formam latius describit, Lib. IX. c. 25. ex Mutiano: Muricem scilicet esse, latiorem purpurâ, neque asperô, neque rotundô ore, neque in angulos prodeunte rostrô; sed simplice Conchâ utroque latere sese colligente: quibus inhærentibus plenam ventis stetisse navim, portantem nuncios à Periandro, ut castrarentur nobiles pueri, conchasque, quæ id præstiterint, apud Cnidiorum Venerem coli. Plinius de Echineide, subjecit ARCHÆOPHILUS, hoc loco sermocinatur. Imò de hac ipsa Concha Cytheriaca, respondit

DULODORUS; talis enim videri potest apud Philippum Buonanni, qui ex professo de Conchis scripsit. Multo aliter se habet Concha, quam Venus nostra præfert; Striata enim est, & patula, qualiter Pectines solent. An & talis Veneri dicata est? excepit ARCHÆOPHILUS. Est, inquit DULODORUS, & quidem à primis nativitatis primordiis; Nam cum è mari prognata esset, tali Conchâ memoratur in Cyprum navigasse. Res ex marmore patet, inter alia plurima à Cel. Pighio delineato: Patet & ex Lil. Gyraldo, qui Venerem nunc ut puellam in Concha è mari exeuntem, nunc ut fœminam Concham tenentem, observat, fuisse effictam. Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, duplex ego Concharum genus Veneri sacrum agnoverim. Imò & addiderim Conchas margaritiferas, cùm Julius Cæsar Thoracem, ex margaritis Britannicis factum, Veneri Genetrici legatur dedicasse. An ad Conchas hoc pertineat, excepit DULODORUS, alii judicent. Ego potius ex Hesychio adhuc observavero, Concharum aliquod genus etiam *Veneris aurem* vocatum esse. Οὖς Ἀφροδίτης. οἱ ἁλιεῖς, inquit, ὄςρεόν τι ὅτω καλῦσιν. Sequitur

VENUS
COLUMBAM PRÆFERENS,



Columbas, inquit ARCHÆOPHILUS, Veneri sacras fuisse, tritum est. Silio *Cithereïa ales, & delectæ Veneri, notæque ab amore Diones:* Statio *Idaliæ volucres:* Martiali *Paphiæ* vocantur: Et quis nescit, Veneris eas currui fuisse junctas? De his, respondit DULODORUS, plura T. 1. p. 203. In proposito simulacro autem illud singulare est, quòd columbam Venus manu præferat, id quod

quod in aliis obvium non eſt. Me nuditas devinctum tenet, inquit ARCHÆOPHILUS, memoriamque ſubit Plautus in Muſt. ubi Venerem *venuſtam* appellat: Subit Venus καλλιπύγος *pulchriclunis*, cujus hiſtoriam apud Athenæum legimus. Recordor, inquit DULODORUS, & plura addere pigeret, niſi

VENERIS CONCUBITUS



Subiret, in fictili graphicè expreſſus. Jovem & Junonem hos arbitrabur, inquit ARCHÆOPHILUS; Hæc enim non nuda, ut Venus, ſed pulchrè induſiata eſt, qualiter alibi Juno ſolet. Venerem induſiatam, reſpondit DULODORUS, imò & ſtolatam, in nummis & marmoribus frequenter cernimus. Numiſmata Cæſaris & Fauſtinæ recole! Recole Marmora Galeriæ Giuſtinianæ! Non deerit aſſerto fides. At in concubitu? excepit ARCHÆOPHILUS. Quidni? reſpondit DULODORUS; neque enim hic adumbratur habitus, quô in mediis ambo deprehenſi amplexibus à Vulcano capti ſunt, ſed quo *torum conjunx & adulter in unum* venère. Martem utique Clypeus apertè demonſtrat. De Face mihi dubium eſt, excepit ARCHÆOPHILUS; hæc enim, an Martis geſtamen fuerit? Fuerit nec ne? reſpondit DULODORUS, nunc non diſquiro; adjecta enim hîc videri poteſt, non quòd Martis geſtamen, ſed quòd geſtamen amantis; Facibus enim ad Amaſias itum, jam T. 1. p. 125. notavi. Sed dubito, an fax? annon potius Gladius hîc ſit, Martis Indubium geſtamen? Sequuntur

GRA-

GRATIÆ.



Gratias ego *tres* arbitrabar, inquit ARCHÆOPHILUS, & totidem etiam in marmore video, vidi & supra in Gemmis; Quid igitur subscriptio, AD SORORES IIII? Gratias, respondit DULODORUS, etiam *quatuor* creditas, observat Lil. Gyraldus, atque Horas sub iis intelligi, & *καιρὰς, tempora* & *partes anni*, ideoque unam floribus fructibusque Terræ, alteram spicis & frumento, tertiam uvis pampinisque & pomis, ultimam olivis cæterisque similibus fuisse coronatas. Spicas, excepit ARCHÆOPHILUS, Gratiarum una etiam in hoc marmore præfert, cùmque similia ejusmodi insignia etiam tres Gratiæ præferre soleant, quid obstat, ut & has ad Tempora referamus, *Ver* scilicet, *Æstatem* & *Autumnum*, quæ amœnitate suâ Gratiarum nomen justius merentur, quam *Hyems*? Hæc enim horrida, quid mirum si a Gratiarum cœtu fuerit exclusa? Opinio futilis non est, respondit DULODORUS, eique si insistas, haud forsan absurdè fœminam sedentem Gratiarum quartam credideris, ideò sedentem & vestitam, quòd Hyemis ea præses sit, quâ durante cuncta quiescere, frigorisque acerbitatem vestitu excludere solent. Sed mihi alia adhuc sententia surgit. An Junonem hanc credis? inquit ARCHÆOPHILUS; Junonis enim specie velata sedet. Juno, respondit DULODORUS, Gratiarum soror non fuit. Mater potius quibusdam credebatur, uti videre est apud Coluthum de raptu v. 171. seqq. Cum igitur quatuor *sorores* hîc exhiberi, indubium sit, utique de tali omninò est disquirendum: nisi fortassis Venerem Junonem in medium adferas, cujus simulacrum in Laconicis memorat Pausanias, afferens pro filiarum nuptiis ei sacra à Matronis fieri solita. Venerem certè Columbæ Veneri sacræ, quæ in marmore visuntur, poterunt monstrare: Poterunt & conchæ, fortassis originis testes. Imò hæ, regessit ARCHÆOPHILUS, Venerem removere videntur; quî enim soror videatur Gratiarum, quæ diversis parentibus edita fuit? An nescis, respondit DULODORUS, diversas fuisse Veneres, & diversarum origines & actiones etiam antiquitùs con-

pag. 273.



confundi? Gratias filias Jovis eſſe, nemo dubitat: At ejusdem fuiſſe filiam & Venerem tertiam, Jove & Dione natam, Cicero de Natura Deorum teſtatur, quam proinde Θυγατέρα Διὸς Homerus non unô locô appellat, adeò ut non videam, cur *Gratiarum ſoror* Venus dici non poſſit, præſertim, cùm & ipſam Gratiarum unam fuiſſe, Pauſanias aſſeruerit. Veneris ſaltem comites Gratias nemo negaverit, quanquam, quod omninò dandum, nec defuerint, qui Veneris ex Baccho filias crediderint. Hæc utut ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi tamen, ut pro Venere ſentiam, velum obſtat, quô caput ſedentis inumbratur, indeque ſententiæ potius Celeberrimi Bellorii ſubſcriberem, cui figura hæc fœminea *ſponſa* quædam videbatur, cujus ſcilicet pulchritudini Sculptor hôc inventô fuerit adulatus, eam Gratiis annumerando. Si ſubſiſtere placet, reſpondit DULODORUS, per me licebit, quanquam ne ſic quidem Veneris ratio deſit; Venerem enim ſponſam memorat idem Pauſanias, à Theſeo conſecratam, cùm Helenam duceret. Quid quòd res nuptiales Venerem curare, in vulgus pateat? Si ad velum reſpicias, nihil agis; Sive enim *Peplum* hoc appelles, ſive *Calyptram*, utrinque à Venere nihil alieni videbis. De Peplo Veneris audi Homerum Il. E. v. 338. de Diomede Venerem vulnerante:

Αμβροσίȣ διὰ Πέπλȣ, ὄν οἱ Χάριτες κάμον αὐταὶ.

Ambroſium per Peplum, quem huic Charites elaboraverunt ipſæ.

De Calyptra eſt locus Pauſaniæ, in Laconicis, de Venere Morpho, *κάθηται*, inquit, *καλύπτραν ἔχȣσα*. Καλύπτραν ſanè licet Amaſæus *Galericulum* veterit, Sylburgius tamen in notis *Velum aut velamen capitis, quale Latinis erat FLAMMEUM*, vertendam exiſtimat: Adeò ut hæc à Venere aliena videri non debeat. Quanquam, ne quid diſſimulem, pro Bellorii ſententia militent Epigrammata L. VII.

Τέσσαρες αἱ χάριτες, παφίαι δύο, καὶ δέκα Μȣ͂σαι:
Δερκυλὶς ἐν πάσαις Μȣ͂σα, Χάρις, Παφίη.

Quatuor Charites, Duæ Veneres, & Decem Muſæ:
Dercylis in cunctis Muſa, Charis, Venus eſt.

Σὺν σοὶ δ' αἱ χάριτες τέσσαρες εἰσὶ, Φίλη.

Tecum Gratiæ quatuor ſunt, o Amica.


Subit

CUPIDO.

De Cupidine, excepit ARCHÆOPHILUS, res vulgatiſſima eſt; Quis enim aligerum hunc Veneris & natum & ſatellitem ignorat?

Cui plurimus ignis
Ore, manusque levi nunquam fruſtata ſagittâ

Statio memoratur. Sagittam, excepit DULODORUS, in propoſito, quem artificioſiſſimè ex ære fuſum, nativaque magnitudine delineatum oſtendo, non obſervamus, quanquam ſagittam ab arcu emittentis geſtum præferat, cui alioqui & venuſtas locum conciliat, prout reliquis rerum, quas præferunt, raritas. In ſequenti



Excepit ARCHÆOPHILUS, Uva cernitur, quæ utique per ſe rara non eſt. At rara eſt in Cupidine, reſpondit DULODORUS, & vel ideò attendenda, quòd duplicem ea ſenſum recipiat; *Vel* enim affiċta eſt, ut vini potu Cupidinem inflammari intelligamus, quò facere poteſt Gemma Theſ. Palatini, in qua Bacchus Cupidini uvam porrigit: *Vel* quòd nubiles & nuptiis maturas Amor carpat, quem in ſenſum Horatius:

Tolle Cupidinem
Immitis UVÆ, jam tibi lividos
Diſtinguet autumnus racemos
Purpureô varius colore.

Sed Plura videbimus infrà ad Urnam Affiniani. Prodit alius,



Qui, niſi fallor duo poma, aut ſi mavis, duos globos verſat. Neutrum mihi liquet, inquit

inquit ARCHÆOPHILUS. Quid Globi? quid Poma ad Cupidinem? De Pomis, reſpondit DULODORUS, ſubit effatum Coluthi de Raptu:

Πασάων δ' ἅ τε κύπρις ἀρειοτέρη γεγαῦα,
Μῆλον ἔχειν ἐπόθησεν, ὅτι κτέρας ἐςὶν Ερότων.
Venus autem, quaſi præſtantior exiſtens omnibus,
POMUM habere voluit, quòd PECULIUM eſſet AMORUM.

Amores ſanè pomis luſitantes videas apud Philoſtratum, & pomis amantes uſos, patet exemplô Acontii apud Ovid. Epiſt. XX. & apud Antoninum Liberalem, in quam rem & apud Virgilium in Eclogis:

Malô me Galathea petit laſciva puella.

De pomis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, hoc abundè inſtruit, quid autem de Globis? Amoris potentiam indicare poſſunt, quod non utrumque tantùm hemiſphærium; ſed & utrumque globum, tàm cœleſtem quàm terreſtrem, ſubigat inde ſanè Orpheus:

Πάντων κληῖδα ἔχοντα
Αἰθέρος, ȣρανίȣ, πόντȣ, χθονός.
Omnium claves habentem
Ætheris, Cœli, Ponti, Terræ,

Amorem appellat: Et Venus apud Moſchum in amore fugitivo *ad Acherontem & Inferni Regem*, ait, *jaculari, circumvolare nunc ad hos, nunc ad illos, ſagittamque in cœlum usque ferri, facemque Solem ipſum perurere:* Et in Dionyſiacis Nonni ΛΓ. v. 162. ad ipſum:

Ζεὺς ὕπατος, καὶ θȣ̃ρος ἄρης, καὶ θέσμιος Ερμῆς
Δειμαίνει σεο τόξα καὶ ὁ κλυτότοξος 'Απόλλων.
Jupiter ſupremus, & impetuoſus Mars, & Legitimus Mercurius
Formidat tuos arcus, etiam arcu inclytus Apollo.

Amoris potentia magna eſt, excepit ARCHÆOPHILUS; Quid autem ſequens?




An placentam comedit? Mellis Favum crediderim, reſpondit DULODORUS; eum enim furatum ex alveari, apud Theocritum legimus, Idyll. 19. quod Κηριοκλέπτης inſcribitur:

Τὸν κλέπταν ποτ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα
Κηρίον ἐκ σίμβλων συλεύμενον.
Furem quondam Amorem improba punxit apicula,
Favos ex alvearibus deprædantem.

Sed

VULCANUS



Veneris Maritus ſubit, cujus caput jam in Numiſmatibus Liparenſium vidimus, non minus Pileo rotundo tectum, ac in propoſito ejuſdem Sigillo. Pileum rotundum, inquit ARCHÆOPHILUS, cœleſtis volutionis ſymbolum memini: Hîc autem antequam ad alia tranſeam, de origine nominis doceri velim. Varia traditur, reſpondit DULODORUS, uti videri poteſt in Lexico Martini Martinii; Mihi autem nulla magis ridet, quàm Servii, qui Vulcanum quaſi *Volicanum* aſſerit dictum, quòd per aërem volet, quod & inſcriptione Numiſmatum firmatur, in quibus non *Vulcanus*, ſed *Volcanus* legitur; Ignis enim Deus credebatur, qui cùm ex aëre naſcatur, conſtare ſimul poterit, cur Jovis & Junonis Vulcanus filius audiat; nam ſub his aërem latere, in confeſſo eſt. Junonis filium novi, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ſubventaneo conceptu genitum, & ſine patre. Ita quidam, reſpondit DULODORUS. Homerus autem Il. α. v. 577. etiam pro Jove eſt, qui & ibidem à Patre, in Hymno Apollinis autem à Matre in Lemnum præcipitatum tradidit, quod & ipſum ex ortu rationem admittit. Sed hæc hujus loci non ſunt. Sola præfectura artis fabrilis hîc in cenſum venit. Malleum noſter dextrâ, forcipem autem ſiniſtrâ præfert. Cùm ignis impurior, excepit ARCHÆOPHILUS, ſub Vulcano intelligatur, ut alibi demonſtratum eſt, hujus autem in re fabrili præcipuus

uſus

ſus ſit, præfectura hæc ratione non caret; Mirari autem ſubit, cùm impurior gnis ſub Vulcano lateat, quomodo ejus Pileo Cœleſtis volutio intelligi poſſit? gnis impurior, reſpondit DULODORUS, ſub Claudis Vulcani pedibus latet, on ſub toto Vulcano; Ita enim Euſebius, quem jam alibi citavi, de Præparaione Evang. Lib. III. Τȣ̃ δ᾽ αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιςον, ἀνθρωπο ειδὲς ὲν αὐτȣ̃ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον, τῆς ȣ̓ρανίȣ σύμβολον περιφοᾶς, ἔνθα τȣ̃ πυρὸς ἐςὶ τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέςατον. τὸ δὲ εἰς γῆν κατενεχθὲν ἐξ ȣ̓ρανȣ̃ ῦρ, ἀτονώτερον, δεόμενον δὲ ςηρίγματος καὶ βάσεως τῆς ἐξ ὕλης. διὸ χωλεύει ὕλης εόμενον εἰς ὑπερείσμα. *Porro vim ignis VULCANI nomine expreſſerunt, ejusque imulacro hominis in ſpeciem configurato cœruleum pileum indiderunt, quô cœleſtem llam converſionem denotarent, ubi primigenius & ab omni fece puriſſimus ignis lomicilium ſuum collocavit. Nam qui è cœlo delatus in Terras ignis eſt, quod ropter majorem imbecillitatem materiæ, quaſi firmamento indigeat, claudicanti imilis effingitur*; Hæc Euſebius, & ſatis Philoſophicè; ſimplicius enim ad artis abrilis inventorem reſpicerem, eò quòd Pileus, talis omninò, qualis hîc Vulanum tegit, antiquiſſimis temporibus Græcorum geſtamen fuerit. Si Græci, xcepit ARCHÆOPHILUS, artem fabrilem inveniſſent, ſubſcriberem aſſerto: Nunc autem, ſi Diodorum audis, Vulcanus in Ægypto regnavit. Imò ſi Moſi ſſurgas, artem fabrilem invenit Tubal-Cainus Lamechi ex Sella filius, non in Græcia, ſed in Oriente. Utut hæc ſint, reſpondit DULODORUS, Græci tamen nventum hoc ſuis terris vindicaſſe, vel inde conſtat, quod Vulcanum artis inventorem in Lemno tradiderunt officinam ferrariam habuiſſe. Succedit

ÆSCULAPIUS



De Æſculapio, excepit ARCHÆOPHILUS, Tomo primo & ad Gemmas, & ad

& ad Numiſmata dictum eſt: In tertio autem propoſitorum, præter conſueta ejus inſignia, ſerpentem ſcilicet baculo circumvolutum, & pallium, & barbam, etiam *Calathum* video, quem hactenus nondum obſervavi, mirorque, quæ ejus ſubeſſe poſſit ratio? Si Cauſæum audias, reſpondit DULODORUS, qui & ipſe Sigillum hoc protulit, fœcunditatis & abundantiæ typum arbitraberis, digniſſimô Dei ſymbolô, cùm absque ſanitate pauperrimi, cum bona valetudine autem ditiſſimi ſimus: Et an Tu oblitus es, Æſculapium cum Serapide eundem creditum? cum Serapidè, inquam, cui calathus vulgò datur? Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & Cauſæum hoc ſimulacrum publicaſſe agnoſco, quanquam is ſerpentem non ſiniſtræ, ut hic viſitur, ſed dextræ ſubjecerit. Sculptoris id vitium eſt, reſpondit DULODORUS, quanquam rem non variet; in medio enim noſtrorum Æſculapius baculum dextræ ſuppoſuit, utrinque, ut Cauſæus ait, quaſi *ſuſtentaculum ægrotantium*, famulante illo Statii:

Maximus ægris
Auxiliator adeſt, & faſtinantia ſiſtens
Fata, ſalutifero mitis Deus incubat angui.

De baculo adhuc dubium ſubit, inquit ARCHÆOPHILUS; Apulejus eum ramulis ſemiamputatis *nodoſum* teſtatur, quod in his ſecus eſt. Alii, reſpondit DULODORUS, de nodis nihil: Imò & fabula ſive hiſtoria de reſuſcitato Minois filio, nodorum non meminit: adeò ut hos in Sigillis noſtris deeſſe, mirum non ſit. Sed

HERCULES



Se ſiſtit, & quidem terno habitu, prior eôdem ferè modô, quô à laboribus quieſcens,

efcens, opus Gliconis, in ædibus Farnefianis fpectatur. Dico *ferè*; Si enim probè confideres, non una adhuc eft utriusque differentia. Et qua in re? excepit ARCHÆOPHILUS. *Primò* in capite, refpondit DULODORUS: *Secundo* in manu dextra: *Tertiò* in clava: *Quartò* in tota corporis inclinatione. In Farnefiano caput nudum eft, Manus dextra retrò projecta clunibus innititur, Clava faxo impofita eft, Corpus totô fuô pondere clavæ incumbit, quæ omnia in propofito fecus fe habent. Caput coronâ oleaginâ cinctum eft, ut & in fecundo, Manus dextra femur amplectitur, Clava terram contingit, totusque Hercules erectiore ftatu clavæ fuæ innititur. In *tertio*, inquit ARCHÆOPHILUS, clavam Hercules finiftrâ elatam geftat, dependente ab humero pelle, quam in primo clavæ fub brachio circumvolutam vides; An hæc ad placita artificum? Procul dubio, refpondit DULODORUS, & ideò, ut quisque artis fuæ gloriam oftentaret. In *fecundo* major adhuc differentia fe fiftit. Clavam Hercules finiftrâ depreffam geftat, dependente à brachio pelle, dextrâ extensâ, qualiter vel facrificans, vel etiam Romanus Coloniam deducens in nummis Commodi proftat. Clavam Herculis, inquit ARCHÆOPHILUS, conftat ex Oleaftro, ad Saronidem Paludem, ab eo refciffam, fabulanturque eam radicibus actis deinceps regerminaffe, & rurfus oleaftrum factam: Conftat & ab hac *Clavigerum* Ovidio dici. Quid autem de Corona? An verum, quod Caufæus ait? Divinitatis hanc, & confecrationis infigne effe? Imò, refpondit DULODORUS, poterit & virtutis & meritorum effe, five Lauream hanc five Oleam arbitrareris; Oleam enim, ut ipfe Tomo primo notafti, Hercules ex Hyperboreis Olympiam adduxit, inftitutôque curfûs certamine Victorem Oleaftri coronâ donavit. Et fi ad Lauream refpicias, occurrit Hercules Δαφνηφόρος apud afferti authorem Paufaniam, ut Numifma L. Veri taceam, quod inter maximos Cardinalis Carpeigne protulit Jofephus Monteferchius, in quo Hercules fe ipfum coronat, ob interfectum videlicet Cacum, teftante Dionyfio, Aborigines & Pallantinos Arcades factô alacres, tum fe tum Herculem aurô coronaffe: Imò & Macrobio, inde ortum morem afferente, ut ad Aram Maximam facrificantes folâ laurô, & non aliâ fronde, caput revinciant. Elegans hæc eft obfervatio, excepit ARCHÆOPHILUS. An fimile quid etiam ad Pellem? De Pelle, refpondit DULODORUS, res vulgaris eft. Eam fuffocato Leone Nemæo Hercules detraxit, indeque pro clypeo habuit, variis ob eam rem Græcorum Epithetis ornatus, λεοντόχλαινος dicitur in Epigr. θηροχλαίνης & ϛερφόπεπλος Lycophroni: Ut autem in his hiftoria prævalet, ita alii myfticam fignificationem affingere non dubitârunt. Omnia coacervare, excepit ARCHÆOPHILUS, nimis tædiofum foret. Mihi nuditas Herculis placet, cùm mafculum in ea robur, compacti artus, mufculorumque craffities graphicè exprimantur. Id in his, refpondit DULODORUS; Notandum autem, etiam Herculem armatum Paufaniæ in Laconicis memorari, quamvis nudum etiam Dædalus ex ligno fecerit, qui tamen in noftris æreus eft, non minus ac is, qui Eliacorum priore memoratur. Succedit

HERCU-

HERCULES INFANS.



Non tam Hercules, excepit ARCHÆOPHILUS, quàm Commodi Pusio hic videtur esse; is enim in Statua Commodi, ad Herculis morem adornatâ, infans adhuc visitur: Id quod etiam Herodianus asserit, παιδίον πάνυ νήπιον, *pusionem infantem adhuc* appellans, ex eorum numero, qui nudi Romanorum delicatioribus in deliciis esse solerent: Ex quibus utique non de infante tantùm, sed & de nuditate dis imus, & cùm Commodus Herculis honores ad insaniam usque affectaverit, quid mirum, si pusio ejus, quem ab amore suo *Philo-Commodum* appellavit, ejusdem insignia tractet? Id mirum non esset, respondit DULODORUS, si authoritate assertum juvaretur. Hâc cùm destitutum sit, & in hoc sigillo non insignia tantùm, Clava & Crater, sed & corpusculi crassities Herculi faveant, quæ omnia in Pusione Commodi secus se habent, omninò opinioni meæ inhærendum arbitror. At ego contra, regessit ARCHÆOPHILUS: Clava enim & Crater Herculis infantis insignia esse non possunt: indeque si non Pusionem Commodi, tamen Herculis, ad quem Clava respicit, aliquem vel Amasiorum, vel filiorum præferrem. Nosti, DULODORE, Herculem Hylam & Abderam dilexisse, qui παιδάρια, καὶ κομιδῆ νήπιοι, *puelluli*, & *admodum infantes* Philostrato in Heroicis memorantur: Nosti filium ejus inter alios Hyllum fuisse, cujus nutrix Pausaniæ Abia memoratur. Si quis hunc, subjecit DULODORUS, aut alium Herculis filium, aut etiam Amasiorum aliquem agnoscat, per me licebit; quanquam nondum intelligam, cur Hercules ipse hic esse non possit. Clava obstat, inquit ARCHÆOPHILUS, quam utique non infans habuit, sed ad Leonem Nemæum pergens, vel à Molorcho hospite accepit, vel sub Helicone ex Oleastro cum radicibus evulsit, vel ut modò notavi, ad Saronidem Paludem ex Oleastro abscidit. Ita etiam in Cratere est quod opponam; Sive enim hunc ad Pateram referas, à Sole acceptam, qua Oceanum Hercules memoratur trajecisse: sive ad bibacitatem, & quod primus Scyphis Bœoticis usus fuerit, utrinque tamen non infantis lusus, sed viri, minimùm juvenis, opera deprehendes. Acriter pugnas, ait DULODORUS: Est tamen quô tela Tua declinare possim. Quid enim? Annon eâdem ratione clavâ & poculo Hercules infans fingi poterit fuisse delectatus, quâ Leonis pelle adhuc

lhuc puerum delectatum Theocritus scripsit? Atqui Leonis pellem, gestamen ium, Leoni Nemæo eum detraxisse, adeòque post clavam demum assumsisse onstat. Theocriti verba, ne quid dubites, subjicio:

Ω δὲ μὲν Ηρακλῆα φίλα παιδεύσατο μάτηρ.
Ευνὰ δ' ἧς τῷ παιδὶ τετυγμένα ἀγχόθι πατρὸς
Δέρμα λεόντειον, μάλα ὁ κεχαρισμένον αὐτῷ.

Sic quidem Herculem chara edocuit mater.
Thorus autem erat puero exstructus prope Patris thorum
Exuvium Leonis valdè gratum illi.

Gratum, iteravit ARCHÆOPHILUS; at ubi id eum gestasse? Si Authores desint, regessit DULODORUS, Antiquitas succurrit. Herculem infantem, quem hîc sedentem cum clava & poculo contemplamur, cum clava & Leonis pelle stantem exhibent Schedæ Pighianæ, & memorat Gruterus p. 681. Subscriptio ita habet:

D. M.
EPITYNXANO FILI-
ASTRO M. ANTONIUS
HERMEROS B. M. F.

Duplex hîc dubium esse potest, infit ARCHÆOPHILUS, *primò*, annon sub hac figura non tàm Hercules quàm Hermerotis filiaster lateat? *Secundò*, annon Hermerotis nomen, & Epitynchani etiam in infantia robur, simulacro occasionem dederint? Uti enim Hermerotes ex Mercurio & Cupidine, ita simulacrum hoc ex Cupidine & Hercule videtur conflatum: nisi ipsum Cupidinem arbitreris, Herculis insignia ideò versantem, ut hunc etiam amoris Imperio ostendatur succubuisse? Ne Cupidinem arbitrer, respondit DULODORUS, alarum defectus in causa est: Ne simulacrum ex Hercule & Cupidine conflatum, rei raritas facit. Mercurium quidem cum aliis Diis confundi scimus, inde enim *Hermathena, Hermeros, Hermanubis, Hermeracles, Hermharpocrates*, & alia: Herculem autem & Cupidinem confusos, hactenus non inaudii. Planior forsan ratio in Epitynchani robore fuerit, indeque si & in hoc nostro tale quid statuere fixum sedet, non admodum refragabor, quanquam tutius arbitrer in Hercule subsistere, quàm incertis conjecturis jactari. Et quid si in Theatris hunc Herculis habitum etiam infantibus tributum afferamus? Id suadet in sequenti

MANUS
HERCULEIS INSIGNIBUS ORNATA.



Quæ ex pelle Leonis, quasi ex humeris dependente, prominens, craterem & ipsa tenet, tenerior sane, quàm ut Herculis credi possit; Pellem Leonis, subjecit ARCHÆOPHILUS, ita effictam video, ut humero sinistro convenienter aptari possit, quò vel solô argumentô evicerim, ejusmodi simulacra non ipsius Herculis esse, sed vel Joci, qui cum Cupidine Venerem Circumvolare Horatio canitur, quique apud Leonhardum Augustinum larvâ indutus cernitur: vel certè theatralis cujusdam Personæ, Herculis si non gloriæ, tamen ludibrio inductæ. Et quid si manus hæc Omphales fuerit, quæ non tantùm Leonis pellem induisse, sed & clavam gestasse, Ovidio memoratur?

Proh pudor! hirsuti costis exuta Leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.

Crater obstat, inquit DULODORUS. Ego potius in Theatrali persona substiterim, quâ vel Commodus, vel alius quis Herculeæ bibacitatis æmulus fuerit exagitatus. De Cratere, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium incidit non contemnendum. Si enim eum arbitreris, quo apud Thebanos usus est, Scyphi nomine notum, utique is auribus insignis fuit, nodô Herculeô adornatis, uti apud Athenæum docemur: Si craterem arbitreris à Sole acceptum, quô mare dicitur transivisse, utique bibacitatis ratio esse non poterit. Crater à Sole acceptus, respondit DULODORUS, procul dubio proposito major fuit, utpote integrum Herculem capiens, tantùm abest, ut manu Herculeâ, ne dum infantis potuerit circumdari; superest igitur ut ad solam Herculis bibacitatem respiciamus. Sed ne sic quidem craterem sine auribus, qualem & supra vidimus, ei abjudices; auritos enim illos Bœoticos, tantùm in expeditione fertur usurpâsse. In mentem mihi venit Cyathus Pocillator Oenei, quem Hercules interfecit, quique Herculi Cyathum porrigens in Phliasii Apollinis Cella marmoreus Pausaniæ memoratur. In mentem venit Epigramma Græcum:

Οὗτος

Οὗτος νῦν ὕπνῳ βεβαρημένος ἠ δὲ κυπέλλῳ
Κενταύρους νήφων οἰνοβαρεῖς ὄλεσεν.

Hic jam ſomno gravatus & poculo,
Centauros ſobrius vino gravatos perdidit.

Sed ut hactenus dicta controverſiâ non carent, ita nec caret, quem & ipſum produco,

HERCULES INFANS
DRACONIS INTERFECTOR:



Herculem infantem, excepit ARCHÆOPHILUS, Dracones adhuc in cunis interfeciſſe, in vulgus patet. Pleni ſunt ea de re Poëtarum libri, & luculenter jam dictum eſt ad Gemmam, eundem exhibentem, Tomo primo, pag. 31. Illud autem in æreo hoc egregii, quod equidem fateor, artificii ſimulacro peculiare eſt, quòd non *duo* Dracones, ſed *unus* tantùm appareant: adeò ut non abs ratione dubites, an Hercules hic ſit, cùm utique ne minimum quidem authorum teſtimonium de uno Dracone occurrat, ſed omnia, quæcunque proſtant, de duobus doceant. Scio, inquit DULODORUS, & ea ratio me diu ſuſpenſum tenuit, an de Hercule? an de alio quodam in infantia Heroë ſigillum explicare deberem? Occurrebat quidem Alconis puer, quem angue conſtrictum Epigramma docet, in Florilegio Lib. VI. c. XI. ſed quòd ille Draconem non ſtrangulaſſet, aliusque non occurreret, omninò in Hercule ſubſiſtendum putavi, præſertim cum & Bellorius opinioni ſubſcripſerit. Si Hercules hic ſit, reſpondit ARCHÆOPHILUS, erraverit artifex neceſſe eſt, qui contra Hiſtoriæ ſeriem unum tantùm Draconem affinxit, adeòque Gloriam Herculis meminuit? Pictoribus atque Poëtis, repoſuit DULODORUS, aliisque ejusdem Genii hominibus, quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas; quanquam Ego non ſine gravi cauſa id in propoſito factum arbitrer;

Quid enim ſi adulatio rem procuderit? Quid ſi in gratiam Neronis cujus infantis adhuc in lecto, ſerpentis exuvias inventas, Suetonius teſtatur? Quid, inquam, ſi artifex inde cauſam ſumſerit, Neronem Herculi comparandi? propoſitoque ſigillo ejus, Draconem unum ſtrangulantis, ſimulacrum habitu Herculeo proponendi? Si hoc arbitreris, excepit ARCHÆOPHILUS, non Hercules hîc, ſed Nero erit; Imò erit & Hercules, reſpondit DULODORUS, eôdem modô, quô ſub Herculis figura latens Commodus *Hercules Romanus* inſcribitur. Sed ad alia tranſimus. Sequitur

VICTORIA.



De Victoria, inquit ARCHÆOPHILUS, pluribus dictum eſt ad Gemmas. In propoſito, corpore directô, penniſque explicitis, inter Vimineos ductus, roſas videtur carpere. De roſas carpente, reſpondit DULODORUS, non habeo, quod dicam; Artificis potius luſum crediderim, quàm Antiquæ eruditionis indicium. De alis autem explicitis Apulejus l. 2. Mileſiarum teſtatur, teſtatur & Ovidius L. 3. Amor El. 2.

Prima loco fertur ſparſis Victoria pennis;

VICTO-

VICTORIA
TAURUM MACTANS,



Inquit ARCHÆOPHILUS, majoris eruditionis videtur, non tantùm quòd nuda ea ſit, adeòque noſcatur καλλίσφυρος, ut Heſiodo, & περικαλλὴς, ut Sibyllæ vocatur: ſed præcipuè quòd Taurum mactet; Hoc enim cur faciat, apud Authores definitum non eſt. Quidni? inquit DULODORUS. Annon Leonh. Auguſtinus in ſimili ad boves poſt victorias mactari ſolitos docet reſpiciendum? Annon citat Nummum Auguſti ARMENIA DEVICTA inſcriptum? Annon tegulas coctorum laterum, qualis propoſita eſt, ex Romæ ruderibus extractas, idem teſtari aſſerit? Scio, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed duplex dubium ſubit; *Primò* enim in nummo Auguſti ſub Tauro Taurum montem intelligi ait. *Deinde* Leonh. Auguſtinus Sacra Mithræ hîc excludit, quæ tamen excludi non debere, ex Galeria Giuſtiniana p. 81. patet, ubi non Mithra, ſed Victoria Taurum mactans in ſpelunca viſitur, aſſiſtentibus hinc inde pueris cum facibus & pileis Phrygiis, proſpicientibusque ſupra montem hinc Sole, inde Luna, planè qualiter in Mithriacis ſolet: adeò ut hactenus, non minus ac in his, ſub Tauro Terra videatur latere. Omnia hæc, excepit DULODORUS, ab aſſerto me non dimovent. Ara enim, cum imminentibus ad ſacrificium lignis, ad Tauros ob Victorias ſacrificari ſuetos propoſitum indubiè reducit: Niſi fortè ad factum Heleni reſpicias, qui, cùm ſacrificanti bos victima fugiſſet, aliôque locô mortua concideret, ex eventu urbem condidit, con-

ditamque ex bovis vulnere Bouthrotum appellavit, uti Stephanus memorat. Inde ſanè videtur eſſe, quod apud Goltzium in Numiſmatibus ΒΟΥΘΡΩΤΙΩΝ ſimilis Taurum mactans Victoria proſtet. Subit

VICTORIA
ORBIS TERRARUM.



De qua cum Tomo I. p. 53. ad Gemmas abundè dictum ſit, hîc meritò tacemus. Globum, inquit ARCHÆOPHILUS, vel ad devictum Orbem Terrarum, vel ad Victoriæ inconſtantiam Te retuliſſe memini. Ad propoſitam autem, quod Palmam altitudine æquet, omninò quærendum, annon ex earum numero ſit, quas manibus præferre ſimulacra Imperatorum cernimus? Conjectura, reſpondit DULODORUS, abſurda non eſt. Sed nobis rariora curæ ſunt. Sequitur

TRIPTOLEMUS,

De cujus Parentibus varia eſt Priſcorum ſententia. Eleuſium & Cothonea memorat Hyginus Fab. 147. Athenienſes Celeum & Metaniram, Argivi Trochilum, Muſæus Oceanum & Terram, Orpheus Diſaulem, Chœrilus Rharium; uti latius videri poteſt apud Pauſaniam in Atticis. In eo conveniunt plerique, quòd à Cerere frumenti ſationem fuerit edoctus, acceptôque ab eadem curru, alatis ſerpentibus junctô, per univerſum terrarum Orbem id beneficii diſperſerit:

Angues Triptolemi ſtridunt, & Squammea curvis
Colla levant attrita jugis, lapſuque ſereno
Erecti, roſeas tendunt ad carmina criſtas.

Canit

pag. 286.



Canit eam in rem Claudianus, de Raptu. In Statua hac, regessit ARCHÆOPHILUS, nullum nec Currûs, nec anguium alatorum est vestigium. At est Frugum & Fructuum, respondit DULODORUS; Corona spicea pueri capiti imposita, Fruges in Patera, & Caput Papaveris in manu dextra, quid? annon indubitata sunt indicia, puerum hunc ex consortio Cereris esse? Angues & currus non adeò necessarii sunt, ut sine iis Triptolemus agnosci non possit. Pausanias memorat ejus signum, in Atticis. Similiter & Plinius Lib. 36. c. 5. & quidem Praxitelis opus; At uterque nec Currûs nec Anguium mentionem faciunt: Solam Statuam memorant, quam proinde non dubitem eôdem modô effictam asserere, quô nostra hæc visitur. Juvenis est & pulcher, utpote quem Ceres recens natum, per noctem igne fovit, per diem divinô lacte nutrivit, ut Servius ad I. Georg. docet, & tangit Ovidius, Lib. IV. Fastorum, ubi & Cererem ægroto sanitatem restituisse memorat, exclamatque, quod & ad gratissimam in statua faciei venustatem rite fecerim:

Tantus cœlesti venit ab ore decor!

De venustate, inquit ARCHÆOPHILUS, dubium non est, & forsitan nec de frugibus, quas paterâ præfert; At corona spicea nimios forsan Triptolemo honores videbitur tribuere. Virgilio enim Georg. I.

Puer curvi monstrator aratri

Vocatur, cùm interea Cereri totius agriculturæ tribuatur inventum: Quid? An is, qui unum tantùm instrumentum dedit, simili ornatu effingatur cum ea, quæ totiûs artis inventrix est? Id nihil mirum, respondit DULODORUS, nam & divinos honores Triptolemus obtinuit, habuitque & Ædem & Aream & Aram, uti gravissimus Author Pausanias in Atticis testatur. Non defuit meritum; Neque enim tantùm aratrum invenit, sed, ut dixi, acceptum à Cerere frumentum, Deæ jussu per Orbem Terrarum diffudit, agrique colendi rationes edocuit. Ovidius sub finem libri V. Met. rei meminit: Et nota est historia de Rege Scythiæ Lynco, quam præter Ovidium, & Servius tangit: Nota de Carnabuta Rege Getarum apud Hyginum: Ut taceam ipsum Triptolemum, qui apud Nasonem, Metam. V. fin.

Dona fero Cereris, latos quæ sparsa per agros
Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant.

Triptolemus certè, non tantùm eô Cereris vices implevit, quòd fruges Orbi intulit; sed & eô, quòd leges proposuit, de quibus tres in Eleusine memorantur: *Venerandos scilicet Deos: Honorandos Parentes: Et carnibus non esse vescendum.* Cererem, inquit ARCHÆOPHILUS, constat à legibus θεσμοφόρον & *legiferam* dictam; sed nunc id non agimus. De Triptolemo mihi dubium adhuc movet Orpheus apud Pausaniam, qui Cererem non Triptolemo tantùm, sed & Eubuleo ejus fratri, frumenti sationem dedisse narrat; Quid igitur si non Triptolemum, sed Eubuleum hâc Statuâ præfiguratum arbitremur? De Orphei testimonio, respondit DULODORUS, dubitat ipse Pausanias. Sed esto! dederit Ceres etiam Eubuleo frumenti sationem! Quid inde? An eâ meriti celebritate is apud antiquos erat, ut statua eum honorarent? Neutiquam! Unico enim Orphei versu innotuit, cùm reliqui omnes Triptolemum solum celebraverint. *Æthereum* Triptolemum vocat Statius lib. 4. c. 2. Sylv. & Ceres apud eundem Nasonem Fast. l. 4. de eodem:

Iste quidem mortalis erit; sed primus arabit,
Et seret, & cultâ præmia tollet humo.

Taceo

Taceo, quod apud eundem Pausaniam est, Alios non Eubuleum, sed Cercyonem, Triptolemi fratrem facere: Utrumque quidem ex Amphictyonis filia; sed illum Neptuni, hunc autem Rhari progeniem, à quo & *Rharius Campus* dictus fuerit, ubi primum semina jacta sunt. Scio Suidam Rharum Triptolemi non patrem, sed avum statuere; sed res eôdem recidit, nec opus hîc est, anxiè de ea quærere. Molestus non essem, subjecit ARCHÆOPHILUS, nisi ulterior dubitandi materies oculis meis se ultrò ingereret. In dextrâ non tantùm *caput papaveris* video, sed &, nisi fallor, *uvam*, quæ non Cereris tantùm, sed & Bacchi ministrum indigitare videtur. Rectè sentis, Politissime ARCHÆOPHILE, respondit DULODORUS, & quidem, quod caput papaveris attinet, id effictum videri potest, non tantùm, quòd Cereri sacrum fuerit, uti ad ejus Gemmam demonstratum dedi; Sed etiam quòd ad Triptolemum sanandum Ceres eô fuerit usa, cujus rei Ovidius testis est, Fastor. IIII. Ad uvam in mentem Tibi revoco Gemmam in Thesauro Palatino C. II. Sect. I. n. 38. propositam, imò & Numisma Cyzicenorum, de quo suprà. In utroque coronam vides ex spicis & racemo plexam, indubitatô argumentô, quod ibi dictum est, Cererem & Bacchum simul & iisdem ferè Ceremoniis, ab iisdem certè cultoribus invocatos fuisse, id quod ex Vase Murrhino Serenissimorum Ducum Brunsuicensium, cujus supra meminimus, eruditè ostendit Cl. Eggelingius, Reip. Brem. Secretarius, Vir in deliciis nostris omnique Politiore literatura versatissimus; Sed aliud adhuc concurrit. Diodorus Siculus author est, cum Osiride profectos esse, & Maronem plantandæ vitis, & Triptolemum serendarum frugum, & totius messis rationem edoctos. Quid si ob hoc consortium uvam expressam arbitremur? Id eò facilius ago, respondit ARCHÆOPHILUS, quò apertius inventum aratri Serviô teste, non Triptolemo tantùm, sed & ipsi Osiridi tribuitur: Osiridi inquam, qui apud Ægyptios idem fuisse perhibetur, qui Bacchus apud Græcos; Sed ea res altioris indaginis foret.

Coronidis loco vellem adhuc ex Te audire, quid de Triptolemo sentias? An meram fabulam judices, quam currus serpentibus junctus innuere videtur, cùm fieri non possit, ut eô remigiô mortalis per aëra proficiscatur? Quod in plerisque aliis, respondit DULODORUS, id & in Triptolemo videtur accidisse. Historici quid subesse, mihi facilè persuaserim, præsertim cùm Justinus lib. 2. c. 6. apertè scribat, *Triptolemum frumenti sationem reperisse*, imò & *sub Erechtheo, & apud Eleusin eam reperisse, in ejusque muneris honorem Noctes Initiorum esse sacratas.* Quid stolida & Deorum metu impleta gentilium cohors, cùm munus humanô robore majus cerneret? Annon verisimiliter id non hominis, sed Dei alicujus beneficium assereret? Sub curru scilicet serpentibus juncto, nihil aliud latet, quàm Navis, quâ frumentum exteris nationibus Triptolemus devexit. Serpentibus locum fecit navium longitudo. Serpentum alis locum fecerunt aut Vela, aut certè Remi. Et quid si & Draco navis insigne fuerit? Rem non de meo profero. Ex Philocharo eam asserit Ger. Joh. Vossius de Ortu & Progressu Idololatriæ lib. I. c. 17.

VER-

VERTUMNUS



llit. Eumne dicis, inquit ARCHÆOPHILUS, qui anili ſpecie Flo- ambiviſſe, & in ſua vota traduxiſſe, Ovidio memoratur, Metam. XIV? Eum n, reſpondit DULODORUS, nec opinor abs ratione, licet non anili e hîc langueat, ſed juvenili decore Solis inſtar effulgeat. Idem author, varias ejus formas deſcripſiſſet, ita de eo exclamat:

O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſæpè gerens fœno religata recenti
Deſectum poterat gramen verſare videri:
Sæpè manu ſtimulos rigidâ portabat, ut illum
Juràſſes feſſos modò diſcinxiſſe juvencos:
Falce datâ frondator erat, vitisque putator;
Induerat ſcalas, lecturum poma putares:
Miles erat gladiô, Piſcator arundine ſumtâ.

Hæc inquam, quum cecinisset Ovidius, multasque per figuras sibi aditum r
râsset Vertumnum reperisse, ut Floram spectaret, tandem in anum mutatu
ipsumque de venusta juventute sua testantem introducit:

Est juvenis, inquit, & naturale decoris
Munus habet.

Et paulò post:

In Juvenem rediit, talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima Solis imago
Evicit nubes, nullaque obstante reluxit.

Sed non solus Naso Dei meminit. Etiam apud Propertium est Elegia lib. IV.
quâ Vertumnus Venustatem jactat:

Opportuna mea est cunctis Natura figuris.
In quamcunque voles verte, decorus ero!

Venustas, inquit ARCHÆOPHILUS, rem non conficit; cùm etiam B
chus, & Apollo venusti fuerint. Non conficit sola, respondit DULOD
RUS, sed si insignibus jungatur, omninò persuadebit. Coronam vides ve
sto capiti impositam: Cernis Pateram fructibus repletam in dextra, in sin
autem Cornu-copiæ reliquias. Corona graminea est. Graminea? infit A
CHÆOPHILUS: Mihi spicea videbatur, turgidis enim & obtusis nex
articulis pollet, nec quicquam gramini simile præfert. Si spicæ forent, resp
dit DULODORUS, apparerent procul dubio grana, appareret sp
coma, quæ & ipsa Vertumno, lactenti fruge turgere memoratur; Sed neut
videmus, ideoque pro spicis decernere prohibemur. Quod gramen att
non nativa longitudine, sed complicatum, & in turgentes articulos contor
agnoscimus. Appositè apud Propertium ipse:

Da falcem & torto frontem mihi comprime fœno.

De fœno loquitur Author, inquit ARCHÆOPHILUS, non de grami
Loquitur de fœno, respondit DULODORUS, sed gramen intelligit
quod ex sequenti planum fit, ubi fœnum *recens* vocat, imò & *gramen* expr
addit:

Tempora sæpè gerens fœno religata recenti:
Desectam poterat gramen versare videri.

Adeò ut de corona dubitari non possit. Sed hæc non sola Vertumnum arg
Accedunt & Fructus hortenses in patera, de quibus Callimachus, Roma
testatur:

Quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus Cucumis, tumidoque cucurbita ventre,
Me notat, & junco brassica vincta levi.

Si fructuum genera, quos manu præfert, addicerent, subjecit ARCHÆ
PHILUS, accederem asserto; sed pace Tua dixerim, mihi nec Cucumis, n
Cucurbita, nec Brassica apparet. Quò minus id fiat, respondit DULOD
RUS, injuria rubiginis in causa est, quanquàm ea tanta non sit, ut non hor
rum dona apertè adhuc noscantur, id quod sufficere arbitror, cùm & alia e
dextrâ prætulisse, exemplo pomorum & herbarum constet, quæ ut modò au
vimus, Ovidius ei tribuit. Notandum hîc, quòd Propertius non dextrâ, s
manibus hortorum dona Vertumnum prætulisse memoret; Inde enim fac
agnosces, etiam Cornu-copiæ, cujus reliquias sinistrâ tenet, iisdem replet
fu

fuisse. Cornu-copiæ, excepit ARCHÆOPHILUS, mihi Genios in memoriam adducit, quos eo insignes simili planè cum proposito habitu in Numismatibus cernimus. Inde sanè crediderim, etiam hunc Geniorum aliquem esse. Habitus Geniorum, inquit DULODORUS, à proposito diversus est; Licet enim & ipsi præter Cornu-copiæ Pateram præferant, non tamen præferunt pateram fructibus plenam. Nosti ARCHÆOPHILE, Geniorum Sacra, Merum, Thus, & Flores offerebantur, id quod ex Persio, Horatio in Ep. & Plauto in Aulul. adstruxeris. Nullibi autem fructus hortenses, qui in Sigillo nostro ad oculum patent. Accedit diversitas vestium; Genii enim solâ chlamide ab humeris dependente insignes, cætera nudi solent esse; At Vertumnus noster non obscurè togatus est, licet toga ad umbilicum usque decidua pectus nudatum relinquat. De toga denuò testatur ipse apud Propertium:

Indue me Cois, fiam non dura puella,
Meque virum sumtâ quis neget esse toga?

Tandem de Vertumno persuades, exclamavit ARCHÆOPHILUS, quanquam Te nondum dimittendum censeam. Velim mihi aperias, quis Deus Vertumnus fuerit? unde nomen & ortus? An aliquod apud Priscos ejus sacellum aut statua? Multum postulas, respondit DULODORUS, tamen ut satisfaciam, tentabo. Ortu Tuscus erat, cultusque, antequam Romam traduceretur, apud Vosciniensés Tuscorum Populos; Ita enim ipse apud laudatum Propertium:

Tuscus ego, Tuscis nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.

Quô versu simul & tempus indicat, quô Romam creditur migrasse, eô scilicet, quo Romulus contra Sabinos belligeravit, id quod paulò post adhuc clarius:

At tu Roma meis tribuisti præmia Tuscis,
Unde hodiè vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quô sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

De vico Tusco, subjecit ARCHÆOPHILUS, vereor ut Propertii assertum subsistere possit; Livius enim & Dionysius post ictum cum Porsenna fœdus, Hetruscos bello Aricino fusos fugatosque, Romæ locum, quem hospitaliter excepti ad habitandum acceperant, *vicum* memorant à sua Patria *Tuscum* appellâsse. Ita est, respondit DULODORUS, sed Propertium juvat Varro, qui vicum Tuscum dictum author est, à Tuscis militibus Cæsii Vibeni Tusci ducis, qui Romulo contra Latinum auxilio venerat; Licet enim locô Lucomedii Cæsium Vibenum, & loco Tatii Latinum substituat, à Romuli tamen temporibus non abit, id quod nobis sufficit. Nominis ratio, id quod primô locô gendum fuisset, proponenda se sistit. *A vertendo* dicitur, sive amne Tiberi, ve Anno, sive denique habitu. Prima opinio Ovidii est IV. Fastorum. Propertius omnes tres habet.

Vertumnus versô dicor ab amne Deus,
Seu quia vertentis fructum percepimus anni.

t paulò post, quos versus jam supra citavi:

Oportuna mea est cunctis natura figuris
In quamcunque voles, verte, decorus ero.

sconius in 3. Verrinam, quartam opinionem addit, *esse Deum edocens, rerum vertendarum, sive Mercaturæ:* Alii à vertendis cogitationibus deducunt.

 Johan-

Johannes Annius Janum & Vertumnum eundem Deum fuisse, integrâ differtatione contendit, cui si assentiaris, non à certis rebus, sed ab omnibus erit denominatus; Janus enim apud Ovidium :

Quicquid ubique vides, Cœlum, Mare, Nubila, Terras,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi,
Et jus vertendi cardinis omne meum.

Quicquid sit, Diis rusticis potissimùm accensetur, ideòque Pomonæ maritus audit: Ideò fruges hortenses manibus præfert: Ideò festa ejus Vertumnalia, si Varronem audis, in Octobri celebrata. Et quid si etiam vilitas Templi in rem faciat, de qua ipse conqueritur?

— — — *Non templo lætor eburno.*
Romanum satis est posse videre forum.

Porphyrio Vertumni sacellum vocat, atque in vico Thurario fuisse. Ibidem fuisse & statuam, Asconius author est. De statuæ vilitate, ejusque mutatione accipe, quæ Vertumnus ipse apud Propertium :

Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata Pauper in urbe Deus.
At Tibi Mamuri formæ cœlator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus!

Sequitur

NOCTULIUS.



Numen incognitum mihi exhibes, subjecit ARCHÆOPHILUS; Quis unquam Noctulii meminit? Sed age! si quid de eo habes, deprome. Sponium inspiciamus, respondit DULODORUS. Pag. 115. Miscell. & Inscriptionem profert, & Noctulii simulacrum eôdem fere modò à Rossio depictum meminit quò in nostro sigillo visitur. Inscriptio talis est.

DE(

DEO NOCTULIO
P. VIRLIUS. P. F. FAB. ASSIA-
NUS. EQUO. PUBLICO.
SACERDOS
JUVENUM. PRIXIANORUM.
ET COLLEGIUM. . .

d hanc Inſcriptionem Sponius, *Hujus*, inquit, *ſtatuam depingit Roſſius cum pitis velamento ſive cucullo, inſtar Teleſphori, Æſculapii comitis, digitô ad aum applicatô, unde ipſum cogitationis Deum eſſe ſuſpicatur*; *Ac ſiquidem noctuam vem nocturnam ad ejus pedes appingit, quidni potius nocti ſomnoque præſidens temas numen, quod Noctulii nomen innuere videtur?* Hæc Sponius, cujus inio hôc noſtrô ſigillô egregiè juvatur; In eô enim non digitum, ſed inteam manum ad aurem applicat, quod dormientes facere ſolere, obſcurum n eſt. At noctua, regeſſit ARCHÆOPHILUS, in propoſito abeſt, & quod ſiniſtra gerit, licet fractum, haud obſcurè tamen facem prodit, qualir in iis etiam ſimulacris cernimus, quæ in Tabulis Mithriacis apud Cl. Grovium viſuntur, quorum alterum Diem, alterum Noctem credi, in Spicilegio e docere memini. Quid inde? reſpondit DULODORUS. Sive Noctem, e Noctulium ibi ſtatuas, nonne res eòdem recidit? Pro Noctulio certè etiam nus militare poſſet, cum maſculos eſſe, Gronovius contra Smetium evincat? aſculos eſſe non negaverim, perrexit ARCHÆOPHILUS; Sed mihi in ngruum videtur, cùm Nox ſive Noctulius iis in monumentis facem ubique primat, quî in propoſito extollat? Et cùm nec noctua adſit, quidni ritè ubitavero, an Noctulius hîc agnoſci debeat? Mihi, ſi fateri licet, quod ſen, primo ſtatim intuitu, non Noctulium hîc, ſed Attinem me videre arbitratus m, idque ideò, quòd ſimili fermè habitu, is apud Cartarium occurrat, cuculo ſcilicet in pallio, quod tamen in pectore & cruribus connexum eſt, & inde ictiore ambitu crebriſque nexibus crura involvit. Nonne tale quid etiam hoc Tuo Noctulio viſitur? Non adeò clarè, reſpondit DULODORUS, c adeò convenienter. Attinem & ego producam in ſequentibus, ubi latior it de eo confabulandi campus. Is ſanè, qui apud Cartarium proſtat, non unâ propoſito differentiâ cenſetur. Pectus torques ambit, eôque pallium coningitur: In noſtro Noctulio ſimplex nodus eſt. Patet inde utrinque venter coit veſtis, in Attine quidem infra membrum in duas partes ſciſſa, quarum raque crebris nexibus, ut dicis, crura involvit: in noſtro autem unô modô, ſi membro impoſitô veſtis colligatur. An reliqua conveniant, nec negaven nec dixerim; ærugo aciem oculorum turbat, non tamen ſine ſuſpicione ſterioris, cùm haud obſcura velamenti inſignia etiam in cruribus occurrant. æc non eò dico, quòd Tuam opinionem his argumentis me everſurum ſperem, d ut aliqualem ſaltem differentiam oſtendam. Alia & quidem potiora ſunt, anus auri impoſita dormientis inſtar, & Facis in ſiniſtra reliquiæ, quorum utrum utique de Attine dixeris. Quidni? exclamavit ARCHÆOPHILUS. Nonne in Manuſcripto Pighiano, quod mihi oſtendere dignatus es, tim ab initio Attis pinui acclinis, dextram manum ſiniſtræ auri imponit? uod facem in Noctulio Tuo hactenus credidi, poterit fuiſſe Pedum, quod dem in marmore Attini junctum cernimus. De Pedo, reſpondit DULODORUS, incerta diſquiſitio foret, quod autem ad imaginem MSti Pighiani tinet, differt manus auri impoſita, eò quòd dextra ſiniſtram, non tàm aurem,

quàm genam attingat; in Noctulio autem nostro, non sinistram, sed dextram non genam, sed aurem manus quasi tegat: qui gestus, quin dormientium sit negari non potest. Vestis in Contrarium nihil facit; constat enim, eam Phrygiam esse, quorum ex Theologia facilè fatebor, etiam Noctulium nostrum prodiisse. Rem ad oculum declarat cucullum in pilei Phrygii formam adornatum, eôdem modô, quô in Luno Deo, aliisque visitur. Sed ais, facem hic *extollit*, cùm tamen is, qui in Tabula Mithriaca Noctem sive Noctulium denotat, facem *dejiciat*, & saltem non extinguat. Ego Noctem *credi* in Tabula Mithriaca, me docuisse memini, non Noctem *esse*: Ita & suprà, in eâdem Tabula non Noctulium esse, sed perinde fore, sive Noctem, sive Noctulium credas: Imò pro Noctulio etiam genus adhuc militaturum. Si me de figuris illis facem vel tollentibus vel deprimentibus interroges, alterum Luciferum dixerim alterum Hesperum, & cum hi duo non nisi unus fuerint, ut demonstrat Doctiss. Gerh. Joh. Vossius de idolatria lib. 2. cap. 3. Cùm insuper Nox utrumque ostendat, alterum orientibus, alterum fugientibus astris, quidni etiam Noctulius, Noctis arbitrer, duplici insigni censeatur, alterâ manu in somnum compositâ, alterâ autem facem extollens, vigilantium siderum indicem? Unum esse & Hesperum & Phosphorum, etiam ex Horatio discas, lib. IV. Od. IX. ubi utrumque uno nomine *Vesperum* appellat:

— — — Nec Tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec tepidum fugiente Solem.

Ad cujus ductum facem extollens non diem excitat, sed noctis lumina producit, proindeque Hesperus est; alter autem, qui facem deprimit, non Noctem annunciat, sed diem fugiens, nocturnam facem condit, adeoque Phosphorus est, planè contra receptam hactenus interpretationem; sed appositè ad Noctulium nostrum, qui non somnum tantùm exprimit, sed etiam facem extollit vigilantium, ut dixi, siderum indicem, ut ostendat, licet homines quiescant, vigilare tamen Deos! vigilare cœlum! Noctua, quam in nostro sigillo abesse quereris, face hâc egregiè compensata videri potest; Noctua enim nocturna avis est, noctu volat, noctu vivit, adeòque nihil aliud designat, quàm in Noctulio nostro fax: vigilantia scilicet sidera, quibus nox illustratur: vigilantia Numina, quæ vel per noctem operantur. Unicum adhuc memorandum est, non Noctulium tantùm à Nocte dictum, sed & ipsum Hesperum à nocte *Nocturnum* appellari. Audi Statium in Thebaid. VI.

Roscida jam novies cœlo demiserat astra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.

Sed prodit

FOR

FORTUNA
DEORUM POTENTIAM SIBI VINDICANS.



æc signa, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Eruditissimum Causæum in usæo Romano me vidisse memini, sed prius tantùm Fortunæ relinquit, porius *Pantheum* arbitratur, idque celeberrimum Sponium secutus, qui in miellaneis Eruditæ Antiquitatis idem hoc signum protulit. Scio, inquit DUODORUS, iisque si inhærere placebit, non refragabor; Quanquàm proiè signa *Panthea* ea videantur appellanda, in quibus insignia Deorum ipsos cos designant, non autem Deorum potestatem ei subjectam, quam præcipuè e signum adumbrat: Ita capita, inter Gemmas exhibita, propriè *Panthea* e, ritè asseruerim, constat enim Ammonem, Serapidem, Solem, Æsculapium, irim, Bacchum, Plutonem, Jovem, Pana, unum & idem numen creditos; quis unquam Fortunam, quæ in hoc signo dominatur, eandem dixit cum ve, Neptuno, Æsculapio, Cupidine, Osiride? Nonne potius dicendum, orum insignia Fortunæ ideò juncta esse, ut ostendatur, Fortunæ potentiam am in iis efficacem esse, quæ alias Diis illis assignantur? Quid autem, inquit RCHÆOPHILUS, si Isis hôc signô adumbretur, quæ utique, Apulejo te, eadem fuit cum Cerere, Diana Venere, & Proserpina? Si huc respicias, pondit DULODORUS, non hoc tantùm, sed & prius signum *Pantheis* assignandum; Eandem enim Isidem cum Fortuna esse, ex eôdem Apulejo añi est: indeque patet, cur capite suo Isidis insignia Fortuna hæc præferat? et, cur & Lunam in posteriore cernamus; Sed ea ratio in reliquis insignibus deficit,

deficit, adeòque hactenus, nisi impropriè, ad signa Panthea hæc non arbitror referenda; Sed omninò exprimi id, quod aliô locô Sacerdos Isidis Apulejum, Deæ sacris eum initiaturus, alloquens: *In tutelam*, inquit, *receptus es FORTUNÆ, sed VIDENTIS, quæ suô lucis splendore cæteros etiam Deos illuminat.* Adverte mentem! De Iside loquitur, & tamen *Fortunam*, & quidem non cæcam illam, sed *videntem* vocat! Cæterorum Deorum nômina ei non tribuit; Sed eos lucis suæ splendore, ait, illuminare! Quid hoc est? si non, quod alibi Lucianus de simulacro in Syria viso asserit: *fuisse revera JUNONEM, habuisse tamen quidpiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemesis, & Parcarum.* Non dicit, Junonem omnium harum nominibus venire, quòd tamen facilius forsan procederet, quàm in proposito; Sed *Junonem aliquid harum habere*, proculdubiô, ut Junonis potentia significetur, etiam in iis efficax, quæ Deabus illis subjiciuntur. Verisimiliter philosopharis, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed velim Fortunæ potentiam demonstres; Hanc enim cùm in supremo Deorum subsellio non conspiciam, quî Deorum munia obire possit, non video. Ut in supremo subsellio collocari possit, respondit DULODORUS, proculdubio eadem credita est cum Iside, eâ tamen cum differentiâ, ut ex allato Apuleji loco patet, quòd Fortuna *videns* ea credita fuerit, non cæca illa, quæ vulgò fertur mortalium felicitatem evertere; hæc enim si tantô fastigiô indigna fuerit visa, quid est mirum? De *Fortuna Vidente* igitur loquimur, quamvis omninò fatendum sit, qui de Fortunæ potentia locuti sunt, hanc differentiam non observasse. Virgilium Fortunam *omnipotentem* vocare, Lactantius author est: & Orpheus in hymno Fortunam allocutus:

Ἐν σοὶ γὰρ βίοτος θνητῶν παμποίκιλός ἐςὶν.

In Te, inquit, *est vita mortalium varia.*

Hæc in genere ita dicuntur, excepit ARCHÆOPHILUS: Ad proposita signa autem specialibus agendum. Jovis fulmen ego in temone video, quid autem Fortunæ cum Jove? Multum, inquit DULODORUS; Jovem una cum Junone in Fortunæ gremio sedentem, ejusque manum apprehendentem memorat Cicero II. de Natura Deorum: Et an nescis, Fortunam Parcarum potentissimam Pausaniæ memorari? Parcarum, inquam, quibus Jovem impotentiorem fecit antiquitatis, uti ex his Æschyli patet;

Πρ. Μοῖραι τρίμορφοι, μνήμονες τ' Ἐριννύες
Χορ. τούτων ἄρ' ὁ Ζεὺς ἐςὶν ἀσθενέςερος.
Prom. *Parcæ triformes & memores Erinnyes*
Chor. *His ergo cunctis Jupiter impotentior est.*

Jovem Fortunæ videris subjicere, inquit ARCHÆOPHILUS; At mihi suffecerit, si Jovis munia Fortuna subierit. Id indubium est, inquit DULODORUS. Quod enim de Jove cecinit Theognis:

Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλω,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.
Jupiter huc illuc interdum pondera flectit
Nunc dat divitias: Nunc dat habere nihil;

Id sanè Fortunæ proprium est, eaque de causâ ei Cornu-copiæ datur. Sed audiamus Martianum de Fortuna: *Ut conspexit omnia*, inquit, *quæ gerebantur in Jovis Consistorio subnotari, ad eorum libros & pugillarem paginam cucurrit, &c licentiore quâdam fiduciâ, quæ conspexerat, inopinatâ descriptione corrasit, ut quædam repentè prorumpentia velut rerum seriem perturbaret: alia verò, quæ*

causa

cauſarum ratio perſpecta vulgaverat, quoniam facere improviſa non poterat, ſuis tamen operibus arrogabat. Quid videtur, ARCHÆOPHILE? nonne hæc Martianus ideò, quòd Fortuna Jovis munia obire crederetur? Fateor, inquit Ille; cùm autem fulmen, Jovis inſigne, temoni affictum ſit, omninò aliquid ſingulare crediderim denotari. Benè mones, inquit DULODORUS; Nihil enim aliud latet, quàm regimen univerſi, quod cùm Jovis providentiæ propriè debeatur, Fortuna ex hominum opinione occupavit. Hinc ſanè eſt, quòd Euripides in Hecuba:

Ὦ Ζεῦ, τὶ λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπȣς ὁρᾶν;
Ἢ δόξαν ἄλλως τὴν δὲ κεκτῆσθαι μάτην
Ψευδῆ, δοκȣ̃ντας δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν.
Dicam Viros Te Jupiter ne cernere
An fruſtra eos invaſit illa opinio
Quod uſpiam ſit fortè Dæmonum genus
Fortuna cuncta cum regat mortalia.

De his acquieſco, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed alia ſubeunt. Delphinum temoni impoſitum video. Quid hic? An Maris imperium Fortunæ vindicat? Id ipſum, reſpondit DULODORUS. Et quid mirum, cùm de univerſo modô probaverim? Aut, annon recordaris apud Virgilium, Neptunum ipſum Fortunæ hoc acceptum referre; Ita enim de Æolo:

Non illi imperium pelagi, ſævumque Tridentem,
Sed mihi SORTE datum.

An Sors & Fortuna idem ſint? excepit ARCHÆOPHILUS, dubitari poteſt. Sed eſto! Sint unum, annon his ipſis in verbis jus ſuum videntur Neptuno ceſſiſſe? Non minus ac Jovi, reſpondit DULODORUS; nam & hunc imperium Cœli Fortunæ debere, inde conſtat, quòd fratres Imperium *ſortitò* diviſerint. Quod autem Imperium Maris attinet, en apertius teſtimonium ex Pindaro Olymp. Od. XII.

Λίσσομαι πᾶι Ζηνὸς Ἐλευθερίȣ
Ιμερα̨ ἐυρυσθενέ' ἀμ-
Φὶ πόλει σώτειρα τύχα·
Τὶν γὰρ ἐν πόντω κυβερνῶνται θοαὶ
Νᾶες &c.
Supplicio, filia Jovis libertatis præſidis,
Pro Himera potenti urbe,
Servatrix FORTUNA.
A Te enim IN MARI gubernantur
Celeres naves &c.

Id noverat Cæſar, qui, Plutarcho teſte, cùm Brunduſio Pompeji perſequendi cauſa ſolveret, tutò pelagus trajecit, fortunâ tempeſtatem ſuperante: Indeque rurſus, cùm Lembô conſcensô Brunduſium veheretur, ſurgentibus undique tempeſtatibus, ita Gubernatorem allocutus fertur: *Vela FORTUNÆ da, ventumque excipe confidens, quia Cæſarem vehis, Cæſariſque FORTUNAM.* Satis hæc de poteſtate maris, inquit ARCHÆOPHILUS. Serpens ſubit, qui Æſculapium concernit. An etiam hujus munia ſubit fortuna? Nullius magis, reſpondit DULODORUS; quòd enim ægri ſanantur, raró medicorum arti, ſed utplurimum Opi Divinæ, quam imperiti *Fortunam* dixére, eſt adſcriben-

ſcribendum. Inde ſanè Inſcriptio apud Franciſcum Modium Novantiquarum Lectionum Epiſt. III. unde & in Roſini Paralipomenis fulget, & ita habet:

FORTUNIS SALUTARIBUS . . . . . ÆSCULAPIO.
HYGIÆ . . . . Q. VENIDIUS RUF. . . . &c.

Adeò, ut non tantùm Fortunam Hygiæ & Æſculapii munia ſubire planum ſit, ſed & uterque *Fortunæ ſalutaris* nomine decoretur: Quanquam, quod tacendum non eſt, ſerpens etiam ad Cererem & Minervam pertinere poſſit; nam & his ſacer eſt. Si ad Minervam reſpicias, inquit ARCHÆOPHILUS, alas adderem, quas ad Victoriam reſpicere, Nob. Cauſæus author eſt, nec fruſtra: Dominatur etiam in bellis & victoriis præcipuè, ut Pallas, ita & Fortuna. Imò ſi ſub ſerpente etiam prudentiam contempleris, ne ſic quidem ratio deſit, cùm Pindaro in ſuperiora immediatè ſequentibus, Fortunæ etiam gubernari aſſerantur

Ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι
Κ' ἀγοραὶ βȣλαφόροι.
In terra rapida bella
Concionesque conſilii allatrices.

Quod de prudentia adfers, ſubjecit DULODORUS, etiam Plautus in Pſeudolo habet:

Centum doctûm hominum conſilia hæc una devicit Dea
FORTUNA: atque hoc verum eſt: Perinde ut quisque eâ utitur,
Ita præcellit, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.
Benè, ubi quid conſilium diſcimus accidiſſe, hominem cautum eum
Eſſe declaramus: ſtultum autem illum, quoi vortit malè.

Ita & de victoria & bellis ex Plutarcho *de Virtute & Fortuna Romanorum* abundè patet: quanquam juxta, eôdem ſuffragante, alas has non tàm Victoriæ, quàm ipſi Fortunæ vindices; Ita enim dicto Libello: *Fortuna Perſis & Aſſyriis deſertis, cùm leviter PERVOLASSET Macedoniam, celeriterque abjeciſſet Alexandrum, Ægyptumque, deinde & Syriam peragrando, regna diſtuliſſet, & ſæpè converſa Carthaginenſes tuliſſet, poſtquam tranſmiſſo Tiberi ad palatium appropinquavit, ALAS depoſuit, talaria exuit, ac infideli ac verſatili illo globo miſſo facto, ita Romam intravit, ut manſura.* Vides, ARCHÆOPHILE, Alas Fortunam in Ægypto adhuc habuiſſe! Sed parum intereſt, cùm Fortuna *Virilis* ideò cognominata ſit, quòd ad Victoriam parandam fortitudini Fortuna plurimum adferat adjumenti, ut idem Plutarchus loquitur: & *fortis*, quòd vi omnia vincendi prædita ſit. De his ſatis, inquit ARCHÆOPHILUS. Altera ſerpentis conſecratio reſtat, quâ Cereri dicatum memini, quò ſi reſpicias ritè junxero & pellem pectori aptatam, hinnuleam, quæ Bacchum concernit; Sed quæ ratio Fortunæ in Cerere & Baccho? Quæ in Sole, cujus radii indicium præbent? An & in naturalibus dominatur Fortuna? Ita mortalibus viſum eſt, reſpondit DULODORUS; *Naturam, quæ omnia gignit*, inquit Plutarchus, *alii Fortunam, alii Sapientiam arbitrantur:* Et ſub Numa, neque fames, neque peſtis, neque ſterilitas terræ, neque aliena æſtate hiemeve tempeſtas Romæ incubuit, *non humanâ prudentiâ*, ut idem author ait, *ſed divinâ FORTUNA illud tempus gubernante.* Quæſò, ARCHÆOPHILE? Annon hæc Cereris & Bacchi, & qui cum Baccho idem eſt, Solis propriè forent opera? Negare non poſſum, ſubjecit ILLE, indeque non miror, quòd ſpicas & uvas Cornu-copiæ Fortunæ contineat. Imò & poma, reſpondit DULODORUS, & alia: adeò ut Plutarchus ritè dixerit: *Cornu-copiæ FORTUNÆ non frugibus ſemper florentibus refertum, ſed largiſſimè omnia profundens, quæ*

omnis

omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portusque ferunt. Omnia hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, Fortunæ dona esse, negare non ausim, velim autem scire, quid imagines viri & mulieris Cornui-copiæ impositæ sibi velint? Jovis & Junonis sunt, respondit DULODORUS, aut si mavis Serapidis & Isidis. Si hos censeas, abundantiam ex benignis Solis & Lunæ influxibus provenire intelliges, uti Causæus notat; Si illos, abundantiam & Jovis & Junonis conjunctione, secundum illud :

Conjugis in lætæ gremium descendit.

Omnia autem hæc à Fortuna dependere credita, & hactenus demonstratum est, & ulterius patet ex Cicerone in II. de Divinatione, ubi *castissimè*, ait, *quodam in loco cultum fuisse Jovem, qui una cum Junone in gremio Fortunæ sedens mammam apprehenderet.* Eleganter hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, & ad propositum aptè. Ego ad Pharetram transeo? Hæc quò pertineat, inter tot Pharetratos Deos, non video. Apollini ea tribuitur, tribuitur Dianæ, tribuitur Cupidini. Quem præferam? De Apolline & Diana, inquit DULODORUS, jam vidimus; Restat igitur Cupido, cui & Sponius & Causæus hanc Pharetram addicunt, ideò fortassis non abs re, quòd ignea is tela jacere credatur, summitas autem hujus pharetræ flammis proprior sit. Tale quid, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam de Apolline valeret. Sed age! quid Fortunæ cum Cupidine? Id quod & cum reliquis Diis, respondit DULODORUS. Unicum Pausaniæ locum adduco de Fortuna Ægirensium, quæ junctum Cupidinem habebat, uti videre est in Dactylotheca Gorlæi. Ita ille in Achaicis p. 451. Οἶδα καὶ οἴκημα ἐν Αἰγείρᾳ θεασάμενος. ἄγαλμα ἦν ἐν τῷ οἰκήματι τύχης, τὸ κέρας φέρουσα τὸ Ἀμαλθείας. παρὰ δὲ αὐτὴν Ἔρως πτερὰ ἔχων ἐστίν. Ἐθέλει δὲ σημαίνειν ὅτι ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐς ἔρωτα τύχη μᾶλλον ἢ ὑπὸ κάλλους κατορθοῦται. *Ædicula etiam quædam Ægiræ est, in qua FORTUNÆ signum sum conspicatus, Amaltheæ cornu gestans, cui assistit volucer CUPIDO. Significat nimirum hæc amoris & Fortunæ conjunctio, plus ferè in amore homines ope Fortunæ, quàm pulchritudine proficere.* Sed ad verticem adscendimus, quem globo & Luna, variisque & floribus & serpentibus adornatum cernimus. Mira conjunctio! exclamavit ARCHÆOPHILUS, an ejus apud authores est mentio? Est, respondit DULODORUS, ita enim Apulejus, cujus locum jam supra ad Vasculum Murrhinum produxi, cùm Isidem, fortunam videntem appellasset, *Corona*, inquit, *multiformis, variis FLORIBUS sublimem districinxerat verticem, cujus media quidem super frontem plana ROTUNDITAS, in modum speculi, vel imò argumentum LUNÆ, candidum lumen emicabat. Dextrâ lævâque sulcis insurgentium VIPERARUM cohibita. SPICIS etiam Cerialibus desuper porrectis.* De Isidis serpentibus adde & Valerium Flaccum Lib. IV. Argon. cui *Aspide cincta* Isis dicebatur, non aliâ ratione, quàm ut ex his constat, quòd & Lunæ motus, & Cereris vires, quæ

Frenatos curribus angues
Junxit,

Isidi, aut Fortunæ videnti, subjectos ostenderetur esse; Isidem enim utramque creditam nemo nescit. Globus, excepit ARCHÆOPHILUS, mihi potius ad Solem referendus videtur; Nam Solaris vis fœcundativa, seu Spiritus ignem universum permeans, Globo ejusmodi aspidibus circumdato significabatur apud Phœnices & Ægyptios, teste Eusebio Lib. I. c. 7. Ne sic quidem refragabor, inquit DULODORUS, suprà enim jam dictum, etiam Solis vires Fortunæ fuisse adscriptas. Sed ad alia transeamus; Plus satis enim ad hæc simulacra hæsimus. Prodit

ISIS



Et variè quidem depicta. Taurinis cornibus insignem video, inquit ARCHÆOPHILUS, subitque memoriam Jo, quæ cùm vacca fuisset, Ovidio canente,

Dea Niligena colitur celeberrima turba;

Quanquam juxta dubium moveat, quòd antequam Dea fieret, *vultus cepisse priores* memoretur eidem. At, inquit DULODORUS, etiam hîc vultus priores habet. Cornua, non nisi fortunæ prioris indicium, ornatui cedunt: Cornuta sanè ejusmodi Isidis capita in Tabula Isiaca sæpius visuntur, ubi Pignorius notat, rem etiam Herodotum & Nonnum testari, sive id fiat propter aspectum recentis Lunæ, cujus signum ideò cornutum apud Eleos fuit, teste Pausania: sive respectu bovis, qui ipsi mactabatur. Addit & alias rationes: An quòd fruges invenisset, quæ boum culturâ proveniunt? An quòd Inachi filia esset, qui taurinis cornibus, fluviorum more, fuerit ornatus? An quòd cornua essent Regum insigne, ut de Astarte apud Eusebium de Præparatione Evangelica? An ob Galeam bovis capite fabrefactam, quam Mercurius Isidis capiti apposuisse Plutarcho memoratur? An denique, ut ad Mosen respiceretur, quem & ipsum cornutum fuisse antiquitas tradidit? Luculenta hæc est rationem congeries, inquit ARCHÆOPHILUS, at mihi ex *Junone Sisspita* dubium nascitur, cùm enim

& hæc

& hæc cornibus insignis inter Numismata Consularia se ostendat, nescio, cur non hanc potius hoc fictili adumbratam debeamus credere? Corona sanè radiata Reginam videtur denotare, qualis Juno fuit. Fuit & Isis, respondit DULODO-RUS,ut apud Diodorum videre est,& ita vocatur apud Apulejum; Ne autem ad unonem Sispitam respiciam, cornua faciunt,crassiora, quàm ut Capræ credi posint,cujus pellem Juno Sispita gestabat. Crassitudo certè cornuum,imò & ad menuram capitis exacta magnitudo aurium,de pelle caprina,Junonis Sospitæ insigni, 1os prohibent cogitare, imò potius apertè demonstrant, Isidem hanc esse, nonninus ac diversi in ejus ornatu colores. De coloribus si docueris, excépit AR-CHÆOPHILUS, nihil amplius desiderabo. Vestibus, respondit DULODO-RUS, *albis, rubris & nigris* Isis nostra distincta est,idque ad indicanda Diei & Noctis, Vitæque & Mortis colores, id quod Plutarchus clarè testatur. ϛολαὶ δὲ αἱ μὲν ιδος ποικίλαι ταῖς βαφαῖς περὶ γὰρ ὕλην ἡ δυνάμις αὐτῆς, πάντα γινομένην καὶ δεχομένην, φῶς, κότος, ἡμέραν, νύκτα, πῦρ, ὕδωρ. ζωὴν, θάνατον, ἀρχὴν, θάνατον. *Amicula Isidis variæ sunt inctura, nam vis ejus versatur circa materiam in omnia mutabilem, omnium capaem rerum, Lucis*, inquam *Tenebrarum, Diei, Noctis, Ignis, Aquæ, Vitæ, Mortis, Principii, Finis.* Hæc si ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, cur in sequentibus



non eadem colorum diversitas? Primum simulacrum ex terra nigra factum est.

 Reliqua

Reliqua ſunt ærea. Et licet ſecundum ad virorem & ad rubedinem hinc inde degeneret, id tamen tempori potius & antiquitati, quàm artificis genio adſcripſerim. Benè ſentis, inquit DULODORUS. Audi igitur rationem nigroris ex Apulejo, qui pallam ejus nigerrimam facit, idque ob noctem & tenebras: Luna ſcilicet credebatur, quam & capite præfert. A nigrore μελανηφόρος Orpheo in hymno dicta. Sed ad tertiam tranſeo, quæ tenui ſtolâ amicta, Ovidium in mentem reducit, qui 2. Amor. El. 2. *Linigeram* vocat:

Nec tu linigeram fieri quid poſſit ad Iſin
Quæſieris.

Quanquam non ipſa tantùm, ſed & ſacerdotes ejus lino amicti fuerint. Juvenalis Sat. v. 532. *Gregem linigerum* appellat. De his conſtat, inquit ARCHÆOPHILUS. Conſtat item de Oro, quem Iſis in ſimulacro ſecundo, ſinu fovet, cuique mammas admotura videtur; Orum enim Iſidis filium fuiſſe communis Authorum calculus probat: Quid autem eſt, quòd ſimulacrum tertium manu præfert? An Pomum? Colutho, ut ſupra audivi, μεγά κτέρας Αφροδίτης? Pomum eſt, reſpondit DULODORUS; Et ſi ad Venerem id referre velis, per me ſanè licebit, cùm apud Apulejum fluctuantes Cyprios ſe Paphiam Venerem appellare, utique Iſis ipſa teſtetur; Quanquam etiam ad fructus arboreos reſpicere poſſis, qui ejus Numini augmentum credebantur debere; Inde ſanè ambitus Pallæ Iſidis floribus & pomis conſtructus apud Apulejum legitur: inde καρποτόκος vocatur in Epigr. l. 4.

Ἴσιδι καρποτόκῳ, ταχυμήτορι, μυριομόρφῳ.

Sed de his ſatis! Sequitur

ISIDIS SIMULACRUM URNULA.



Simulacrum Iſidis? mirabundus, excepit ARCHÆOPHILUS; At hîc n mini

minimum quidem est Isidis vestigium? Quidni potius Salutis hoc vasculum sit? Salutis, inquam, cui serpentes ansæ tàm impositi, quàm suppositi, id indubiè addicunt? Bellorium sequeris, inquit DULODORUS; nam & ipse *vasculum salutis* hoc, in Catalogo descripsit. Pace autem & ejus & Tuâ, non Saluti hoc vasculum addico, sed, ut dixi, *Isidis simulacrum* existimo. Si Isidi tribueres, regessit ARCHÆOPHILUS, forsitan veri speciem ostenderes; Memini enim Isidem in Antiquitatum reliquiis situlam præferre solere, quamvis figurâ à proposito distinctam. Cùm autem Isidis hoc simulacrum asseris, vereor ut basin opinioni substernere possis. Id unicô Apuleji loco fecero, respondit DULODORUS. Ita ille Libro XI. Metam. ubi Pompam Isidis enarrat: *Gerebat alius*, inquit, *fœlici suo gremio SUMMI SUI NUMINIS venerandam EFFIGIEM, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem: sed solerti repertu etiam ipsa novitate reverendam, altioris utcunque, & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile. Sed ad istum planè modum fulgente auro figuratum. URNULA faberrimè cavata, fundo quàm rotudo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata, Ejus orificium non altiusculè levatum, in canalem porrectum, longo rivulo prominebat. Ex alia verò parte multum recedens spaciosa dilatatione adhærebat ansa, quam contortô nodulô supersedebat aspis, squameæ cervicis striatô tumore sublimis.* Quid ais, ARCHÆOPHILE? An hæc non ex asse urnulæ propositæ quadrant? Annon faberrimè hæc cavata, fundoque quàm rotudo, simulacrôque Ægyptiacô extrinsecus effigiata est? Annon orificium levatum, sed non altiusculè? Annon in canalem porrectum longo rivulô prominet? Annon ex aliâ parte multùm recedens spaciosâ dilatatione adhæret ansa? Annon ansam supersedent aspides squameæ cervicis striatô tumore sublimes? Fateor, inquit ILLE, Hæc apprimè quadrant, licet urnula, quàm Apulejus describit, aurea fuerit. Hoc nihil ad rem, regessit DULODORUS; Quis enim nescit, simulacrorum materiem ad facultatum suarum mensuram antiquos variâsse? Ita nec illud hîc dubium movebit, quòd aurea Apuleji Urnula extrinsecùm non *uno* tantùm, ut nostra, sed *pluribus* Ægyptiorum simulacris memoretur fuisse effigiata; Una enim plurium index est, præsertim cùm omnium sit præcipua, uti mox ostendam. Attamen quod hîc nostræ deest, id pensatur binis aspidibus ab ipsa procedentibus, cùm Apulejô tantùm una memoretur. Una, excepit ARCHÆOPHILUS, sed *contortô nodulo*, quod nec ipsum hîc fit. Noduli vicem, respondit DULODORUS, supplet concursus in ansam, adeò ut hâc videntur connecti. Sed hæc minuta sunt, & rem non variant. Cætera cùm adducant, utique urnulam hanc simulacrum Isidis esse, non absurdè asserui. De Iside dubitem, excepit ARCHÆOPHILUS; Apulejus enim ejus non meminit. Dicit tantùm, *summi Numinis fuisse effigiem*; quale autem id numen fuerit, non meminit. Et quale poterat? respondit DULODORUS, si non ejus, cujus Pompam eô locô Apulejus describit? *Sospitatricis* scilicet *Deæ*, quæ Reginam *Isidem* se appellari, in præcedentibus ipsa dixerat? Adde quòd, licet Apulejus simulacrum hoc *altioris & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile* appellet, tamen ex figura & ornatu facilè pateat, non aliam ac Isidem sub eo latere. Aspidibus enim Isidem cinctum caput habuisse jam supra ex Valerio Flacco L. 4. Argonaut. dictum est:

Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.

Ita & monstrum Ægyptiacum sub ansa, licet brachiorum loco eosdem aspides habeat, tamen capite fœmineo insignitur, adeòque non numen masculinum,

sed

ſed omninò fœmininum evincit latere: quodnam autem inter fœminea apud Ægyptios ſummum? Nonne Iſis, cui, ut dictum, aſpides fuere ſacri? De nihilo autem non eſt, quòd Urnulæ ſimulacrô Iſis hîc præfiguretur; Conſtat enim ſub Iſide Terram latere, quæ cum Oceanum contineat, patet utique ſimulacrô Urnulæ Deam non alia de cauſa præfigurari, quam quòd & ipſa humidum contineat, non minus ac Terra. Accedit & Terræ rotunditas: Inde enim urnula hæc non tantùm faberrimè cavata eſt, ad capiendos ſcilicet latices, ſed & fundo quam rotundo, ad indicandam rotunditatem Terræ. Hæc fortaſſis ita fuerint, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Orificium in canaliculum porrectum? Quid Anſa ab altera parte ſpacioſâ dilatatione recedens? Orificium, reſpondit DULODORUS, Rivos & Flumina videtur adumbrare, ex Oceano procedentia: Anſa ſpacioſâ dilatatione recedens Providentiam Divinam, à quâ Oceanus cum Terra, imò & Univerſa Natura dependet; Utut hæc ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Iſidem tamen Urnulæ ſimulacrô effictam videre, omninò novum eſt. Cùm Apulejo ſentis, inquit DULODORUS, & rectè; quanquam ſimili ratione, etiam alii Dii effigiem interdum præferant, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipſius conſimilem; ſed & ipſam ſolerti repertu venerandam: Ita Mars Thraciæ Populis ſimulacro *gladii*: Veſta Romanis ſpecie *Ignis*: Venus Cypriis inſtar *Coni*, non minus ac Elagabalus Syrorum. Sed quid multa? En aliud ex Antiquitate argumentum!

ISIDIS EFFIGIE SITULA!



Iſidis effigie Situla? excepit ARCHÆOPHILUS; At Nob. Cauſæus Vaſculum hoc luſtrale interpretatur, firmatque opinionem eò, quòd in Columna Trajani pag. 7. cernatur figurâ huic ſimillimum. Nullô id vultu inſignitur reſpon-

ſpondit DULODORUS, imò & orificiô tam patulô eſt, ut aſpergillum in-
ngi potuerit. Sed in propoſito, hoc fecus eſt; Orificium enim anguſtius eſt,
ıàm ut pro vaſe luſtrali credi poſſit fuiſſe. Et quî poterit Iſidem referre?
poſuit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen orificium ſpatioſâ dilatatione
cedens, quæ in ſuperiore fuit, hîc non ſit? In ſuperiore, reſpondit DULO-
ORUS, Iſis hieroglyphicis ejusmodi figurationibus notari debebat, utpote
iunde non noſcenda; in propoſito autem, cùm ex imagine ea innoteſcat,
uid iis opus? At Situla, perrexit ARCHÆOPHILUS, nec in manu Iſidis
ngusto orificio inſignitur. Ubicunque eam vidi, orificium latiſſimum vidi.
'alem, reſpondit DULODORUS, etiam capite ultimo producam, ſed
l non impedit, ut etiam anguſto collo credatur; Talem enim geſtat Mercu-
us in Epiſtomio, quod Pignorius ad Tab. Iliacam vulgavit, quodque in Muſæo
nctæ Genovefæ Pariſiis hodiénum aſſervatum Molinetus determinavit: Adeò
t orificium anguſtius Iſidi non refragetur, imò potius eam demonſtret; ſimul
nim vices Calathi ſubit, quem Iſidi non minus ac Serapidi datum, Tomo pri-
ro ad tale Iſidis ſimulacrum ex Oiſelio Tab. XLVII. n. 2. docui. Ut autem
oſcas, ejusmodi vaſcula in Iſidis ſacris, non minus ac alia, in uſu fuiſſe, appello
ıpulejum, quo authore etiam *aureum vaſculum in modum papillæ rotundatum*
on ferebatur tantùm, ſed etiam ex eo lacte libabatur? Si caput hoc calvum
oret, repoſuit ARCHÆOPHILUS, forraſſis placitô tuô accederem, cùm
utem cincinnis undique dependentibus ornetur, ſecus judicandum arbitror,
ıec abs ratione; Iſidem enim ob luctum Oſiridis, caput raſiſſe, Lil. Gyraldus
bſervat: Et quis neſcit, id imitatos & ejus ſacerdotes, quos proinde Juve-
ıalis *gregem Calvum* appellat. Nihil agis, reſpondit DULODORUS. Iſi-
lem hîc non lugentem, ſed divinâ poteſtate, quâ Terram referebat, adeòque
ıquam continebat, hilarem contemplamur. Huic an egò crines negem?
Huic an ego cincinnos? Non equidem concinnos Regum Ægypti in medi-
ım adferam, de quibus Numiſma ſuprà productum teſtatur. De ipſa hac no-
tra Iſide eſt locus Apuleji illuſtriſſimus, quem Tibi repono. *CRINES*, inquit
le Iſide, *UBERRIMI, prolixique, & ſenſim INTORTI, per divina colla paſ-
ſivè diſperſi, molliter defluebant.* Locus optimè quadrat, inquit ARCHÆO-
PHILUS, velim tamen & rationem noſſe, cur Iſis interdum calva, interdum
comata fingatur? Rationem facilè deprehendes, reſpondit DULODO-
RUS, ſi Terram contempleris, hyeme nudam, reliquis anni temporibus quaſi
comatam. Abſentiam Oſiridis lugens Iſis, calva eſt, ut terra per abſentiam
Solis: Oſiride inventô quidni crines reſumat, ut virorem & frondes reſumit
Terra redeunte Sole? ut enim Iſis terra, ita Oſiris ſol Ægyptiis credebatur.
Sed prodeat

OSIRIS.



Osirim Tu hunc? excepit ARCHÆOPHILUS; At rostro accipitrem potius refert, quanquam humeris & pectore hominem præferat. Ex rostro accipitris, respondit DULODORUS, Osirim agnosco. Ita enim Plutarchus de Osiri locutus, γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν θεὸν τοῦτον πολλάκις. *Accipitre picto Osirim sæpè proponunt*; addit & rationem; *Avis enim ea præpollet acumine visus & volatûs celeritate*, qualiter scilicet & Sol, qui Osiris fuit. Sed plura si desideres, adi Causæum in Museo Rom. p. 55. Adi Pignorium in Mensa Isiaca, qui aliam Consecrationis rationem ex Diodoro refert: *quòd* scilicet *Accipiter librum, Deorum ritus continentem, ad Sacerdotes detulerit.* Quicquid sit, inquit ARCHÆOPHILUS, simulacrum tamen, utpote ex marmore Ægyptiaco

ptiaco

tiaco viridi efformatum, vulgare non eſt. Oſiris cum capite Accipitris, reſpondit DULODORUS, in allegata Tabula Iſiaca ſæpiuſculè occurrit. Eum exhibet & Leonh. Auguſtin in Gemmis; Sed ad propoſitum notandæ criſtæ: Notandæ veli rugæ, quæ ſuper humerum viſuntur. Criſtas, inquit ARCHÆOPHILUS, ego facilè ad ſolita Numinum Ægyptiorum ornamenta retulerim; Quid autem rugæ? An & hæ peculiari ſignificatione cenſentur? Fortaſſis, inquit DULODORUS; Quid enim, ſi Solis radii iis adumbrentur? Quid ſi idem iis exprimatur, quod amiculô Oſiridis flammeô, de quo Plutarchus: ἀμπεχόνη δὲ φλογοειδὴς σέλλουσα αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, ἥλιον σῶμα τῆς τ' ἀγαθοῦ δυνάμεως ὡς ὁρατὸν οὐσίας νοηθῆς ἡγούμενοι. *Amiculum flammeum, quo imagines ejus velantur, Solem exprimit, quod corpus benefica præditum facultate viſu percipitur, & exemplum eſt ſola mente cernendæ ſubſtantiæ.* Sed commodè ſe ſiſtit

CYNOCEPHALUS



Marmore nigro effictus. Cynocephalos, excepit ARCHÆOPHILUS, fuiſſe Simiarum genus, niſi fallor, Plinius tradit; Quid autem hi ad Oſiridem? Idem, reſpondit DULODORUS, quod Iſis, ſub qua interdum Lunam intelligi, ſuprà dictum eſt; Ut enim pro Sole, qui cum Oſiride idem eſt, Accipitrem pingebant; ita pro Luna, quæ eadem cum Iſide, pingebant Cynocephalum. En Ori teſtimonium, citante Cauſæo:


Σελήνην γράφοντες, κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι &c.

Ubi ſimul & rationes addit, quòd ſcilicet animal id à Luna affici ſoleat. Inde

 ſanè

ſanè & in Tabula Iſiaca Lunam capite præfert, cujus rei cauſas Pignorius ex Jamblicho tradidit. Jamblichus, excepit ARCHÆOPHILUS, ab Oro non diſſentit; Mihi autem dubium videtur, annon etiam ad Mercurium abeundem ſit, qui & ipſe capite caninô in Nummis occurrit? Cùm Kirchero ſentis, inquit DULODORUS, Oed. Ægypt. p. 36. Cùm autem canis ob ſagacitatem Mercurio tribuatur, diverſitas utique ad oculum patet. Sequitur

CANOPUS.



De Canopo, inquit ARCHÆOPHILUS, lepida eſt hiſtoria apud Ruffinum L. 2. Hiſt. Eccl. c. 26. Chaldæis ſcilicet ignem ſuum reliquis Terrarum Diis opponentibus, Sacerdotem Canopi hydriam minutis foraminibus patulam cerâ obturaſſe, & ita aquis repletam, capiteque impoſitô, tanquam Canopi Menelai Gubernatoris ſimulacrô, igni impoſuiſſe. Eô factô ceram liquefactam, aquasque per foramina exſudantes ignem exſtinxiſſe, & Canopum, Deum Maximum Chaldæorum, & ignis victorem communi conſenſu declaratum. Hæc etiam ex Suida hauſi, inquit DULODORUS, indeque & humidi Canopum Elementi genium, & tempore pluvio per terras incedere creditum, non eſt quod dubites. Notari autem meretur Proſopographia apud eundem Ruffinum: Pedibus, inquit, Canopi ſimulacrum fuit exiguis, attracto collo, & quaſi ſugillato (quod tamen in propoſito ſecus eſt) ventre tumido in modum hydriæ cum dorſo æqualiter tereti. Hæc ad figuram appoſitè, ſubjècit ARCHÆOPHILUS: Quid autem characteres? Nam utrinque adjectos video, ſed mihi oppidò incognitos. Kircherus de iis conſulendus eſt, reſpondit DULODORUS; Is enim Κειμήλιον hoc noſtro ſimile ex Muſeo Hippolyti Vitelleſchi extractum, quod & apud Petrum Stephanonium ſe vidiſſe teſtatur, pluribus dilucidavit, *Philacterium* arbitratus, *contra ignis flammarumque violentiam*, ſumtâ opinionis baſi ex adſcripto pentalpha, vulgatiſſimo ſalutis ſymbolo. Inſcriptionem partis averſæ nihil aliud, ait, exhibere, quàm μονόγραμμα Nominis *Kanub*, ſive *Canobi*, quod tamen in noſtro ſecus eſt. Literas autem ſingulis vaſis canalibus appoſitas, *Coptas* arbitratur ſignificareque, *primam* Mineralia, *ſecundam* flores Metallicos, *tertiam* Mare, *quartam* arbores, *quintam* Naturam ſpermaticam, *ſextam* Naturam ſenſitivam, *ſeptimam* Reptilia, *octavam* Aquatilia, *nonam* Volatilia, *decimam* quadrupedia: Unam quamque ſcilicet id, cujus nomen Linguâ Coptâ incipit, ut latius apud laudatum authorem videre eſt, in Oedipi Ægyptiaci Theatro Hieroglyph. Syntagm. XIV. p. 450. ubi & voces integras illius Linguæ adſcripſit, aſſertoque proinde ſuo fidem non exiguam circumpoſuit. Subeunt

SIGIL-

SIGILLA ÆGYPTIORUM PROPHYLACTICA,



Quæ medicatis funeribus insuta hodiénum reperiuntur; cæterùm & collo brachiisque alligatæ antiquitùs gestabantur: non aliâ de causâ, quàm quòd mala crederentur depellere, id quod latius deducit idem Kircherus in Oedipi Ægyptiaci Tom. II. P. I. p. 258. & 450. iterumque Tomo III. p. 511. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, & hactenus Kirchero non resisto; Quando autem *Serapides* hæc Sigilla arbitratur appellata, indeque & *Theraphim* deducit, quæ Israelitæ colebant, quæque & Laban adorasse in Scriptura legitur, nescio an subscribere possim? Serapidem enim Novitium Ægyptiorum Numen fuisse, vel inde patet, quòd Tacitus sub Ptolemæo Lagi filio demum, ex Ponto accitum memorat, id quod originem Theraphim ab ejusmodi Serapidibus apertè excludit. Tacitus, respondit DULODORUS, Kircherum non ferit; non enim de Serapidis in Ægypto cultu, sed de Serapidis Alexandrini statua loquitur, quam Vespasianus adiit. Hanc Ptolemæus Lagi filius Ponto advexit: Illum etiam antiquitùs in Ægypto cultum, idem Tacitus apertè fatetur, *Sacellum Serapidi & Isidi antiquitus sacratum, eo ipso in loco memorans, ubi advectô ex Ponto Deô templum pro magnitudine urbis exstructum est.* Sed de his plura Witsius in Ægyptiacis, & Braunius in Miscellaneis pro & contra disputant. Nos eorum placita anxiè scrutari nulla necessitas cogit; Si enim *Serapides* hæc

 sigilla

Sigilla appellata neges, poteris me non contradicente vel *Osirides* vel *Horos* vocare, vel tutius adhuc *Sigilla prophylactica*, cùm vel ex Abenephio certum sit, contra Eventus malorum, ea valere credita. Mihi aliud videtur, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid si simulacra funerum credantur? his enim insuta, quid mali arcuerint? Nonne verisimilius eôdem schemate conficta credantur, quô & funera adornata? indeque & inscriptionem additam, ut funera noscerentur? Hunc usum, inquit DULODORUS, non excludo, quanquam juxta non videam, cur non & divini quid subesse possit? Eôdem enim modô & Horum involutum passim cernimus; Imò & de reliquis apud Ægyptios Diis, idem testatur Heliodorus Æthiop. Lib. III. circa finem: Τὰ ἀγάλματα τῶν Θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνῦντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. *Statuas Deorum Ægyptii ponunt conjungentes illis pedes, & quasi unientes.* Non frustrà autem mortuorum corporibus Deorum simulacra arbitraberis insuta, cùm non minus ab his malorum eventus arcendus videatur ac à viventibus: Et quid instrumenta, quæ simulacra hæc manibus gestant? Flagellum, Lorum cum annexo ei flabello, tandemque & Circinus quem Kircherus Hieralpha arbitratur? Flagellum, Lorum, & Circinum tu hæc? inquit ARCHÆOPHILUS: Et cujus usus? Ut mala depellant, respondit DULODORUS, bona suis limitibus includant; Id enim proprium Deorum ἀλεξικάκων officium credebatur.

Finierat DULODORUS: Et quòd disquisitio *de Diis* simul ad umbilicum deducta esset, substitit. At ARCHÆOPHILUS, non ita Te dimitto, inquit; Omninò enim & Illustre aliquod Marchiaci splendoris monumentum est lustrandum, antequam ad antiqua revertar. Benè mones, reposuit DULODORUS. Si igitur grave non est, poteris LUCEBURGUM ambulare, vicinum Berolino, sed dignum omninò Majestate Brennonica prædium, quod paucis ab hinc annis ELECTRIX NOSTRA, Magnanimi sui Conjugis æmula, sumtu magnificô exstruxit. Opportunè! excepit ARCHÆOPHILUS; Jamdudum enim non prædium, sed Palatium id esse, Amicorum sermonibus didici. Valeant igitur Dii! Valeant Deæ! Ego *præsentis Deæ* Tusculanum contemplaturus abeo. His dictis DULODORUM solito cum verborum honore reliquit, & digressus est.



Nulla





Ulla Semiramias mihi pagina ſuggerat arces:
Nulla nec auratis Splendida Tecta jugis.
Unica BRENNONICÆ JUNONIS Regia fulget
Delitiisque Soli, delitiisque Poli!

His verbis ARCHÆOPHILUS DULODORUM affatus eſt, cùm *Luzenburgo* redux, Sacrarium Antiquitatis conſcenderet; Et quidni, pergebat, hanc aliis præferam? cùm tamen, quæ paſſim Hiſtoriarum monumentis laudantur, nec Symmetriâ ſtructuræ, nec ſitûs amœnitate, nec parietum candore, nec portuum celſitudine eam æquent. Artemiſiæ Mauſoleum funeſti cantus deformârunt: Alcinoi domum Muri ahenei obſcurârunt: Cupidinis Palatium Beſtiæ & Pecudes efferârunt: Regiam Solis ardoris vehementia ſtrinxit. Et quid præterea adduceres? An Pyramides? Templa? Amphitheatra? Architecturæ prodigia potius, quàm documenta? Priſca illa, reſpondit DULODORUS, Ego nec laudo nec vitupero. Sunt quæ Conditorum veſania ultra humanam ſortem extulit: Sunt quæ fabuloſa loquacitas procudit. Amœniſſimum autem hoc SERENISSIMÆ ELECTRICIS noſtræ ſuburbanum, negari non debet, ingenium divinum & ſitu & arte teſtari. Situs, excepit ARCHÆOPHILUS, Templum *Deorum Matris* mihi in mentem revocat, cùm in nemore Cybeleia pinu viridiſſimo ſurgat: Revocat *Gnidi Paphique fluenta*, cùm limpidiſſimus juxta Suevus candidiſſimis Cygnorum gregibus ferveat: Revocat *Floræ Pomonæque Viridaria*, cùm hortus omni deliciarum genere abundet. Imò nec arti gloria deeſt; tam concinnô omnia ordine hîc diſpoſita ſunt, ut nihil omninò deſideres, nihil alieno loco poſitum offendas. Latiſſimæ horti areolæ, viis candidiſſimis diſtinctæ, ſuis quæcunque floribus ſuperbiunt, aureis undiquaque ſtatuis coruſcant, liquidiſſimis aquarum luſibus rigantur: Domus candidiſſimis fornicibus ſuffulta ſpectantes vel è longinquo in admirationem rapit, Porticusque extollit undiquaque amœniſſimos: Conclavia continet Magnificentiſſima: Laquearia oſtentat picturis elegantiſſimis ornata, Gypſo curioſiſſimè cavata, aureis floſculis ſuperbiſſimè

biſſimè

bissimè distincta; Et quis omnia memoraret? Vel ab introitu stupefactus, deinceps mihi visus sum, non humanum, sed Deæ cujuspiam luculentum & amœnum videre diversorium! Fortassis non abs re, respondit DULODORUS; in unica enim CONDITRICIS Prole, Serenissimo PRINCIPE ELECTORALI, universus Sceptri Brandenburgici Orbis plus exultat, quàm Gentilium credulitas in numerosissimo Deorum suorum exercitu, adeò ut MATREM hanc MAGNAM meritò appelles, honestisque interdum blanditiis inter nemora, dilectâ Cybeli pinu referta, Temporum tædia fallere, nihil mireris; omninò enim notandum, Domum hanc magnificam aspectu, Nemus hoc amœnum virore, Hortum hunc Gemmantem flosculis, non semper mutam esse, imò nec solis avicularum cantibus perstrepere; sed miris subinde humanæ vocis modulationibus mulceri, artificiosissimis fidium sonoribus animari, dulcissimis priscarum virtutum Historiarumque simulacris illuminari. Recenti adhuc memoriâ sedet, quô plausu hîc, queis jubilis nuper Diem Natalem SERENISSIMI ELECTORIS nostri, Electoralis Aula celebraverit? Quâ festivitate Serenissimos NEONUPTOS, *Principem Hassorum Hæreditarium* cum dilectissima Conjuge *Principe Brandenburgica, Serenissimisque Parentibus*, & universo comitatu, MAGNA hæc *Hæredis Electoralis Brandenburgici* MATER hîc exceperit? Sed dies nos deseret, deseret facundia linguam, si hæc aliaque huc pertinentia dignis encomiis narrari postules. A Diis ad homines descendendum est! à Principum Magnificentia ad Antiquitatis penetralia redeundum! Commode se sistit

ATYS,



Ut quondam Deorum Matri dilectissimus, ita hîc primo loco vel ideò producendus, quòd & ipse nemus Pineum adamaverit. An hic hujus loci? interrogavit ARCHÆOPHILUS. An nescis *Deum ex Pessinunte* appellari Tertulliano Apologet. c. 15? An nescis & Causæo jam propositum, latiusque dilucidatum? Formosissimum is probat ex Lactantio, additque & locum Ovidii Fast. 4. Cui *Phryx puer & facie spectabilis* audit: Addit & Catullum, qui de Gemina ejus natura testatur, quam apertus sinus designat: Imò & Eusebium Lib. III. Præp. Evang. c. 3. quô authore flores cadentes designat: Et Augustinum de

de Civ. Dei l. 7. c. 25. qui ad Virilia assertum restringit, & quid ultra dici poterat? Attinem *Deum* Tertulliano appellari, respondit DULODORUS, nec me fugit: imò & Pausaniæ assertum, Templa ei, simul cum Matre Deûm dedicata asserentis, innotuit; sed his non obstantibus in simulacro nostro non *Deum*, sed *Pastorem* Causæus appellat & ipse, eumque repræsentari asserit cum Pileo Phrygio, & dextrâ fistulam gestare multis contextam calamis, & *syringa* dictam: lævâ autem pedum, baculum videlicet incurvum, quô Pastores soliti, fuerint pecorum pedes detinere: adeò ut hôc duce culpari non debeam, si Attinem hunc non Diis, sed hominibus annumerem. Pastorem sanè apertissimè demonstrant Pedum & Fistula, quæ duo Pastorum gestamina fuisse, in vulgus patet. Nec pedum, excepit ARCHÆOPHILUS, nec fistulam agnosco; Quod enim fistulam arbitraris, in medio fractum est & laminæ substratæ, quadratæ & integræ adhuc incumbit, dubitarique potest, an fistulam retulerit? Quod pedum dicis id clavam potius curvatam appellem, adeò crassum est, adeò in obtusum verticem assurgit. Crassities, respondit DULODORUS, & similitudo clavæ, pedo non refragantur. Notum enim est pedum pastorum in Epigr. L. VI. c. 24. de Pastoribus n. 4. νομίαν κορύναν, *pastoralem clavam:* & alibi ῥαιβόκρανον ἐυςόρθυγγα κορύναν, *incurvam evalido stipide clavam* appellari, quod utique ad propositam apprimè facit: Ita & notum est, fistulam pluribus cicutis fuisse compactam, planè qualiter in proposita adhuc cernitur, qualemque licet integram, non Causæus tantùm, sed & Bartholinus de Tibiis vulgavit. Si hæc ita sint, excepit ARCHÆOPHILUS, quidni dubitem, an Atys hoc simulacro exhibeatur? Servius enim ad Virgilium, licet Attinem *puerum speciosum* appellet, tamen non *Pastorem*, sed *Matris Magnæ sacerdotem* statuit, qui cum à Rege quodam amaretur, in sylvas fugerit, insequentemque amatorem exsciderit, & ab eodem exscissus cùm esset, moribundus sub pinu jacuerit, indeque ritui sacrorum ortum dederit. Pro sacerdote sanè sentit & Prudentius contra Symm. l. 2. v. 51.

Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, cùm pulchrum Poësis castraverit Atyn?

Prudentius, inquit DULODORUS, de Sacerdotibus Magnæ Matris loquitur, quos in exemplum Attinis castratos fuisse, dubium non est. Quod Servium concernit, respondeo, variare Veterum sententias, aliosque *pastorem*, alios *sacerdotem*, alios *alium* appellere: adeò ut non injustè ipse apud Catullum Ep. 64.

Quod enim genus figuræ est, quod ego non habuerim?
Ego Mulier, Ego adulescens, Ego Ephebus, Ego puer,
Ego Gymnasii fui flos, Ego eram decus olei.

Ita nec Historia unô modô recensetur; *Alii* enim Atin Phrygium puerum à Rhea amatum, cùm ejus desiderio satisfacere nollet, perpetuam virginitatem pollicitum esse, idque cùm non servasset, à Rhea in furorem actum, se ipsum evirasse, sacerdotemque inde se Deæ dedicasse: Alii sacerdotem illâ lege factum asserunt, ut castitatem servaret; cùm autem Sangaritidem Nympham compressisset, à Dea in furorem actum se evirasse, cùmque & mortem sibi intentaret, à Dea in Pinum versum esse: Alii Magnæ Matris eum Ceremonias in Lydia monstrasse tradunt: ut videre est apud Nat. Comitem in Mythologia. Hermesianax, Elegorum scriptor, versibus prodidit, Calai Phrygis filium fuisse, & ad sobolem procreandam plane inutilem editum à Matre: cùm jam

adolevisset, in Lydiam migrasse, ibique Magnæ Matris ceremonias monstrasse: tanto verò in honore fuisse apud Deam, ut id molestè ferens Jupiter Aprum in Lydorum segetes immiserit, à quo & alii è Lydis, & ipse Attes interemptus fuerit: Indeque & Gallogræcos Pesinuntis incolas sue omninò abstinere. Hæc apud Pausaniam, qui & alium sermonem memoriæ proditum author est: Jovem scilicet per somnum in terram semen profudisse; ex eo Terræ conceptu Genium humanâ quidem figurâ, sed ambiguo sexu in lucem prodiisse, Agdistin appellatum: Deos monstro exterritos virilem ei partem amputasse: ex ea amygdalum enatam, cujus cùm maturos fructus appetiisset Sangarii amnis filia, eosque in sinum abdidisset, evanuisse illos quidem, Puellam autem gravidam factam & puerum enixam. Hunc in sylva expositum, à capella educatum, cùm adolevisset, eximiâ fuisse, & multò, quàm humana, excellentiore pulchritudine: quocirca ejus amore captum Agdistin. Cùm ad virilem ætatem pervenisset, Pesinuntem eum propinquos suos misisse. Ibi cùm Regis filiam uxorem esset ducturus, & jam nuptiale carmen cantaretur, Agdistin intervenientem tantum Attæ immisisse furorem, ut sibi pudenda præcideret. Hoc item socerum ipsius fecisse. Agdistin facti pœnitentem à Jove impetrasse, ne qua Corporis Attæ pars putresceret, aut tabesceret. Hactenus Pausanias. Quid inter tam differentes sententias Ego sequar? excepit ARCHÆOPHILUS. Ad nostram icunculam, respondit DULODORUS, sequeris assertum eorum, qui Attinem *Pastorem* nuncupârunt; Mirificè enim ad fistulam & pedum tenentem quadrat, quod ex Nicandri interprete idem Natalis Comes memorat. *Attinem*, scilicet, *Pastorem Phrygium, cùm inter pascendum Matris Deorum laudes cantaret, & ab illa ob id meritum amari diceretur, Jovem ei Aprum immisisse, ab eoque Attinem dilaniatum fuisse.* At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon potior fama de castratione? cujus tamen in sigillo hoc ne minimum quidem vestigium video. Id ideo, respondit DULODORUS, quòd ea Attinis figura hîc adumbretur, quâ *pastor* adhuc & *integer*, Magnæ Matris laudes cecinisse, amoremque ejus meruisse dicitur. Si eam desideres, quâ jam exscissus in fœminam degeneraverat, suppeditabit Pignorius in addendis ad Cartarium, quam suprà citasti. Eo in Attinis simulacro, licet braccæ ad pubem usque eôdem modô fibulis connexæ sint, quô & in proposito, pubes tamen aperta est, apertum est & pectus, colloque circumdatæ corollæ, secus ac in nostro. An fibulis braccæ connexæ sunt? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS, id enim agnoscit & Joh. Rhodius de Acia p. 55. Et nescio, annon hæc fibularum connexio etiam Castitatis indicium sit, nostro præsertim in sigillo, in quo pudenda latent? Quanquam alia fuerit infibulationis ratio, & ea omninò, quam Celsus habet, huc non pertinentem. Quicquid sit, Braccas Phrygum gestamèn esse, non minus ac pileum recurvum, ex Antiquitatum monumentis dubio caret. Pileum hunc, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in effigiebus Mithræ video: Mithram autem Solem esse alibi edoctus sum. An tale quid etiam sub Attine? Fortassis, respondit DULODORUS. Ita sanè Macrobius Saturn. I. c. 21. *Solem*, inquit, *sub nomine Attinis ornant Fistula & Virga. Fistula ordinem spiritus inæqualis ostendit, quia venti, in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de Sole substantiam: Virga potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur.* Hæc Macrobius, nec forsan abs re; Noster enim Attys non tantùm pileum Phrygiùm, virgam & fistulam gerit; sed quod Causæus non observavit, *in Pileo STELLAS ostentat*, aperto indicio, Pileo cœtum adumbrari stelliferum, sub quo Sol ventorum substantiam inæqua-

inæqualiter diſpenſat, rerumque univerſitatem validè moderatur: adeò ut etiam apertum ſit, cur ab Apro Atys memoretur occiſus; eôdem ſcilicet ſenſu, quô & Adonis, quòd ſcilicet Solis vires hyeme frangantur: Hyeme, inquam, cui Aper in MSto Pighiano jungitur. Sequitur

MEDUSA,



Quæ Gorgonum una, & ſola mortalis fuiſſe, indeque à Perſeo capite truncata perhibetur. Fabula utut vulgaris, variè tamen à Mythographis traditur, quanquam in eo conveniant, quòd caput Draconum ſpiris deturpant, qualiter & propoſitum viſitur, adeò ut obſcurum eſſe non poſſit, cur ἐχιδνοκόμος & δρακοντοκόμος Nonno in Dionyſ. vocetur. Eôdem modò, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Ovidio *Viperium Monſtrum* appellatur. Mihi autem illud præcipuè quærendum videtur, unde ſerpentum tormina prodierint? In ipsô enim vultu, neſcio quæ, etiam inter ipſos dolores, Venuſtatis veſtigia radiant. Benè ſentis, reſpondit DULODORUS, pulchritudinem enim faciei etiam in mortuâ miratum Perſeum, tradit Pauſanias: Et ſi fabulæ fides, eadem hæc pulchritudo ſerpentum cauſa exſtitit; Neptuno enim dicitur placuiſſe, ejusque vim in Minervæ templo cum ſuſtinuiſſet, irâ Deæ Comas ejus in ſerpentes eſſe mutatas: Quanquam Fulgentius rem aliter exponat, *Gorgona* ſcilicet dictam, quaſi γέωργον, quòd regnum fructificando ampliâſſet; *ſerpentiferam* autem, ob inſignem, quâ pollebat, aſtutiam. Ratio abſurda non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, eamque crediderim & fuiſſe, cur in ſequenti,



Minervæ Ægidi caput hoc appositum fingatur: Adde quod eôdem & alæ pertinere possint, ut scilicet astutiæ celeritas adumbretur. Fortassis, inquit DULODORUS; Quanquam & serpentum credi possint, quos utique alatos currui suo etiam Ceres adjunxit. Sed illud Te notare velim, in propositorum priore capillos *aureos*, imaginem nigram esse, nec id frustra; Alas enim aureas, non Medusæ tantùm, sed omnibus Gorgonibus tribuit Apollodorus. Sequitur

ACTÆON,



Aristæi & Autonoës filius, qui quòd lavantem in fonte Dianam vidisset, exardescen-

defcente Virginei pudoris vindictâ, in Cervum mutatus, propriis Canibus præda memoratur fuiffe. Fabula, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Ovidio nota eft, & facit ad rem, quod prima metamorphofeos initia à capite incœperint; caput enim, hîc jam in Cervum mutatum video, cùm crura adhuc aliquid ex homine trahant, manus autem adhuc integræ fint:

Dat sparso capiti vivacis cornua Cervi:
Dat spatium collo, summasque cacuminat aures:
Cum pedibusque manus.

Hæc Ovidius, repofuit DULODORUS. Aliter autem Nonnus Dionyf. L. V. pedum divifam ungulam primò, inde oblongas maxillarum genas, poftea tibias extenuatas, tandemque bina frontis cornua memorans; Sed notandum, ordinem Poëtis liberum effe: Notandum, ipfo in metamorphofeos actu Actæonem hîc adumbrari; Veftis enim Venatoris adhuc eft, cùm tamen hujus loco,

Maculoso vellere corpus

Diana velârit, id quod & Stefichorus Himeræus fcripfit. Hæc patent, inquit ARCHÆOPHILUS. De loco velim doceas, ubi res acciderit? Locum, refpondit DULODORUS, ex Avo Cadmo, Thebarum Conditore divinaveris. Sed audiamus Paufaniam: Τοῖς ἐκ Μεγάρων ἰȣ̃σι, πηγή τέ ἐςιν ἐν δεξιᾷ, καὶ προελθȣ̃σιν ὀλίγον πέτρα. καλȣ̃σι δὲ τὴν μὲν Ακταίωνος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ καθεύδειν φασὶ τῇ πέτρᾳ τὸν Ἀκταίωνα, ὁπότε κάμοι θηρεύων, ἐς δὲ τὴν πηγὴν ἐνιδεῖν λέγȣσιν αὐτὸν λȣμένης Ἀρτέμιδος ἐν τῇ πηγῇ. *Megaris contendentibus ad dextram fons, & paulo progressis longius, saxum est, ACTÆONIS nuncupant; nam super eo dormire Actæonem solitum, dicunt, à Venatione fatigatum, atque Dianam in fonte lavantem adspexisse.* Si ita fe res habeat, excepit ARCHÆOPHILUS, utique non fabula hæc erit, fed hiftoria, fuâ bafi nixa. Canes, refpondit DULODORUS, rabie percitos Actæonem Venatorem devoraffe, ab hiftoria alienum non eft. Actæonem autem in Cervum mutatum, fabulam fapit, ex nimio venationis ftudio, cujus Diana præfes fuit, confictam. Id fanè innuit & pictura Actæonis & Antonoës, Cervæ Hinnuleum manibus tenentium, & Cervinæ infidentium pelli, adjacente cane venatico, quam Paufanias in Phocicis memorat: Quanquam alii non Hiftoricè, fed Ethicè rem interpretati fint, uti apud Natalem Comitem videre eft. Nos eorum placitis relictis ad alia pergimus. Subit

HIPPOLYTE AMAZON THESEUM FUGIENS.



Amazonem ex ſecuri & exerta papilla agnoſcis; Ita enim in aliis antiquitatum reliquiis Amazones viſuntur, ſuffragaturque quoad Mammas Virgilius:

Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ;

Quoad Securim Valerius Flaccus:

Utque ſecurigeras ſtimulaverit ira catervas.

De Virgilio res dubia eſt, repoſuit ARCHÆOPHILUS. Celeberrimus Kirchmaierus Comm. in Taciti Germ. p. 132. pro exertæ, *exſectæ* legendum conjicit. Quâ neceſſitate id faciat, reſpondit DULODORUS, non video; Pro *Mamma exerta* enim militant Antiquitatis reliquiæ: Ut proinde commentum de exſecta, vel aduſta Mamma, & dexteriore quidem, quæ hîc ad oculum patet, Criticorum nugis adſcribendum haud immeritò cenſeas, inde ortum, quod Amazones, quaſi ἄνευ μαζȣ̃ dictas arbitrarentur, quam Etymologiam tamen ipſe Kirchmajerus ridet, rectiusque cum Bochardo ex Hebræo אָמֵץ deducit, quod *robuſtum* & *bellicoſum* ſignificat. Bellicoſas Amazones fuiſſe, ipſarum Hiſtoria docet. Majorem partem Europæ ſubegiſſe, multasque & in Aſia civitates condidiſſe, Juſtino memorantur: Et quis neſcit, cum Hercule congreſſas? Quis cum Theſeo? Quis Trojano etiam bello interfuiſſe? indeque ad Alexandrum Magnum usque duraſſe? Adeò ut non abs re Lactantius Amazones *Bellatrices*, & Callimachus πολέμȣ ἐπιθυμήτειρας vocaverint. Hæc

nota


ota ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Notum item, ex Equis eas pug- aſſe, id quod etiam propoſita facit, & quidem ad mentem Pindari, qui Ἀμά- ονας Εὐίππους: & Orphei, qui in Argonauticis δαμνίππους *Equos domantes* appel- ivit. Etiam hæc nota, inquit DULODORUS, ſed non æquè, quod Lyſias)rator prodidit, *Amazones primas mortalium Equis uſas eſſe*, de cujus rei veritate quidem nunc ſollicitus non ſum. Potius ad Peltam tranſeo, cujus reſpectu *eltata cohors* Claudiano dicitur: Et apud Senecam Tragicum Phædra de ma- e Hippolyti:

Nodô comas
Coëgit, emiſitque, Lunatâ latus
Protecta PELTA.

)e Amazonum habitu, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc abundè inſtru- nt. Mihi autem non tàm de hoc quærendum videtur, quàm de rationibus, uibus Amazonum Reginam agnoſcas, & quidem Hippolytam Theſeum fu- ientem; Quidni aliam quamcunque? cùm utique ne unicum hîc vel Reginæ, el Hippolytæ, vel etiam Theſei argumentum ſe ſiſtat? Imò ſufficiens, inquit)ULODORUS, eſt in pugnâ ſolitaria; Quis enim ignobilium hanc arbi- etur? Quis non potius Partium Capita, adeòque integri alicujus prælii typum îc agnoſcat? eôdem modô, quô Trajanus Decebalum proſternens in num- is integram de Dacis victoriam adumbrat? id quod in antiquitatum reliquiis oris eſſe latius utique, ſi nunc id ageretur, probare poſſem. Sed plura, in- uit ARCHÆOPHILUS, fuêre Amazonum prælia. Scio, inquit DU- .ODORUS; Sed fuga propoſitæ, victorias amovet: Et ut ad cladem vel b Hercule, vel ab Achille acceptam, reſpicias, facies inſequentis prohibet, uæ nec torvum Herculem, nec imberbem Achillem; ſed omninò Theſeum efert, qui ſimili barbâ conſpicuus in Galeria Giuſtiniana etiam Helenam rapit; t quam, præter has, Amazonum fugam Authores memorant? Si ita ſe res abet, inquit ARCHÆOPHILUS, opinioni tuæ non refragabor, quan- uam dubium ſit, an Hippolyte, an verò ejus ſoror Antiope Theſeum fugerit. cio, reſpondit DULODORUS: Placuit tamen ſequi Megarenſes apud 'auſaniam in Atticis, ubi ſequentia leguntur: Πλησίον δέ ἐστι μνῆμα Ἱππολύτης. ράψω δὲ καὶ τὰ ἐς αὐτὴν ὁποῖα Μεγαρεῖς λέγουσιν. Ὅτε Ἀμαζόνες ἐπ' Ἀθηναίους στρατεύσασαι ι' Ἀντιόπην ἐκρατήθησαν ὑπὸ Θησέως, τὰς μὲν πολλὰς συνέβη μαχομένας αὐτῶν ἀποθανεῖν. ππολύτην δὲ ἀδελφὴν οὖσαν Ἀντιόπης, καὶ τότε ἡγουμένην τῶν γυναικῶν, ἀποφυγεῖν σὺν λίγαις ἐς Μέγαρα. Ἅτε δὲ κακῶς οὕτω πράξασαν τῷ στρατῷ τοῖς τε παροῦσιν ἀθύμως ἔχου- σαν, καὶ περὶ τῆς οἴκαδε ἐς τὴν Θεμίσκυραν σωτηρίας μᾶλλον ἔτι ἀπορούσαν, ὑπὸ λύπης τελευ- τῆσαι. καὶ θάψαι αὐτὴν ἀποθανοῦσαν ἐνταῦθα. Καὶ οἱ τοῦ μνήματος σχῆμα ἐστιν Ἀμαζονικῇ σπίδι ἐμφερές. *Prope eſt Hippolytæ monumentum, de quâ, quæ Megarenſes dicunt, on prætermittam. Quum Amazones ob captam Antiopen bello Athenienſes aceſſiſſent, à Theſeo ſuperatæ ſunt. Cùmque earum multæ in prælio cecidiſſent, Hypolyten tradunt, Antiopes ſororem, cui fœminarum ille parebat exercitus, Me- aram cum paucis aufugiſſe. Ibi cum re malè geſtâ animum deſpondiſſet, præ- ertim quòd ſcilicet Themiſcyram in patriam ſuam redire poſſe deſperaſſet, præ nimi angore è vitâ exceſſiſſe, ſepultam verò eô, quô diximus, locô, & ejus ſanè nonumentum Amazonici clypei formam præ ſe fert.* Sequitur

HOME-

HOMERUS



Eôdem ferè modô, quô Eum in Chiorum Numiſmate protulimus: ſed in fragmento, quòd à Bellorio ſibi communicatum, juxta Tabulam Iliacam jamdudum publicavit, & eruditè interpretatus eſt Raphael Fabrettus. Homerum, inquit ARCHÆOPHILUS, barbâ longiore & propexâ apud Fulvium Urſinum cernimus: In hoc fragmento autem barba horrida & criſpa eſt. Fabrettus, inquit DULODORUS, ex Leone Allatio reſpondet, firmatque aſſertum hôc noſtrô fragmento: fuiſſe ſcilicet horridam hanc & barbâ rotundiore effigiem, veram illam & antiquiſſimam, quam Græcus artifex ex vicinis Bibliothecis, ſeu etiam ex ipſis templis Homero erectis, ſtatuiſque in celeberrimis totius Græciæ locis conſpicuis proculdubio hauſerit, cùm è contrario, quæ barbâ longiore & propexâ proſtat, fictitia ſit, & Aſinii Pollionis ingenio deberi videatur. Apta eſt diſtinctio, inquit ARCHÆOPHILUS, & mira Homeri intentio, ſi modò Homerus hic ſit; Quid enim obſtat, ut Philoſophi cujuſdam ſimulacrum credam, cùm Pallium talem arguat? Homerum, excepit DULODORUS, adjecta inſcriptio indubiè evincit. Talem dedit Fabrettus:

ΑΣΙ . . .	. .
ΣΑΙΤΗΣ . . .	. . .
ΜΟΓΟΣ ΚΑΙ	Labor &
ΨΟΓΟΣ ΤΡΩΣΙ Σ	ignominia Trojanis
ΜΟΣ ΕΓΕΡΣΙΣ ΚΑΙ	. . ſuſcitatio, &
ΠΡΟΣ ΠΟΣΙΔΟΝΑ Κ	ad Neptunum, &
ΣΙΜΜΑΧΙΑ ΤΡΩΣΙΝ ΚΑΙ	auxilium Trojanis, &

ΦΥΓΗ

pag. 321.



ΦΥΓΗ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΜΑΧΗ	fuga. Ad naves pugna
ΛΟΥ ΒΟΗΘΗΑ ΚΑΙ ΣΑΡΠΗΔΟΝΟΣ ΘΑ	cli auxilium & ſarpedonis mo
ΝΑΤΟΣ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΝΕΚΡΟΥ ΜΑΧΗ	rs, & circa cadaver pugna
ΚΑΙ ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ ΑΝΑΙΡΕΣΙΣ	& Patrocli occiſio
ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΝΕΚΡΟΥ	& circa cadaver
ΜΑΧΗ ΚΑΙ ΑΝΤΙΛΟΧΟΥ	pugna & Antilochi
ΑΠΑΓΓΕΛΙΑ ΠΡΟΣ	nuntium ad
ΑΧΙΛΛΕΑ ΠΕΡΙ	Achillem de
ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ	Patroclo
ΟΠΛΟΠΟΙΑ.	armorum confectio.

Licet enim, quod equidem fateor & doleo, hactenus injuriâ neſcio cujus, quædam literæ detractæ, quædam ſuppreſſæ hinc inde lateant, apertiſſimum tamen eſt, hiſtoriam Trojanam hâc inſcriptione contineri, adeòque ejus Scriptorem ei appoſitum eſſe: Et quem? ſi non Principem, quem Diadema arguit, Poëtis cum Regibus commune? ſi non Homerum, quem & effigies teſtatur, eadem plane & in Hortis Cæſiis, & in Apotheoſi Homerica Illuſtri Cupero poſt Kircherum expoſita? Quod de Pallio moves, opinionem non ferit; Quis enim Homerum Philoſophum neget, cùm tamen totius Naturæ myſta fuerit? & quàm concinnè Homero, Muſarum ſacerdoti, Muſarum chorus quadrat, circa ſedile ſedentis ludibundus? Quàm concinnè volumen, quod ſimili planè modô etiam in Chiorum Numiſmate tenet? proculdubiò Iliada relegens, quam inſcriptio, quam & averſæ pugna demonſtrat, majoribus pugnantium ſimulacris, quàm in Tab. Iliaca expreſſa? Omnia hæc veriſimiliter, excepit ARCHÆOPHILUS. Volumen tamen penitius videtur inſpiciendum, ut innoteſcat, quô linearum ductu antiquitùs ſcripſerint? In propoſitô, reſpondit DULODORUS, lineis non tranſverſùm ductis, ſed ſine linearum perpetuò verſus umbilicum directo ſcriptum, ita ut σελὶς, ſive ſpatium inter lineas intelligatur, liquidò oſtendit Fabrettus, id peculiare arbitratus fuiſſe in libris poëticis, magnæ præſertim molis: Cujus placitum, annon etiam ad alios libros pertineat? nunc accuratius examinare non vacat. Succedit

SOCRATES

Sophroniſci & Phænaretæ obſtetricis filius, Patriâ Athenienſis, pago Alopecenſis, Mortalium ſui temporis, vel Oraculo teſte, ſapientiſſimus. Socratem nemo ignorat, inquit ARCHÆOPHILUS. Tot reliquiis Antiquitatum paſſim proſtat, totque laudum præconiis fertur, ut vel primô intuitu & noſcatur, & ſui venerationem ſibi conciliet: Et fateor, quotiescunque deformem frontis calvitiem, oculosque ejus protuberantes, & barbam horridam, & naſum ſimum contemplor, toties vanitatem eorum ſimul arguo, qui ex Corporum diſpoſitione animarum habitum dijudicant. Tecum, reſpondit DULODORUS, ſenſére & Socratis diſcipuli: Et licet ipſe Socrates his Apologiam dixerit, Sapientiam & Virtutes non tàm naturæ & ingenii, quàm laboris & conſuetudinis fœtum arbitratus, mihi tamen eo ipsô vanitatem oſtendiſſe videtur, cùm utique, niſi labor & conſuetudo naturam vel juvent vel corrigant, etiam pulcherrimum corpus ignorantiæ tenebris relinquatur. Sed non Socrates ſolus animam virtute & ſapientiâ venuſtam in corpore turpi circumtulit. Succurrit & Æſopus: Imò, ſi ad Deos abire licet, etiam Silenus, cui Socratem vultu ſimilem fuiſſe, ad Cæſares Juliani Illuſtriſſimus SPANHEMIUS docuit. Silenus, inquam,

qui & ipſe non vulgaris ſapientiæ magiſter fertur. De eo in ſuperioribus dictum, excepit ARCHÆOPHILUS, de Socrate autem mirari ſubit, unde tot ejus ſimulacra, tot imagines prodierint? cùm veriſimile non ſit, Athenienſes ea curaſſe; Conſtat enim tantô odiô eum proſecutos eſſe, ut non tantum convitiis publicè & in Theatris perſtringerent, ſed & ſuffragiis Populi ad mortem adigerent. Id equidem verum eſt, reſpondit DULODORUS, ſed notandum juxta, Athenienſes facti mox pœnituiſſe, adeò ut non tantùm Palæſtras & Gymnaſia clauderent, inimicosque ejus partem exilio, partem morte punirent, ſed &, ut Diogenes Laërtius in vita ejus teſtatur, *æreâ eum imagine publicè honorarent, eamque à Lyſippo perfectam in urbis celeberrimo loco ſtatuerent.* Propoſita, inquit ARCHÆOPHILUS, non ærea, ſed marmorea eſt. Quid tum? reſpondit DULODORUS; neque enim eandem aſſero, quam Lyſippus fecit; Id autem veriſimile eſt, ad Prototypon Lyſippi non hanc tantùm, ſed & quasdam prodiiſſe earum, quæ, ut rectè notaſti, magno numero inter Antiquitatis reliquias proſtant. Notanda autem Socratis ætas, calvitiei & teſtis & origo. Septuaginta annos dicitur impleviſſe, anno primo Olympiadis Nonageſimæ quintæ mortuus. Eum excepit

PLATO,

Ariſtonis, ex Perictione ſive Potone, filius, qui Olymp. 88. natus, octoginta, & quod excedit, vitæ annos exegit. Platonis vitam, inquit ARCHÆOPHILUS, idem Diogenes Laertius inter alios Antiquorum Philoſophos luculenter deſcripſit. Sed dabis veniam, ſi hujus effigiem non eâdem facilitate agnoſcam, quâ modò Socratis. Nulla Inſcriptio eam determinat, quomodo igitur Tibi poterit innotuiſſe? Authoritate & rationibus, reſpondit DULODORUS; Eadem faciei lineamenta, idem capillorum nexus apud Fulvium Urſinum in Gemma PLATONI dantur: Et ſi rationes quæras, verecundia faciei ſe ſiſtit, quam etiam adoleſcens oſtentavit tantam, ut effuſius ridere nunquam viſus ſit, id quod Comici in ludibrium detorſere, ut Amphis in Dexidemede:

Ὦ Πλάτων,
Ὡς ἐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον,
Ὥσπερ Κοχλίας σεμνῶς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς.

O Plato,
Quam nihil ſcis, præterquam eſſe triſtem ſolum,
Tanquam Cochlea graviter attollens ſupercilia.

In effigie, excepit ARCHÆOPHILUS, triſtem non video, potius amœnam quandam modeſtiam, Divinamqûe Sapientiam contemplor. Quid non amaro dente vellicat Livor? regeſſit DULODORUS. Quis triſtitiam & adducta ſupercilia in Patone præſumat, cùm tamen ἐυεξίαν, ſive *concinnum corporis habitum*, & πλατύτητα τῦ μετώπυ *latam frontem* ipſum nomen demonſtret? Ab his enim *Platonem* dictum, cùm antea *Ariſtocles* appellaretur, Diogenes, ex Alexandro in ſucceſſionibus, & ex Neanthe, probat. Lata frons, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ad rem facere poſſet, ea enim clariſſimè patet; ſed Suidas non à fronte, ſed *à lato pectore*, διὰ τὸ πλατὺς εἶναι τὸ στέρνον, Platonem dictum aſſerit, quam etiam opinionem Seneca in Ep. LIX. fulcit: *Platoni*, inquit, *nomen latitudo pectoris fecerat.* Utrumque locum, repoſuit DULODORUS, citat Caſaubonus in notis ad Diogenem; Sed addit: præſtat hîc legere

cum

pag 322



cum Hefychio Milefio, qui lectionem utramque agnofcit: πλατὺς δὲ ὢν τὰ ςτέρνα ἢ τὸ μέτωπον Πλάτων προσηγορεύθη: Adeò ut ex his pateat, nec Diogenem de lato pectore tacuiffe, fed etiam hoc fub voce Ευεξία intellexiffe. Pectus in imagine hac, perrexit ARCHÆOPHILUS, integrum non apparet: Frons autem opinioni refpondet. At annon barba & capillorum decor Platonem negant? Imò probant, inquit DULODORUS; inter alias enim diffidii inter Platonem & Ariftotelem caufas, Ælianus etiam Κȣρὰν *Tonfuram* recenfet, quòd fcilicet Ariftoteli confuetam Plato non probaret. Inde certè, Platonem intonfum fuiffe, nefcio annon liquidò effulgeat. Intonfus, iteravit ARCHÆOPHILUS, etiam Apollo fuit, qui patri Platonis memoratur apparuiffe, cujusque dies natalitius etiam Platoni natalitius creditur. An inde tonfuram Plato fugit? Ratio aliena eft, refpondit DULODORUS. Apollo intonfus quidem comam fuit, barbam autem non aluit. Potius ob ftudium Philofophiæ id factum crediderim; Ælianus enim, cùm plura ad habitum corporis & ornatum pertinentia, & inter ea etiam tonfuram, de Ariftotele memorâffet: πάντα δε ταῦτα, inquit, ὡς ἐςιν ἀλλότρια φιλοσόφȣ δῆλον. *Hæc omnia Philofopho indigna effe manifeftum eft.* Inde certè videtur effe, quod pleræque Philofophorum, quæ proftant, imagines adhuc hodie barbatæ confpiciantur. De barba acquiefco, inquit ARCHÆOPHILUS; Annon autem etiam ad Os quædam occurrunt dicenda? Si Os confideres, repofuit DULODORUS, Divinum Platonis eloquium fe commendabit, quod fi Plinio Lib. XI. c. 17. fides, etiam *Apes* portendére, *in ore infantis confidentes.* Tanta certè facundia inftructum, Valerius Maximus L. VIII. c. 7. prodidit, ut fi ipfe Jupiter cœlô defcendiffet, nec elegantiore, nec beatiore facundiâ ufurus videretur. Magna hæc funt, excepit ARCHÆOPHILUS, & marmore digna Tanti Philofophi ornamenta! Marmor candidum eft, an hoc ob candorem Cygni, quô Plato Socrati etiam per fomnum memoratur adumbratus? An huc refpexerit Artifex, refpondit DULODORUS, non dixerim. Platonis autem imagines olim in honore fuiffe, ex Epiphanio patet, qui has, & Pythagoræ, & Ariftotelis, inter imagines Chrifti à Carpocratianis adoratas, Hærefi 27. prodidit, quod uti fuperftitiosè & impiè factum arbitramur, ita non poffumus non laudare factum Mithridatis Perfæ apud Laërtium, qui Platonis Statuam, aut imaginem à Silanione factam, Mufis memoratur facraviffe. Prodeunt

BATTUS IV. ET PHERETIMA CYRENÆORUM REX ET REGINA.



Nimis audacter mihi loqui videris, inquit ARCHÆOPHILUS; Nullâ enim hæ imagines vel inſcriptione determinantur, vel notâ clareſcunt. Si ex ornatu judicemus, potius ad Oſiridem & Iſidem reſpicerem, Ægyptiorum Deos, de quibus ſupra; Iſidem ſanè capitis inſigne apertè demonſtrat. Cum Cel. Bellorio ſentis, reſpondit DULODORUS; Is enim in Catalogo & ipſe ad Iſidem, utramque hanc imaginem retulit. Mihi autem aliud videtur: Et quidem, niſi me opinio fallit, non ſine ratione. Recenti proculdubio adhuc memoriâ tenes Numiſma Batti, quod inter Numiſmata Græca Electoralis hujus Cimeliarchii protuli. Teneo, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed quid inde? Coronam inſpice, reſpondit DULODORUS. Annon eâdem altitudine, eôdemque ferè ornatu eminet, quô & propoſita imaginis prioris? Quidni igitur ob hanc Coronarum convenientiam ritè judicem, Battum quendam etiam hîc

hîc adumbrari? præsertim cùm Isidis, in uxore, habitus vel ad *Ægyptios*, vel ad Ægyptiorum vicinos has indubiè deducat? Ad Ægyptios, fateor, inquit ARCHÆOPHILUS: Ad Cyrenæos autem, dubitem, nisi probes etiam apud hos Isidis cultum viguisse, Reginarumque vesaniam tantam fuisse, ut ejus ornatum assumerent. De Vesania Reginarum, Divinos ornatus æmulantium, inquit DULODORUS, plena sunt Historicorum volumina. Quis adeò hospes in Græca Romanaque, ut rem negare ausit? Et quis dubitet de Pheretima Batti IV. quam hîc cum marito adumbrari contendo, uxore? cùm tamen hujus ambitio ex factis elucescat. Sed de his postea. De Isidis apud Cyrenæos cultu audi Herodotum Lib. IV. c. 186. βοῶν μὲν νῦν θηλέων ȣδ' αἱ Κυρηναιων γυναῖκες δικαιεῦσι πατέεσθαι, διὰ τὴν ἐν Αιγύπτῳ Ἴσιν, ἀλλὰ καὶ νηςείας αὐτῇ καὶ ἑορτὰς ἐπιτελέȣσι. *Sed nec Cyrenææ feminæ boves fœminas ferire sibi fas putant, ob ISIDEM, quæ est in Ægypto, cui etiam jejunia & Dies festos studiosè agunt.* Agnoscis, ARCHÆOPHILE, Isidem etiam Cyrenæis cultam, cujus insigne in fronte Pheretimæ cernis: Cùmque coròna mariti ad hos potius, quàm ad Ægyptios respiciendum moneat, utique non adeò fragili opinio mea innititur fundamentô. Non ausim ulterius repugnare, excepit ARCHÆOPHILUS, eadem enim utrisque magnitudo, idem marmoris color, idem artificii genius, sexuumque non obscura etiam in formositate diversitas, Conjuges hîc exhiberi haud difficulter persuadent; Cùm autem eadem hujus Batti sit juventus, eadem genarum facieique venustas, quæ & in Numismate, lubet scire, quâ ratione hic non Tertium, ut illic, sed omninò Quartum adumbrari statuas. Quid? An, quem indignum putasti, cujus facies Nummo celebraretur, an eum marmore dignum judicabis? & quidem cum conjuge? Judico, inquit DULODORUS; Cùm enim Dæmonax sub hoc Rege Democratiam instituerit, omniaque, ut Herodotus habet, quæ antea Regum erant, Populo in commune dederit, nihilque reliquerit, nisi Fana & Ceremonias, utique palam est, jus monetandi, eum non habuisse, sed Imagines ejus tantùm in Fanis collocatas fuisse: Et quàm commode hoc ad habitum Isidis, quâ Pheretima insignitur? At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon poterit alius quis ex Battiadarum familia statui? Constat enim vel Oraculo teste, ut *quatuor* Battos, ita & *Quatuor* Arcesilaos Cyrenis regnasse. Scio, inquit DULODORUS, & si ad horum aliquem respiciendum arbitreris, non resistam, modò rationes proferas, quibus meâ opinione rejectâ, Tuæ inhærendum statuas. Battum quartum, regessit ARCHÆOPHILUS, claudicasse lego, eundemque jure regio spoliatum. *Jure*, inquit DULODORUS, sed non *dignitate*; Imò hæc in majus crevit, cùm honores divini ei relinquerentur. Et quid? An pedum debilitas obstabit capiti? Si totum simulacrum hîc exhiberetur, pedumque debilitas non appareret, foret quod objiceres: Cùm de solo capite agatur, nescio quâ energiâ pedes in contrarium adducas. Cur Battum Tertium non agnoscam, ex diverso coronæ, licet ejusdem, ornatu me conjicere, jam suprà dixi: Et ne ad Arcesilaum vel Tertium vel Quartum respiciam, crudelitas facit, quâ uterque necem, alter & nomen *Asperi* meruit. Ita nec Priores in medium produces, cùm vel hos potentiæ exilitas, vel meritorum obscuritas removeat. Quod meritum obscurius potest esse, excepit ARCHÆOPHILUS, quam Batti IV. qui ab omni administratione exclusus Populo Imperii habenas permittere coactus est? Et hoc meritum, inquit DULODORUS, vel maximum fuit; Populo enim quietem, & Regi securitatem præstitit: Et huic quidem, quoad vixit. A morte ejus, cùm uxor Pheretima, filiusque Arcesilaus IV. instituta novarent, orta est sedi-

 tio.

tio, ipſeque Rex cum matre Regina ejectus, Ille in Samum, Hæc in Cyprum fugit: Ille exercitum collegit, Huic, cùm exercitum peteret, Rex Evelthon fuſum aureum, & colum penſo circumdatum, dono dedit. Fruſtrata igitur hâc ſpe, à filio reſtituta eſt, eôque denuò, & quidem ad Barcæos, fugiente, ejus vice Cyrenis munera & honores ſubiit, & in Senatu præſedit. Si hæc ita ſe habeant, excepit ARCHÆOPHILUS, non amplius mirabor, quod Rex coronâ Regiâ, Regina Iſidis inſigni ſuperbiat. Eâdem vanitate hoc fieri videtur, quâ & mater Antiochi Epiphanis, ſive Grypi, in nummo ſe Deam tulit, cùm interim filius ſolô Regis titulô ſe jactaret; Sed adverte! annon hâc ratione Mater & Filius, *Pheretima* ſcilicet & *Arceſilaus IV.* hîc erunt agnoſcendi? Non arbitror, reſpondit DULODORUS; cùm enim juvenilior adhuc mulieris hujus facies ſit, potius in Pheretima & ejus Conjuge Batto ſubſiſtimus: Et hic quidem, ut diximus, tranquillitatis ſuæ, quæ ei vel ex oculis & integra facie elucet, mercedem tulit mortem placidam; Illa autem, cùm filiô à Barcæis occisô denuò fugiſſet, & Ægyptiorum ope reſtituta eſſet, tam crudeliter in Barcæos conſuluit, ut & Deorum ultionem meruerit; Vivens enim vermibus computruit, ut Herodotus teſtatur. In Ægyptum regreſſis

PTOLEMÆUS

Se offert, ſed incertus. Ptolemæorum effigies, inquit ARCHÆOPHILUS, pleræque adhuc incognitæ ſunt, indeque non miror, Te hanc inter incertas locare. Id ago, reſpondit DULODORUS, ne videar absque baſi aliquid affirmare. Cæterùm, ut Vaillantius de ſtudiis noſtris glorioſè meritus, *Reges Syriæ*, ex Nummis produxit, ita producet, ut audio, & *Reges Ægypti*; eôque ex Opere forſan de propoſita judicare licebit; Mihi eam vel ideo publicare viſum eſt, quòd inſolitô planè modô, locô Diadematis, Torque eſt redimita. Id in regibus obſervaſſe non memini, inquit ARCHÆOPHILUS; Nec ego, reſpondit DULODORUS, niſi quod de Juliano Ammianus refert, ei *torquem loco diadematis* impoſitum fuiſſe: quòdque Jornandes lib. 1. de Regn. & temp. ſucceſſ. de Hypatio contra Juſtinianum inſurgente, & ipſum *torque aureo redimitum pro Diademate*, loca Imperatoris occupaſſe. Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, quidni horum alterum hâc effigie adumbratum agnoſcam? Hypatio, reſpondit DULODORUS, obſtat artificium, Julianum removent faciei lineamenta. Artificium multò terſius hîc viſitur, quàm pro Juſtiniani ævo: Et Juliani lineamenta notiora ſunt, quàm ut hîc agnoſci poſſint. At unde, inquit ARCHÆOPHILUS, Tu de Ptolemæo quodam ſubolefacis, cùm tamen nec hujus aperta ſint veſtigia? Sententiam Italicorum ſequor, inquit DULODORUS, qui PTOLEMÆUM Caput hoc vel ante me inſcripſére, eôque nomine & Electori noſtro id vendiderunt: Nec forſan absque probabili conjectura; favet enim & Genus marmoris, rubrum omninò, quali etiam hac ipſa in Gaza Electorali Sphinges Ægyptiacæ exſculptæ ſunt. Rubrum ſanè marmor *Porphyritem* dictum, & in Ægypto reperiri, author eſt Plinius L. 36. c. 7. ubi de Marmoris coloribus: *Rubet Porphyrites*, inquit, *in eadem Ægypto*. Hæc equidem conjecturam fovent, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed ad rei certitudinem non ſufficiunt. Quærendum igitur, annon Ptolemæorum aliquem imago referat? Si Italos ſequaris, reſpondit DULODORUS, erit Cleopatræ frater, dubium, an Dionyſus, qui Pompejum interfecit? an junior, qui Cypri Rex fuit? Ego cùm certi nihil habeam, rem diſtituere malim, quàm fragilibus argumentis ulterius volvere. Succedit

CLEO-

pag. 326







CLEOPATRA MORIENS;

Quam enim aliam adferam, Marmori noſtro convenientem? Reginam eô adumbrari, ex Diademate patet: Adumbrari Reginam morientem, patet ex facie, oculisque, quorum illa pallido languore torpet, hi deſperabundi mortis indignitatem quaſi accuſant, vindiĉtamque vel à cœlo videntur ſollicitare. In Cleopatra, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc inveniri, facile ceſſero; Sed occurrunt etiam in aliis: Indeque quid obeſt, ut Sophonisbam hoc marmore effigiatam credas? Nonne & hæc Regina fuit? Syphacis Conjux, Regis Numidiæ, quô captô Maſaniſſæ nupſit? Nonne & hæc violentâ morte periit, cùm venenum ei Maſaniſſa maritus miſiſſet? Formâ inſignem, & florentiſſimam ætate fuiſſe, & Livius teſtatur: Et formâ inſignem etiam in marmore intueor. Acriter, reſpondit DULODORUS, pro Sophonisba pugnas, ſed & ipſe argumentis non uni propriis, ſed quæ etiam in aliis locum habere poſſunt. Exemplo ſint Reginæ Macedoniæ & Syriæ, quarum plures violentâ morte perierunt: imò nec formæ ſublimitate caruere. Annon Olympias Cleopatram Philippi, vitam ſuſpendio finire coegit? Annon Olympiadem ipſam Caſſander juſſit confodi? Quid Cleopatram Antiochi Cyziceni loquar, quæ Sororis juſſu in templo occubuit? Quid Tryphenam Cleopatræ Sororem, cujus ſuppliciô Uxoris manibus Cyzicenus parentavit? Quæ omnia apud Juſtinum videre eſt; Sed quid hoc ad rem? ſi Sophonisba nullo trepidationis ſignô datô venenum hauſiſſe Livio memoretur? ſi in Reginis Macedoniæ & Syriæ vita memorabilior fuerit, quàm mors? Quis imaginem conſecraret fœminæ ſuſpenſæ, vel confoſſæ, niſi mortis genus & amicis commiſerationem, & inimicis venerationem expreſſerit? Neutrum de Sophonisba dixeris: Neutrum de Reginis Syriæ. In ſola Cleopatra id videas, quam proinde non vanô, ut arbitror, judiciô, hoc in marmore agnoſcendam cenſeo. Eandem certè eòdem modô diademate cinĉtam, eôdem modô capillis ordinatis, eôdem modò genis ſucculentis, reĉtôque faciei filô in Hortis Vaticanis cerni, ex Statuis Romanis patet, quas Franciſcus Perrier delineavit, Cornelius van Dalen æri incidit. Si hæc conveniant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ulterius non dubitem. Imò non hæc tantùm, repoſuit DULODORUS, ſed & Celeb. Patini ſignum, quod inter Numiſmata Imperatorum vulgavit; In hoc enim caput moribundæ reclinatur, capilli utrinque convoluti ſunt, retròque ſinciput deſcendunt, oculi cœlum verſus elevantur, animæ indignantis indices: omnia planè, qualiter & in hoc noſtro marmore. Cùm hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Eadem

CLEO-

CLEOPATRA

& in hoc Thorace adumbrabitur, quem heroicâ magnitudine conspicuum cerno. Caput sanè & venustas optimè conveniant, Capilli utrinque non convoluti tantùm sunt, sed & Cinnos in humeros demittunt, omninò qualiter & alibi Cleopatra visitur. Adde quòd nec faciei lineamenta à priore differant: adeò ut ritè hîc faciem contempler & inflammandis Imperatoribus, ut cum Patino loquar, & miscendis rebus humanis destinatam. Pulchritudinem faciei, respondit DULODORUS, in Cleopatra, si Patinum audias, parciùs laudaveris. Vocis sanè sermonisque & convictûs illicebras, dictisque & factis ejus aspersum leporem, longe pluris ipsâ facie fuisse, cum Priscis quibusdam fatetur. Dioni tamen omnibus mulieribus formæ elegantiâ præstitisse dicitur; quanquam nec de lepore vocis, nec de illecebris taceat, quò si respicias, rationem fortasse & languoris reperies, quô facies proposita se commendat; Quid enim, si hôc habitu Cæsaris gratiam venata sit? Opinioni egregiè famularis, inquit ARCHÆOPHILUS, nec quicquam progressurum cohibet, si non absentia Diadematis; Hæc enim, an Reginæ hæc imago sit? cui non dubium moveat? Absentia Diadematis, respondit DULODORUS, me non ferit; sive enim Julii Cæsaris tempora respicias, sive Cæsaris Divi filii, utrinque absentis diadematis ratio dari potest; Julium Cæsarem aditura, si Dionem audis, κατεκόσμησέ τε ἑαυτὴν καὶ ἐξήσκησεν, ὥςε σεμνοπρεπεςάτη καὶ οἰκτροτάτη αὐτῷ ὀφθῆναι, *ita se exornavit ac composuit, ut simul quam maximam dignitatem præ se ferret, simul misericordiam Cæsari moveret:* Non frustrata successu; Cæsar enim ei & fratri ejus Regnum Ægypti dedit, adeòque & Diadema imposuit, quo proculdubio caruit, cùm eum alloqueretur. Cæsarem Divi filium non nisi capta vidit, adeòque quis miretur Diadema eam deposuisse? Dio quidem, nihil ei de comitatu, nihil de consueto cultu detractum, author est; Sed idem juxta author est, Eam ἑαυτὴν ἠμελημένως πως κοσμήσασαν, *se ipsam cultu quam maximè abjecto adornasse*, & ita Cæsarem exspectasse; additque & rationem καὶ γὰρ ἐν τῷ πενθίμῳ σχήματι δεινῶς ἐνέπρεπεν, *Habitus eam lugubris mirè decebat.* Hæc cùm ita sint, apertum utique simul est, absentiam Diadematis Cleopatræ hunc Thoracem non abjudicare. Amabilis potius languor, qui faciem deprimit, non obscurè pro ea militat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an fœminæ, quam Roma detestata est, tantus fuerit honos, ut Thoracem ei marmoreum, & quidem magnitudine humanam excedente, conficerent inimici? neque enim Ægyptiacum, sed omninò Romanum artificium arbitror. Si huc descendas, respondit DULODORUS, Dionem Tibi denuò repono. Κλεοπάτρα, inquit, κάπερ ἡττηθεῖσα καὶ ἁλῦσα, ἐδοξάσθη, ὅτι τά τε κοσμήματα αὐτῆς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν ἀνάκειται, καὶ αὐτὴ ἐν τῷ Ἀφροδισίῳ χρυσῆ ὁρᾶται. *Cleopatra, quanquam victa & capta, gloriam tamen consecuta est, quum ejus ornamenta in templis nostris affixa sint, & ipsius AUREA IMAGO in Templo Veneris conspiciatur.* Quid videtur, ARCHÆOPHILE? Cui imago aurea in templo posita est, an ei Thorax marmoreus fuerit negatus, eô tempore, quô Romanis vel amica fuit, vel suâ captivitate odium dispulerat? Sed ad Romanos discedimus. Hos inter in limite occurrit

T. MAN-

pag 328



T. MANLIUS TORQVATUS.



Inde hunc demonſtrabis? inquit ARCHÆOPHILUS. Ex Torque, respondit DULODORUS, quem à collo dependentem cernimus. Fragile argumentum! exclamavit ARCHÆOPHILUS, quaſi verò non & Poſteri us hôc ſignô ſui generis nobilitatem extulerint? Ita ſanè Suetonius de Caligula: *etera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato TORQUEM:* t quid? nonne & aliis Torques aurei virtutis ergo ab Imperatoribus dati? l ſanè de Cæſare memorat Hirtius, de bello Hiſpanico: ut taceam, Torquem ulgare Gallorum geſtamen fuiſſe, quod ex Livio patet, qui inter alia Gallorum polia torques aureos 1470. translatos, decad. IV. lib. VI. memorat. De Gallis, eſpondit DULODORUS, etiam ipſa Manlii noſtri fortitudo docet, qui rquem Gallo à ſe devicto detraxiſſe, colloque ſuo circumdediſſe, eidem ivio Libro VII. narratur; Sed Gallum ne agnoſcam, alia ratione ducor. Eam aulò poſt indicabo. Poſteris autem cognomen *Torquati* manſiſſe, imò familiæ

insigne etiam his torquem fuisse, inficias non ivero: dubium tamen esse potest, an easdem collo circumdatos publicè gestaverint? Id sanè dum doceas, assertum meum valebit: Et si doceas, tamen tuô validius erit, quòd verisimilius sit, proprium in antiquitatum reliquiis, quàm alienum decus ostentari. Notandum sanè, quod Livius desertis verbis memorat, *collo suo* Manlium *torquem* Gallo detractum *circumdedisse*. Sub torque, inquit ARCHÆOPHILUS, aliud adhuc ornamenti genus video, ramis, nisi fallor, Palmæ distinctum: An quod tunica palmata hos prætulerit? Omninò, respondit DULODORUS; Ita enim Isidorus: *TOGA PALMATA dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus PALMAS: quæ vocabatur & Toga Picta, eò quod victorias cum PALMIS intextas haberet.* Victorias? excepit ARCHÆOPHILUS; at has in proposito non video. Id ideò, respondit DULODORUS, quòd non Triumphantis hîc, sed Consularis dignitatis insigne sit. Duplicem sanè hunc usum indicat Ausonius in Gratiarum actione: *Palmata vestis*, inquit, *ut in Pace Consulis, sic in victoria Triumphantis est.* Ex hoc certè Consularis dignitatis indicio apertè satis evicero, id quod suprà promisi, non Gallum quendam, sed omninò Titum Manlium Torquatum hôc simulacrô nobis exhiberi; nec est quod Indicem Bellorii audias, ubi *pueri cujusdam* hæc *imago* statuitur. Puerum, reposuit ARCHÆOPHILUS, satis amovent rugæ frontis, facieique, licet satis succulenti, torva tamen severitas; Sed hæc ipsa, nescio annon contra Manlium Torquatum militet? cùm tamen Consulatum ideò recusasse memoretur, quòd nec populus ejus severitatem, nec ipse populi vitia ferre posset? Id de secundo Consulatu est intelligendum, respondit DULODORUS; Primum enim non tantum gloriosè, sed & cum tanta severitate gessit, ut & filium, injussu suo pugnantem, licet victorem, capite tamen multaverit, qua de re Livius Lib. 7. Ad effigiem tamen etiam addi meretur, quod Valerius Maximus habet, *eum adeò hebetis & obtusi cordis inter initia juventæ existimatum, ut à Patre rus relegatus agresti opere fatigaretur.* Ut proinde, si facies agrestior videatur, ea res asserto meo suffragetur, tantum abest, ut obesse possit. T. Manlius Torquatus, denuò excepit ARCHÆOPHILUS, circa A. V. C. 400. floruit, an autem tam vetusta Romæ æris in imagines & statuas fundendi scientia? Omninò, reposuit DULODORUS, Plinius enim Lib. XXXIIII. c. 4. *Romæ*, inquit, *simulacrum ex ære factum Cereri primùm reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat. Transiit & ab diis ad hominum statuas atque imagines multis modis.* Atqui Sp. Cassius affectatæ Tyrannidis convictus A. V. C. 262. interiit, centum & plus quàm triginta annis Manlio vetustior. Ad rem sanè facere possunt ejusdem Plinii sequentia: *Effigies hominum*, inquit, *non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium*, quod nostro Manlio jure tributum: Accedit & illud, quòd non auro, sed bitumine inducta hæc imago videatur, id quod priscis temporibus moris fuisse, idem Plinius asserit. *Antiqui*, inquit, *pingebant eas imagines bitumine, quò magis mirum est placuisse auro integere.* Sed hæc utut se habeant, facilè tamen accedam, si vel hanc Titi Manlii effigiem à Posteris ejus in facinoris heroici memoriam factam, vel etiam non Titum, sed aliquem Posterorum adumbrare, firmioribus fulcris evincas. Id à me non exspectabis, inquit ARCHÆOPHILUS. Potius & ipse Tibi accedo, liberâ tamen cuicunque opinionis suæ sententiâ. Pergamus igitur, inquid DULODORUS. Prodit

pag. 331.



SCIPIO AFRICANUS,

Nam hunc elegantissimo hoc, Heroicæque magnitudinis in Thorace mihi videor agnoscere, licet Italici *Gladiatorem* suggesserint, *Faustinæ junioris Amasium.* Non abs re, excepit ARCHÆOPHILUS; Gladiatorem enim habitus demonstrat, Faustinæ Amasium demonstrat venustas. Neutrum dixero, respondit DULODORUS; Habitus enim nobilior est, quàm ut gladiatoris credi possit, & ubi venustas laudatur? amore quidem gladiatoris succensam Faustinam, Julius Capitolinus: imò & Commodum ex eo genuisse, Xiphilinus memorant; sed id venustam faciei juventutem, quæ proposito in marmore lacteô candore effulget, non supponit. Imò potius masculum vigorem suadet, talemque omninò, qualis in simulacro eo visitur, quod ex Hortis Burghesianis delineatum inter Statuas Romanas cernimus, quodque ob adstantem, pectusque amplexantem fœminam, Alii Cneum Martium Coriolanum hactenus, Alii autem Gladiatorem Faustinæ interpretantur. Coriolanum ego præferrem, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò & Ego, respondit DULODORUS; Licet enim negari non possit, Gladiatores Galeam & Baltheum gestasse, dubitem tamen, an gladiator Faustinæ, honore statuæ potuerit affici; Quis enim ignominiam vulgasset? An Faustina? At huic metu conjugis, satis proculdubio fuit, amato posse frui: An M. Aurelius, Faustinæ conjux? At hujus sanctitas & prudentia tale quid ne cogitare quidem sinunt: An denique Commodus? At nec hic eò vesaniæ processit, ut se Marci filium negaret: Adde, quòd Faustina ante maritum mortua est: Adde, quòd nec amoris commercium in propatulo fuerit; Licet enim Xiphilinus ex eo Commodum prodiisse asserat: licet & Julius Capitolinus id verisimile ex Commodi studiis testetur, addit tamen, *quosdam tantùm id asseruisse:* imò & fabellam recenset, rem aperte negantem. Utut hæc sint, inquit ARCHÆOPHILUS, Galea tamen & Balthєus gladiatorem apertè evincunt; Galea enim, si Lipsium audis, communis fuit Gladiatoribus plerisque: Et baltheis suspendebantur gladii, quorum usus Gladiatoribus nomen dedit. Hæc ego quid proficere possint, inquit DULODORUS, non video, cùm non Gladiatorum tantum, sed & Heroum & Militum gestamina fuerint, non Galea tantùm, sed & Baltheus. De Galeis dubium omnis Antiquitas eximit: de Baltheo, ut Homerum taceam, Virgilius testatur Lib. XII. v. 942. de Turno locutus: *Humero cum apparuit ingens BALTEUS*, unde & Sidonio Lib. IV. Ep. XX. *Penduli ex Humero BALTEI* dicuntur, & in Panegyr. ad Anthem.

Applicat à læva fulgentem BALTEUS ensem,

Canit de Roma: Quæ verba ad propositum Thoracem vel ideò ritè citavero, quòd Romam proculdubio Romanô more armavit. More Romano? excepit ARCHÆOPHILUS; At in Columna Trajana, alibique non à læva, sed à dextrâ Gladius: Imò nec Baltheus ab humero, sed à medio cingulo dependet. Ea res, respondit DULODORUS, vel Lipsio judice, fuit arbitraria. Ego ut & de humero & de læva demonstrem, & simul ad propositum propius accedam, Clypeum argenteum inspicere jubeo, quem Celeberrimus Sponius publici juris fecit in Miscellaneis p. 152. In eo non tantùm Allucius, cui Scipio sponsam reddidisse fingitur, sed & Romanus miles, non Galeatus tantùm est, sed & Baltheo ab Humero dextro dependente, sub læva Gladium suspendit, aperto indicio, Scipionis ævo rem insolitam non fuisse. Quid inde? excepit ARCHÆOPHILUS, an Scipionem hoc Thorace exhiberi? Si reliqua

audieris, respondit DULODORUS, tunc judicium liberum sit. Ipsum in hoc Clypeo Scipionem aspice! Id ago, respondit ARCHÆOPHILUS, & juvenem quidem imberbem deprehendo, capillisque longioribus, caputque inclinatum, sive id ei naturale fuerit, sive auscultandi actus tale affingat. Naturale fuisse, respondit DULODORUS, facile credideris, si consideres, quod Livius de eo tradit, arte quâdam ab juventa in ostentationem compositum, pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut veluti divinitùs mente monita egisse, sive & ipse capti quâdam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque, velut sorte oraculi missa, sine cunctatione assequeretur. Adde quod togâ virili sumtâ, nullô die prius ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret, & plerumque tempus solus in secreto ibi tereret: Hæc agenti quis caput inclinatum & cogitabundum, divinisque adeò responsis cum veneratione intentum negaret? suffragantibus omnibus elegantissimi Thoracis insignibus? Non juventutem tantùm & capillos urgebo, quos tamen Scipioni in Clypeo Sponiano respondere, negari non potest: Non Baltheum tantùm, quem & ipsum Scipionis tempore usitatum ex eadem constat; sed Galeæ insignia, Baltheique ornatum, quæ utique Heroëm omninò, vulgatæque nec virtutis nec fortunæ demonstrant. Baltheum, inquit ARCHÆOPHILUS, ramusculo distinctum video. Imò ramusculo, respondit DULODORUS, bullis hinc inde distincto. De bullis testatur balteus Turni, an Pallantis? apud Virgilium, de quo supra:

apparuit ingens
Baltheus, & notis fulserunt cingula BULLIS:

Et si plura desideres, adi Lipsium, qui luculenter de his disseruit. Nihil hæc pro Scipione, excepit ARCHÆOPHILUS; At nec obstant, respondit DULODORUS; Si tamen pro Scipione argumenta desideres, superiora Tibi in mentem revoca, & adde insignia Galeæ. Leonem video, inquit ARCHÆOPHILUS: video Canem. Quid autem hi pro Scipione, cùm ille fortitudinis, hic autem apertè fidei symbolum sit? Fortitudo & fides, respondit DULODORUS, in Scipione tantò illustriores sunt, quanto majoribus documentis eas exeruit. Memorandum est facinus, ut alia taceam, quod Valerius Maximus Lib. V. cap. VI. n. 7. memorat. *Cùm afflicta*, inquit, *Cannensi clade urbs nostra, nihil aliud quàm præda victoris esse Annibalis videretur, ideoque reliquiæ prostrati exercitûs deserendæ Italiæ, auctore L. Metello, consilium agitarent, Tribunus militum Scipio, admodum juvenis, stricto gladio mortem unicuique minitando jurare omnes, nunquam se relicturos Patriam coëgit, pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit.* Quid videtur, ARCHÆOPHILE? qui hoc fecit nonne fortis? nonne Patriæ fidus fuit? Fateor, inquit ILLE, sed non acquiesco; Quidni enim & alii tale quid fecerint? Audi igitur & reliqua, respondit DULODORUS. Non virtutem tantùm sub his Leonis & Canis insignibus, sed & cognomen *Africani*, & pertractum in Romanorum partes Masinissam contemplor. De cognomine Africani, excepit ARCHÆOPHILUS, forsitan Leo testabitur; constat enim hoc feræ genus in Africa frequentissimum esse, indeque & Africæ simulacrum in Nummis Hadriani eô insigni adornatum recordor; Quid autem de Masinissa dicturus sis, non intelligo. Intelliges, respondit DULODORUS, si Masinissæ effigiem apud Leonhardum Augustinum contemplaberis. Galeata ea est, non minus ac proposita Scipionis; Et hoc non tantùm, imò & Canis Galeæ affictus est, idque ideò, ut Cl. Gronovius ait,

ait, quòd Canibus ſui corporis cuſtodiam crediderit, id quod Valerius Maximus L.IX. c.XIII. n.2. Ext. refert. Quid judicas? ARCHÆOPHILE. Cùm omnia hæc, non Temporis tantùm rationem, ſed & rationem Cognominis & actorum evincant, annon ritè pro Scipione concludam? Si de Corpore demonſtraveris, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil ulterius movebo; Hoc enim an tantùm Scipioni fuerit, quantum in propoſito thorace fulget, meritò fortaſſe dubitarem. De corpore, reſpondit DULODORUS, vel unicum teſtimonium Livii ſuffecerit. Ita ille Libro XXVIII. ubi Scipionis cum Maſiniſſa colloquium deſcribit. *Ceperat*, inquit, *jam ante Numidam ex fama rerum geſtarum admiratio viri: ſubſtitueratque animo SPECIEM quoque CORPORIS AMPLAM & MAGNIFICAM: Cæterùm major præſentis veneratio cepit, & præterquam quòd ſuapte naturâ multa majeſtas inerat, adornabat PROMISSA CÆSARIES, habitusque Corporis, non cultus munditiis, ſed virilis ac fere militaris, & ætas erat in medio virium robore.* Sed his conjecturam de Scipione adſtruxiſſe ſufficiat. Si fidem non fecero, adveniet optatus, qui firmius quid in medium protulerit. Imò firmiſſimum mihi ſuccurrit, excepit ARCHÆOPHILUS, non quo Scipionem hunc adſtruam, ſed quô negem; Quid enim? annon alia planè hujus effigies apud Urſinum proſtat? Caput raſum eſt, cùm Tuus ſe capillatum oſtendat? Recordor, inquit DULODORUS, ab opinione mea autem nondum dimoveor; duplex effugium eſſe poteſt, vel ætatis vel veritatis. Imaginem illam, quòd Literni inventa ſit, ubi Scipio obiit: imò quòd & primus omnium Scipio radi quotidiè inſtituiſſe, Plinio memoretur, ſtatuamque ejus Literni ſe vidiſſe Livius afferat, indubiè Scipioni dandam, arbitratur Urſini interpres Faber, additque & Gemmam Ejusdem Urſini, in qua idem Scipio ætate, juvenili non nihil grandiore, viſitur cum capite Serapidis in pectore, quòd videlicet filius Jovis crederetur. Hæc & ſimilia conjecturam quidem ſuppeditant, ſi tamen penitius examinentur, neſcio an fidem facere poſſint? Quale enim eſt, quod Literni caput marmoreum inventum ſit, ubi Scipio obiit & ſtatuam habuit? Annon & aliorum ibidem fuerint imagines? Quod Plinius de raſura habet, id ſanè non de Capite, ſed de mento & genis intelligendum eſſe, ex ſubjecto exemplo Auguſti patet. Et quid? an Livius, ſi caput Scipionis raſum Literni vidiſſet, videri poterit ritè de promiſſa Scipionis cæſarie teſtatus eſſe, ſine mentione inſtitutionis contrariæ? Ita nec effigies in Gemma cum capite Serapidis Scipioni indubiè datur. Quidni potius aliûs cujusdam Serapidis cultoris ſit? Vides ARCHÆOPHILE, Imaginem Scipionis ab Urſino vulgatam conjecturæ meæ non obſtare. Si tamen ei pertinacius inhæreas, erit fortaſſis in ætatis differentia, quô opinionem meam tueri poſſim: Quanquam in Nummis, quos Paduanos vocamus, ſimilis planè, non Scipioni, ſed Fabio Maximo detur. Sequitur

CATO;

Hoc enim nomine Thoracem hunc Electori nostro in Italia venditum memini. Catones multi fuére, excepit ARCHÆOPHILUS, indeque quis dijudicet, ad quem hîc respiciendum sit? Duorum Gloria, respondit DULODORUS, supereminet omnes, *Censorii* & *Uticensis* : Et huic Thoracem hunc tribuendum, non vano mihi videor assequi judicio; Cùm enim *Censorii effigies*, apud Ursinum ab hoc diversissima sit, eaque assensum vel ideò mereatur, quòd duplici in Gemma prostet eadem, notante Johanne Fabro in Commentario, quidni pro *Uticensi* concludam, cui alioquin & ætas favet? Ætas, excepit ARCHÆOPHILUS, Censorio hunc Thoracem non abjudicat; licet enim apud Ursinum extremâ senectute, quam ad annos 85. aut secundum quosdam 90. produxit, confectum videamus, nihil tamen prohibet, ut propositus Thorax, nutante virili robore, ad senium vergentem adumbret. Eadem certè frontis utrinque in rugas contractæ morositas, eadem oculorum obscuritas, eadem nasi elevatio cernitur, ut genas taceam, quarum macies nec ipsa, nisi pro ætatis differentia, crispatur; ut proinde Catoni Censorio hunc Thoracem relinquens nec basi nec authoritate caream. Cato Censorius, inquit DULODORUS, *πυῤῥὸς καὶ γλαυκόμματος rufus* & *cæsius* fuit, astruente apud Plutarchum sequenti Epigrammate:

Πυῤῥὸν πανδακέτην, γλαυκόμματον, οὐδὲ θανόντα
    Πόρκιον εἰς ἀΐδην Φερσεφόνη δέχεται.


Rufum, mordacem, glaucum, nequidem exanimatum
    Porcium in inferno Persephone recipit.

De colore, respondit ARCHÆOPHILUS, licet judicium in Antiquitatum reliquiis plerumque difficile sit, nescio tamen annon marmoris obscuritas, ipsique Lineamentorum ductus subscribant. Quicquid sit, robustam corporis, & firmiter compacti constitutionem, quam Plutarchus in eo laudat, vel ex facie noscas: Inde nec mirum, in tantam eum ætatem durasse: Imò & ratio patet, cur *statua ei in æde Salutis posita* memoretur. Statuam illam, excepit DULODORUS, ob meritum Censuræ posuit Populus; id enim innuit inscriptio, qualem hodieque in Herma, Capite truncato apud Ursinum legimus:

M. PORCIUS. M. F.
CATO.
CENSORIUS.

Quamvis ipse Statuariorum operam riserit, quòd imagines pulcherrimas suas in suis animis cives circumferrent. Vanum hic fuit Catonis judicium, subjecit ARCHÆOPHILUS. Imagines in animis Civium, jam duo fermè ante millia annorum cum ipsis Civibus interierunt, Statuas autem hodiénum cum voluptate contemplamur. Elucet hîc ferocia vultus, quam in præliis potissimùm ostendit, non manu tantùm, sed & verbis & adspectu terribilis: Elucent frugalitas & continentia, quibus non rei tantùm familiari, sed & publicæ Romanorum prospexit: Elucet Constantia inflexibilis in Jure dicundo, rigor nimius in emeritos, jactantia sui, Censura aliorum. Plures accusavit & inter hos ipsum Scipionem, de quo modo locuti sumus: Plures Senatu movit, non ineptus orator, cùm remigio linguæ ad honores ascenderit, potentiamque deinceps sermonis acrimonia firmaverit: imò nec debilis miles, cùm res Romanas & in Hispania & in Græcia gloriosè restituerit. Hæc benè se habent, inquit

pag 334



quit DULODORUS, & si lubet, poteris adhuc in toga, ejus parcimoniam contemplari, cùm vestem nunquam induisse memoretur, quæ pluris centum denariis esset. Toga, respondit ARCHÆOPHILUS, etiam dignitates in mentem revocare poterit, non illas quidem, quibus in castris functus est; quidni enim tunc militari veste fuerit usus? sed urbanas, quibus vel *Consul* in Senatu præsedit, vel *Censor* nobilitatis luxum compressit: Catus ubique, unde & *Catonis* nomen meruit, cùm antea *Priscus* vocaretur. Omnia hæc, excepit DULODORUS, & plura adhuc in vita ejus perscripsit Plutarchus, memoriamque subeunt & Cicero, Livius, Appianus, Cornelius Nepos, & Alii, apud quos uberrima de Catone Censorio mentio. Adjungo & Sextum Aurelium Victorem, subjecit ARCHÆOPHILUS; Hic enim cùm laudes Catonis succinctè & graphicè, ut solet, enarrasset, ad propositum commodè addit. *IMAGO HUJUS funeris gratia produci solet.* Sed hæc ad Thoracem nostrum collegisse sufficiat! Mihi non sufficiunt, inquit DULODORUS; jam enim ab initio dixi, non *Censorii*, sed *Uticensis* eum videri. Si fidem feceris, excepit ARCHÆOPHILUS, tecum sentiam. Effigies Censorii apud Ursinum mihi basis est, respondit DULODORUS; hæc enim cùm ætatem Uticensi majorem præferat, Censorio omninò videbitur relinquenda. Esto! inquit ARCHÆOPHILUS; neque enim aliud volo. At eadem, perrexit DULODORUS, cùm à proposita lineamentis diversissima sit, annon hinc firmiter concludam: si Cato hic sit, id quod venditor Italus asseruit, non alium esse, ac *Uticensem*, suffragante & Ætate, & Moribus & Gloria? Si de lineamentis doceas, excepit ARCHÆOPHILUS, subscribam. De his, respondit DULODORUS, inspicientibus ne dubitare quidem licet; ubi enim oris & menti projectio & exstantia apud nostrum, quæ in Ursiniano luce meridianâ clarior est? justiusque in juniore, quàm in seniore præsumeretur? ut reliqua taceam. At eadem, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem tristis utrinque oculorum est obscuritas. Imò tristior in nostro, respondit DULODORUS, cui alioquin nec historia deest. Plutarchus certè, qui & hujus vitam literis consignavit, *à prima statim ætate eum mores suos & voce & VULTU præ se tulisse*, author est, *ubique inflexibiles, infractos, stabiles, à risu tam alienum, ut rarò vel ad lenem risum deduceret supercilia: Sententiæ suæ tam tenacem, ut & puer adhuc ne vitæ quidem periculo flecti potuerit: Patriæ tam amantem, ut ad eam liberandam etiam adolescens necem Sullæ spiraverit.* Non hic *taciturnitatem* laudabo, quam faciei modestia in mentem revocat: Non *Eloquentiæ maturitatem*, quam oris lenitas: Caput nudum video, subitque cultus corporis, quô ad æstum & nivem *apertô capite* ferendam se adsuefecit: Togam humeris circam jectam intueor, recordorque & *Philosophiæ*, quam cum Dies publicis negotiis impendisset, noctu excoluit, cum Philosophis vel inter pocula collocutus: Recordor *frugalitatem*, quâ pallam nigram purpureæ prætulit, imò & morem, quo *sine tunica prodiit in publicum*, ut disceret infamias contemnere. Sed quid multa? annon ipse Plutarchus superiorum author, disertè tradit, ubi usus postuláret, nihil Eum veteri Catoni existimatum concedere? Speciosè hæc dicentur, inquit ARCHÆOPHILUS, sed mihi non persuadent. Obest Plutarchus ipse, qui non tantùm statuam Uticensis cum gladio positam memorat, sed & eundem barbatum fuisse, non obscurè innuit. Gladius & barba, respondit DULODORUS, eorum temporum insignia fuére, quibus Cæsaris potentiæ infestus Pompejum secutus est, libertatemque patriæ armis propugnavit; Ab eo enim tempore neque capillum neque barbam totondisse fertur.

fertur. Quid autem hoc contra morem temporum priorum, quibus Rempublicam consilio & constantia juvit? Nonne tunc imberbem fuisse, vel ex ipso hoc testimonio patet? si enim exardente bello demum tonderi desiit, proculdubio ante bellum tondebatur. Ante Bellum, inquam; Horum enim temporum hunc Thoracem esse, ex toga patet: Indeque nescio, an multum errem, si vultum hîc venerer, quem iis temporibus & Metellus & Cæsar stupuerunt. Sed liberum esto suum quibuscunque de his judicium! Sequitur

CAPUT INCERTUM;

Neque enim cum Venditore Italo mihi convenit, qui L. Junium Brutum inscripsit, eôque nomine pretium obtinuit, licet non pœnitendum, tamen nec exiguum; Quis enim non assentiretur venditanti effigiem Ejus, qui ante plus quàm duo annorum millia, Regibus exactis Romanæ Libertatis basin posuit? Nomen speciosum est, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem obstat, ut imaginem hujus agnoscas, cùm tamen fuligo marmoris nescio quid antiquitatis vetustissimæ spiret? Non ex fuligine, respondit DULODORUS, sed ex lineamentis & arte judicandum est. L. Junii Bruti effigies in nummis prostat, licet Cæsaris ætate percussis, tamen ad statuæ fidem proculdubio delineata, quam inter Reges strictô gladiô positam, Cicero tradidit; quanquam Plinius nullam ob exactos reges Lucio Bruto statuam decretam, Lib. XXXIV. c. 6. author sit. Quis hæc conciliet? excepit ARCHÆOPHILUS. Id facilè poteris, respondit DULODORUS, statuas illas Regias & Bruti sequiorum temporum judicando. Quicquid autem sit, Numismatum fidei debemus hodiénum Bruti effigiem, indeque propositum caput ejusdem esse, audacter nego; Ubi enim Barba, quæ in Numismate satis horrida cernitur? Hæc sola mihi rem conficit, nequid de filo longiore, genarumque macie dicam, quæ tamen nec ipsæ in proposito observantur. In Barba, excepit ARCHÆOPHILUS, præcipuum dissensûs tui argumentum videris reponere: Quid autem, si idem hîc valeat, quod modò sub Catone protulisti, aliquando scilicet imberbem, aliquando barbatum fuisse? Id non dixeris, respondit DULODORUS, Barbas enim radere, anno post Romam conditam quadringentesimo quinquagesimo quarto demum, Romanos instituisse, ante intonsos fuisse, ex Varrone tradit Plinius Lib. VII. c. 59. Plinio hac in re, regessit ARCHÆOPHILUS, quid fidei sit habendum, equidem non satis scio; Video enim etiam inter Reges Ancum Marcium sine barba, eumque non minus Numismatum fide, ac alios. Quid hinc concludis? inquit DULODORUS. Brutum hunc esse posse, respondit ARCHÆOPHILUS, cùm utique Regum adhuc tempore, & ita etiam ante Brutum imberbes occurrant, tantum abest, ut Bruti temporibus eos negare debeamus? Adde quod nec Plinius videatur obstare; non enim dicit ante annum 454. *imberbes non fuisse*, sed *fuisse intonsos*; Quid enim si antea vellebantur? Capillos certè evulsos nescio annon in genis & mento superstites adhuc pori demonstrent, undiquaque frequentissimi. Hanc litem, reposuit DULODORUS, infra certabimus, ubi de Volsellis sermo erit: Hic illud tantùm monebo, Te firmum inde pro L. Jun. Bruto argumentum non struxisse, nisi demonstres etiam hunc barbam evulsisse, quod ut possis valdè dubito; Numisma enim prolixâ barbâ conspicuum exhibet, adeoque apertè Caput hoc ei abjudicat. Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, nescio quid Italus rationis habuerit, ut L. Bruto hoc caput addiceret. Fortassis in prænomine

error


pag 336







pag. 337.



ror eſt; Quid enim ſi M. Brutus hic ſit, interfector Cæſaris? Neque hunc bitror, reſpondit DULODORUS; Præter enim, quòd & hujus effigies nummis proſtet, eaque à capite hoc diverſiſſima, teſtatur & Plutarchus in æſare, *pallidum* eum & *macilentum* fuiſſe: ut Ciceronem taceam, qui in Ep. Atticum Bruti vultum *vulticulum* vocat, quod ſanè ad propoſitum non uadrat. An igitur, inquit ARCHÆOPHILUS, caput hoc absque ulla onjectura transmittes? Incertam pronunciare, reſpondit DULODORUS, uàm incertâ temeritate definire, tutius arbitror. Ne tamen nihil omninò di- ere videar, poteris ad Trajanum reſpicere, ſucculentum adhuc, qualis ſub nperii initia fuit. Trajanum certè nec Coma, nec Lineamenta videntur infi- ari: Quanquam quid obeſt, ut in generalibus ſubſiſtamus? Eâdem ratione, uâ & ſequenti in Thorace, quô, me judice, vel

CONSUL,

'el Illuſtrium quidam adumbratur. Et quidni Seneca? ſubjecit ARCHÆO- HILUS; Ejus enim nomen ſchedulæ inſcriptum, baſique affixum fuit. Ita 'enditor Italus, reſpondit DULODORUS, cui ſi accedas, me certè invito icies. Nota eſt Senecæ ſtatua ex hortis Burgeſianis deprompta, eamque & vacrum, & habitus venas evacuantis, facilè demonſtrant. Quantum autem a diſtat à propoſita? Vel unica barba rem patefacit. In ſtatua ſatis fœcun- am cernis, in noſtro autem Thorace quod barbæ veſtigium? Barbam Senecæ, xcepit ARCÆOPHILUS, negare non auſim: Eadem eſt & in imagine marmo- is Farneſiani apud Urſinum, cùm autem Barba temporibus Senecæ nondum in ſu fuerit, & inſuper Leonhardus Auguſtinus Senecam imberbem dederit, Ego Barbam luctûs indicium arbitrarer, quô Seneca fortunæ malignitatem procul- lubio deflevit. Philoſophus erat Seneca, reſpondit DULODORUS, & uidem Stoicus: Indeque potius barbam ei conſuetam, luctum autem indecen- tem judicabis, idque eò magis, quòd non barba tantùm, ſed & cæſaries & ineamenta Senecam amovent, non in hoc tantùm Thorace, ſed & in Cameo Auguſtini. Facies macilenta eſt, excepit ARCHÆOPHILUS. Tales, eſpondit DULODORUS, plures in Numiſmatibus proſtant, memoriam- que ſubeunt Antius Reſtio, Claudius Marcellus, Cœlius Caldus, aliique adhuc ub Libera Republica. Claudium Marcellum, inquit ARCHÆOPHILUS, naſi elevatio amovet, Cœlium Caldum amovet ejusdem aduncitas: Ad Antium Reſtionem autem, neſcio, annon jure reſpiciam? cùm hic non tantùm maci- entus fuerit, ſed & maciei ſuæ cauſam, *Legem* ſcilicet *ſumptuariam* tulerit. Effigies cum propoſita, excepit DULODORUS, neſcio an conveniat. Numiſma macilentam quidem exhibet, ſed filô longiore & rectô, cùm propo- ſita rotundiore & obliquô deſcendat. Ego, candidus enim fateor, effigiem huic ſimilem inter Antiquitatis reliquias diu quæſivi, ſed hactenus non inveni: Niſi fortaſſis Conſulem in medium adducas, cujus Statua ſedentis, ex Hortis Lodoviſianis, inter Romanas delineata proſtat. Sed hæc aliud non docet, quàm Conſulis cujusdam & hunc Thoracem eſſe. Conſulem, excepit AR- CHÆOPHILUS, non prius fatebor, quàm demonſtraveris, Togas ſuper humerum fibulis fuiſſe connexas. Non Toga hîc connectitur, inquit DU- LODORUS, ſed Tunica, cui ſuperinjecta Toga ſub dextro brachio verſus ſini- ſtrum humerum tendit, planè qualiter ſolebat: Tunicas autem fibulis ſuper humerum connecti ſolitas, Julius Pollux Lib. VIII. teſtatur, ὁ σχιςὸς χιτὼν περόναις κατὰ τȣ̃ς ὤμȣς διῆρτο. *Tunica ſciſſa ſuper humerum fibulis connectitur:* ut

proinde opinioni meæ hactenus nihil obsit; Quanquam quis Consulum vel Illustrium hic sit, quòd nulla hactenus notorum effigies ei quadret, nec aliunde certi quid appareat, determinare oppidò difficile judicem, eòque tantùm fine proponam, ut si aliò indice innotescere possit, vel sic publicum demerear. Sequitur

LIVIA.

Liviæ hæc imago addicitur, nec id abs ratione; Sive enim capillorum nexum consideres, sive lineamentorum ductus, utrinque non fragilis pro Livia militabit ratio. Capillorum ductus eosdem ferè in Liviæ effigie apud Æneam Vicum contemplaberis, & lineamenta cum plerisque conveniunt, quas Tristanus protulit: ut taceam ejus Statuam in Numismatibus Tiberii, ubi minuta quidem, in plerisque autem à proposita non adeò diversa effigies Liviæ visitur. Nihil ego dubito, excepit ARCHÆOPHILUS: Potius notissimas in historia ejus Virtutes, etiam in facie contemplor; Quis enim intueatur frontem? nisi & Prudentiæ meminerit, quam ex Macrobio & Philone Tristanus laudat. Quis oculos? nisi Pudicitiæ, de qua Valerius Maximus, Horatius, & Ovidius testantur? Rectè ais, regessit DULODORUS, Prudentiæ causâ *Ulyssem stolatum* Caligulæ dictam, Suetonius memorat: Et licet Pudicitiam Authores laudent, laudant tamen etiam *venustatem*, quâ Venerem: Et *Majestatem*, quâ Junonem videbatur æquare. Ego sanè utramque in hoc marmore mihi videor deprehendere. Veneri eam comparat Numisma, in quo GENITRIX ORBIS vocatur; Junoni & Veneri Ovidius, L. III. de Ponto:

Quæ VENERIS formam, mores JUNONIS habendo,
Sola est cœlesti digna reperta Toro.

Cœlesti Toro! perrexit ARCHÆOPHILUS, fateor, cùm crimine non minore Augusto nupserit, ac Juno Jovi, id quod Prudentius contra Symmachum suggillat:

Testantur tituli, produnt Consulta Senatûs,
Cæsareum Jovis ad specimen statuentia templum.
Adjecére Sacrum, fieret quò LIVIA JUNO,
Non minus infamis Thalami sortita cubile,
Quàm quum fraterno caluit Saturnia lecto.

Attamen differentia fuit, inquit DULODORUS. Jupiter Junonem invitam compressit, Liviam autem Augustus volentem, imò & volente maritô, duxit. Quicquid sit, Imagines eam meruisse, non ex Numismatibus tantùm constat; sed etiam ex Dione, qui *Statuis donatam* memorat: Imò & ex nostro marmore, quod tantô artificiô politum cernis, ut etiam ex hoc Augusti sæculum appareat. Subit

M. AN-



M. ANTONIUS FELIX
CUM
CONJUGE DRUSILLA,
BIGIS MULORUM EX JUDAEA REDUX.



An eum dicis, inquit ARCHÆOPHILUS, qui in Actis Apostolorum memoratur? Illum ipsum, respondit DULODORUS, quanquam id agam, non tam indubiis rationibus, quàm conjecturis forsitan, fatebor enim, fragilibus. Imò apertè falsis, excepit ARCHÆOPHILUS; Is enim Felix, si Josephum audis, prænomine non *Antonius*, sed *Claudius* dicebatur. Claudius dicebatur à patrono, respondit DULODORUS, *Claudio* scilicet *Imperatore*, cujus libertus erat, Liberti Palantis videlicet frater, cujus à nutu Claudius pependit; Sed idem dicebatur & *Antonius*, teste Tacito, cujus ecce verba! Hist. L. V. *Claudius defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam Provinciam Equitibus Romanis aut Libertis permisit, è quibus ANTONIUS FELIX per omnem sævitiam jus regium servili ingeniô exercuit, DRUSILLA, Cleopatræ & Antonii nepte, in matrimonium acceptâ, ut ejusdem Antonii FELIX progener, Claudius nepos esset.* An Drusilla, inquit ARCHÆOPHILUS, Cleopatræ & Antonii neptis? At Judæam fuisse, Sacræ Literæ testantur. Rectè ais, respondit DULODORUS, & in eo Tacitum errare, jamdudum Eruditi observârunt. Grævius, vir summæ eruditionis, summique judicii, duas Felicem Drusillas arbitratur habuisse, *alteram* Cleopatræ & Antonii neptem, *alteram* Judæam. Hujus suæ opinionis basin in Suetonio habet, qui Felicem *Trium Reginarum Maritum* vocat, quô positô utique nihil obstat, ut duas Drusillas,

tertiâ nobis incognitâ, habuisse credatur? Hæc utut se habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, tamen ad hunc Felicem respicere vereor; ubi enim is Marcus vocatur? qualiter in cocto hoc latere? quô positô utique tutius eum agnoverim, qui apud Gruterum, p. 624. n. 10.

M. Antonius Felix Insularis.

inscribitur. Elogium *Insularis* hunc removet, inquit DULODORUS. Quod de pronomine *Marci* adfers, leve est; cùm enim aliud ex Authoribus non occurrat, quidni id ex cocto hoc latere suppleas? Conjecturâ hoc fecerim, excepit ARCHÆOPHILUS, sed oppidò fragili; Sed cedò, an ei firmandæ Tibi fulcrum est? Morem temporis adduco, respondit DULODORUS, qui, qualis circa ætatem Neronis fuit, sub quô Antonius Felix Romam rediit, talis plane in hoc latere visitur. Rem non intelligo, inquit ARCHÆOPHILUS. An Neronis tempore mulis vehebantur? Omninò, respondit DULODORUS. Annon recordaris Numismatis Agrippinæ? In eô Thensa mulis trahitur, excepit ARCHÆOPHILUS, pertinetque ad Consecrationem; Quid autem hoc ad propositum? Si hoc leve putas, respondit DULODORUS, adde & Numisma Nervæ, in quo duæ mulæ pascentes Vehiculatione Italiæ remissa inscribuntur. Quid videtur, ARCHÆOPHILE? Annon hinc clarum est, vehiculationem Italiæ ante Nervam, & consequenter Neronis etiam tempore, mulis fuisse peractam? proindeque suffragante hôc laterculo, eâdem ex Judæâ revertentem etiam Antonium Felicem forsitan usum? Titulus sanè præfertur, quales & in Triumphis præferri solebant, uti ex Triumpho Titi & Vespasiani de Judæa, aliisque constat: Quanquam hic non tàm Triumphi, quàm dignitatis is index videatur, qualis & servus currum subsequens. De his, inquit ARCHÆOPHILUS, suum cuique sit judicium! Mihi de curru adhuc dubium subit, an sella ei imposita sit, an verò sedile, cui M. Antonius Felix, & ejus Conjux insident, ipsius currûs pars sit? Currûs pars in laterculo videtur esse, respondit DULODORUS, quamquam negari non possit, ejusmodi curribus sellas imponere, moris fuisse, præsertim vehendis peregrè Magistratibus: undè posteà & *Sellæ Curules* dictæ fuêre, id quod latius & exemplis & authoritatibus probat Schefferus, de re Vehiculari Veterum. Succedit

GALBA.

Hoc illud caput est, infit ARCHÆOPHILUS, cujus suprà ad Annulos meministi. Et nasi aduncitas, & genarum macies, & præcalva frons, Galbam apertè demonstrant. Cùm autem suprà de his luculenter docueris, quid hîc addere possis, non video. Imò multa, respondit DULODORUS; Quis enim Lauream intuitus, non recordetur, hanc, cùm Calendis Januar. sacrificaret, de capite cadentem, mortis ei omen fuisse? Quis intuitus capillos, non consideret eorum brevitatem & raritatem, quòd rescissum ejus caput iis ne arripi quidem potuerit? Ita si genas contempleris, proculdubio subibit memoriam Augustus, qui puero adhuc inter æquales se salutanti, apprehensâ bucculâ Imperium his verbis prædixit: καὶ σὺ τέκνον ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ: Tandem, si totam faciem intuearis, quidni simul & impudens illa laudantis cujusdam adulatio succurrat, quâ formam Galbæ, ut floridam adhuc & vegetam, extulit? Imô & Galbæ ipsius stultitia, quâ palpum admisit & firmavit, adulanti respondens: Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν. *Vigor animi mihi adhuc firmus est.* Animi vigo-

pag. 340



vigorem, repoſuit ARCHÆOPHILUS, ei facilè ceſſero, cùm militum nec petionibus conceſſerit; ſed in facie avaritiam pòtius, & ſævitiam agnoverim, quarum utrâque diffamatur. Interitum, perrexit DULODORUS, hæc maturârunt, & nutaſſe ad pericula etiam animi vigorem, vel inde conſtat, quod auditô, ob Othone caſtra occupata eſſe, procedere auſus non fuerit, ſed legionariorum ſe firmaverit præſidio, donec falſis rumoribus excitus, in forum proceſſit, & cæſus eſt. Indignum Tanta Majeſtate fatum! excepit ARCHÆOPHILUS. Imò indignius, regeſſit DULODORUS, ludibrium mortui fuit. Caput, quod intueris, caput Galbæ cervicibus abſciſſum, & pilo infixum, etiam in marmore oſtentat: niſi ſimul & ad Statuas ejus reſpicias. Statuam, iteravit ARCHÆOPHILUS, defunctо quidem à Senatu decretam memini, ſed & memini decretum illud à Veſpaſiano eſſe abolitum. Non de defuncto, inquit DULODORUS, ſed de vivo adhuc loquor. Tunc enim Statuas Galbæ poſitas, ex Suetonio, plerorumque ſuperiorum Authore, conſtat, qui cap. 2. Statuarum Titulis Galbam ſe *Pronepotem Q. Catuli Capitolini*, memorat, adſcripſiſſe. An caput hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, à Statua quadam avulſum arbitrer, qualiter Imperatoris à Cervicibus? Id quidem invidia temporum ſuadere poſſet, reſpondit DULODORUS, ſed ipſa operis puritas injuriam negat, nitidior etiam ſub collo, quàm ut avulſa credi poſſit. Sequitur

TRAJANUS.

An hic, inquit ARCHÆOPHILUS, eſt optimus ille, & de Romano Imperio, totoque humano genere meritiſſimus Princeps, qui reſtitutam poſt Domitiani rapinas, ſanctiſſimo Nervæ Zelo, Rempublicam & juſtitiâ armavit, & conſiliô protexit, & fortitudine in priſcæ Virtutis & Imperii gloriam extulit? Ille ipſe, reſpondit DULODORUS. Intuere Heroëm, qui nihil humile ſpiravit, τῆς πολιᾶς αὐτȣ͂ τὸ γαῦρον, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τȣ͂ προσώπȣ, *canitiei dignitatem, vultusque gravitatem*, quàm videntes Agareni, Dione teſte, Trajanum agnoverunt, licet inſignibus imperii nudatum: Contemplare lætiſſimam faciem, amabilem vultum, quem in omnium civium ore, oculis, animo ſediſſe, Plinius teſtatur: Mirare firmitatem & proceritatem corporis, honorem capitis, & dignitatem oris, ætatisque indeflexam maturitatem, nec ſine quodam munere Deûm feſtinantis Senectutis inſignibus, ad augendam majeſtatem, ornatam cæſariem, quæ eôdem teſte, longè latèque Principem oſtentârunt. Vires corporis ſe commendant, ſed ex iis radiat & vigor animi. Non juventus hunc effecit temerarium, ſed nec tardum ſenectus. Gladium ſtringit, qualiter & Brutus, cui eô habitu ſtatuam in Capitolio poſitam, Plutarchus author eſt: Gladium, qualem & geſtavit in expeditione Dacica, uti videre eſt in Columna ejus honori dedicata. An etiam, excepit ARCHÆOPHILUS, qualem Præfecto Prætorianorum apud Dionem legitur porrexiſſe nudum, juſſiſſeque diſtringeret pro ſe, ſi benè imperaſſet: ſin minus, eo contra ſe uteretur? Non dantis gladium, reſpondit DULODORUS, ſed gladium ſtringentis hîc habitus eſt, oſtenditque fortitudinem Imperatoris, quâ hoſtibus terrori, ſuis autem tutelæ fuit. Decebalus & Daci non uno prælio ſubacti, clariſſimum Martii pectoris documentum ſunt. Sunt Aſſyria, Armenia, Meſopotamia in poteſtatem P. R. redactæ: Eſt Parthia capta: Nec video, quid ad fidem ſtatuæ ulterius deſiderari poſſit? Mihi quidem, reſpondit ARCHÆOPHI-

 LUS,

LUS, hæc de Trajano benè videntur dici, imò nec hanc ſtatuam ejùs eſſe negavero, facies enim Trajanum apertè arguit; ſed quòd Romanus Imperator nudus in ſtatua occurrat, id mihi aliquid dubii ſuſcitat. Noſti DULODORE, ſtatuam Trajani in Numiſmatibus vel togatam vel ſagatam conſpici, ſed nuda ubi hactenus apparuit? Notæ ſunt Romanorum de nuditate cavillæ. Cicero Antonium, quòd nudus in lupercalibus cucurriſſet, *dignum*, ait, ut *cùm Horatius armatus in Tiberi conſpiciatur*, *Hic nudus in foro cernatur.* Idem & de Verre: *fornix in foro Syracuſis eſt, in quo nudus filius ſtat, ipſe autem ex equo nudatam ab ſe provinciam proſpicit* Quibus ex locis utique conſtat nuditatem Romanis non tantum non uſitatum, ſed & inter dedecora repoſitam fuiſſe, indeque eſt, quod inter ſtatuas Julius Cæſar, Auguſtus item, & M. Aurelius, non nudi, ſed omninò veſtiti conſpiciantur, adeòque verum omninò ſit, quod Plinius dixit lib. 34. c. 5. *Græca res eſt nihil velare, Romana & militaris Thoraces addere.* Quid reſpondes, DULODORE? Idem quod Plinius, ſubjecit ille; non enim negat ſtatuas Romæ nudas fuiſſe, imò potius hoc apertè docet; placuêre, inquit de Romanis ſtatuis locutus, *& nudæ.* Et iterum: *Græca res eſt nihil velare.* Græco ſcilicet artificio, imò & à Græcis Trajano ſtatuam poſitam, ex collato cum Plinio Pauſania conſtat, Plinii effatum audivimus, audiamus & Pauſaniam! Ita ille in Eliac. priore. Βασιλέων δὲ Ανδριάντας, Αδριανȣ̃ μὲν αἱ ἐς τὸ Αχαικὸν τελȣ̃σαι πόλεις ἀνέθεσαν Παρίȣ λίθȣ, Τραιανȣ̃ δὲ οἱ πάντες Ἕλληνες. *Romanis Imperatoribus ſtatuas è Pario lapide Adriano urbes Achaici convertûs, Trajano univerſi Græci erexerunt.* Hæc ſi attendas, quidni veriſimiliter credatur ea ſtatua tali fuiſſe habitu, qualem præſentem cernimus? quidni credatur ob merita contra Dacos vel ideò nuda poſita, quòd eo bello Trajanus veſtem ad liganda militum vulnera conſcidit, cujus rei Dio meminit? Aſſurgerem placito, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſi vel grandior eſſet hæc ſtatua, vel etiam cum haſta, quales Romæ placuiſſe, Plinius Author eſt: vel etiam cum telo, qualia Trajanum vibrâſſe, Plinius junior teſtatur in Panegyrico. Cùm minoris moduli ſit, & gladium ſtringat, neſcio quid decernam. De modulo, reſpondit DULODORUS, notandum *tres pedes* altam eſſe, quantæ ſunt & pleræque hujus Electoralis Cimeliarchii ſtatuæ: Notandum, inde *tripedaneas* dictas, easque olim Romæ in honore fuiſſe; Ita enim Plinius Lib. XXXIV. c. 6. *Non omittendum*, inquit, *quod annotavere Annales, TRIPEDANEAS his ſtatuas in foro ſtatutas. Hæc videlicet menſura HONORATA tunc erat.* Quanquam autem ea, quàm Græci poſuére, tàm parva fuiſſe non videatur, credibile tamen eſt, ejus ad prototypon minores ejusmodi à Nobilioribus, Imperatoris in gloriam factas eſſe, ut majoris iſtius memoria eò latius dimanaret id quod hodieque circa Principum ſimulacra fieri, nemo utique ignorat. Gladius ſanè opinioni non refragatur; ſuprà enim Gladium Trajano in bello Dacico fuiſſe, ex Columna ejus oſtendi, adeòque quid dubii remaneat, non video Si tamen timori tuo concedam, poterit hæc ſtatua me nec ſuffragante nec contradicente, etiam ad ludos gladiatorios referri, cùm Dio memoret, Trajanum Gladiatoribus delectatum, eosque in Theatro commiſiſſe; Cave enim hoc infra Imperatorias laudes eſſe credas. Tam glorioſum id apud Romanos videbatur ut & Plinius dignum judicaverit, quod Panegyrico infereret: *Viſum eſt*, inquit *ſpectaculum non fluxum.* Sed valeat Trajanus, jamdudum enim contemplantium oculos avertit.

L. ÆLI

pag. 343.



L. ÆLIUS CÆSAR,

Cui nomen id adoptio dedit, cùm antea L. Cejonius Commodus Verus appellaretur. An huic, excepit ARCHÆOPHILUS, propoſita imago tribuatur indubiè? Numiſmata eam demonſtrant, reſpondit DULODORUS: Demonſtrat & Proſopographia, quam apud Ælium Spartianum legimus: *Comtus, decorus, pulchritudinis Regiæ, oris Venerandi* fuit, planè qualiter hoc in marmore cernitur. Pulchritudo ſanè etiam cauſa adoptionis fertur; Ita enim allegatus Author in Hadriano: *Tunc Cejonium Commodum, Nigrini generum, inſidiatoris quendam ſui, FORMA COMMENDATUM, adoptare conſtituit.* Formâ, inquam, quæ aliâs à Magnis Viris magni non ſolet fieri. Imò vel maximis imperat, regeſſit ARCHÆOPHILUS; eique ſuccumbentem vel Herculem videas; Hadriano certè id ipſum vitio datur, apparetque & in Antinoo, quem amiſſum muliebriter flevit; & in hoc ipſo Ælio Cæſare, quem vitæ aliâs lætiſſimæ, & in literis eruditum, acceptiorem tamen habuit formâ, quàm moribus, adoptavitque non tam quòd ſupervicturum crederet, nam Genituram ejus fertur ſciviſſe; ſed ut ſuæ ſatisfaceret voluptati, jurejurandoque, quod ſecretis conditionibus inter ipſum & Verum interceſſerat. Malevolorum hic ſermo erat, excepit DULODORUS, vel ipsô Spartianô fatente, qui Voluptates Ælii, licet aliquatenus diffluentes, non tamen infames teſtatur. Si Diis placet, inquit ARCHÆOPHILUS. Nonne idem memorat, cum Concubinis Ælium, in lecto roſarum foliis repleto jacentem, velamine de liliis facto ſe texiſſe, unctum odoribus Perſicis? Nonne & uxori de extraneis voluptatibus querenti dixiſſe: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; uxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis.* Hæc nota ſunt, inquit DULODORUS, an autem antiquitus infamia? dubito. Quicquid ſit, de ea infamia loqui Spartianum, quâ Hadriano conciliatus ſit, ut malevoli putabant, apertum eſt. Hanc ſanè *pulchritudo regia* amovet, amovet *os venerandum*, quod ei & authores tribuunt, & Numiſmata non minus, ac propoſitus ejus Thorax confirmant. Pulchritudo regia, inquam, quæ vel ſola imperio dignum pronunciat: Os venerandum, quod vel ſolum infamiæ labem diluit; quando quam & Eloquentia celſior accedat, quâ & ipsâ reipublicæ non inutilis videri potuit, cujusque ſpecimen oratio pulcherrima fuit, quâ Hadriano Patri gratias egit. Non egit, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed acturus erat; ſuâ enim ætate orationem eam adhuc ſuperſtitem fuiſſe, Biographus ipſe teſtatur, eam autem Ælium recitaſſe, apertè negat, paraſſe dicens, ut Kalendis Januariis pronunciaret, ſed Kalendis ipſis Januariis periiſſe. Ita communiter, reſpondit DULODORUS; ſed minus verè. Ælius A. V. C. 888. III. Id. Aug. adoptatus fertur: Anno 889. Conſul & A. 890. Cos. II. fuit. Nunc autem, ſi Kalendis Anni 890, mortuus fuerit, minimum ultra annum gratiarum actionem diſtulerit, quod veriſimile non eſt. Quidni enim eam egerit Kalendis Januariis Anni 889, quibus cos. I. proceſſit? Sed nec Kalendis Januariis Anni 890. mortuum eſſe, teſtatur apertiſſimè inſcriptio Gruteriana fol. 252. n. 2. quæ ita habet:

IMP. CÆS.
TRAJANO
HADRIANO
AUG. P. P. TRIB. POT.
XXI. COS. III. IMP. II.


L. ÆLIUS CÆS. FIL.
TRIB. POTES. COS. II.
PROCOS. XV. VIR.
SACRIS FACIUND.

Posita hæc Inscriptio est à L. Ælio II. cos. Et posita est Hadrano Trib. potestatem XXI. numerante. At Tribuniciam potestatem XXI. Hadrianus A. 890. quidem, sed VI. Id. Augusti demum incepit: adeò ut Ælium tunc adhuc in vivis fuisse dubitari non possit. Mortuum Kalendis Januariis, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm ex Pannonia rediisset, Spartianus testatur. Ex Pannonia, respondit DULODORUS, Anno 890. demum rediisse videtur, cum cos. II. esset. Numisma Cimeliarchii hujus Electoralis nuperrimè vulgatum, id nescio annon liquidò ostendat, PANNONIA in eo TR. POT. COS. II. inscribitur, indeque si Ælius Kalendis Januarii decessit, necesse utique est, anno sequenti 891. id factum esse. Quicquid autem sit, cùm Pannoniæ memoriam suggeris, suggeris simul & rationem vestitûs, qui proposito in Thorace Militaris est: & nota eam in rem sunt Spartiani verba, *Pannoniis*, asserentis, Ælium *non Rectorem tantùm, sed & DUCEM impositum: Indè Provinciæ non defuisse, sed rebus benè, vel potius feliciter gestis, etiamsi non summi, medii tamen Ducis famam obtinuisse.* Appositè hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, Mihi autem quòd Tunica sub Thorace purpurea emineat, simul & voluptatem in his notare placet. Id per me licet, inquit DULODORUS, modò fatearis, ad perniciem publicam eam non pertinuisse: Indeque nec miraberis, unde Imaginis marmoreæ honos descenderit? Licet enim & adversa Ælii valetudo adoptionis pœnitentiam Hadriano injecerit, neutra tamen, nec valetudo nec voluptas, injecit contemtum. Etiam mortuo *statuas* per totum orbem *colosseas* poni jussit, Verumque ejus filium, nepotem scilicet suum, qui pereunte Ælio in familia remanserat, Antonino Pio simul cum M. Aurelio dedit adoptandum, adjecto lemmate: *Habeat Respublica quodcunque de Vero!* Sed hujus in locum & adoptatus est, & successit

ANTONINUS PIUS,


Optimus ille, suique per omnem vitæ decursum simillimus Imperator, cui pietas ex oculis elucet, Clementia frontem decorat, humanitas totum vultum illustrat: quem si non nosceres, vel ex Thorace hoc, discere posses: adeò nihil est, quod non internas animi dotes ex asse referat. Virtutes Antonini, inquit ARCHÆOPHILUS, cum corporis habitu etiam Julius Capitolinus conjunxit, *Formâ conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, sobrius, mitis & largus fuit*; Quis autem dotes has Historiarum monumentis non referat, si sculptor eas in marmore potuit assequi? Prototypon, respondit DULODORUS, Natura utrisque finxit, indeque licet sub Socrate Physiognomis calculus noster obstiterit, nescio tamen annon sub Antonino iisdem rursus debeat favere? Vultus enim, *serenus* ille & *pulcher*, quem Aurelius Victor: Et lætus, quem M. Aurelius in hoc Principe laudant, quique & spectatores suos in sanctam quandam venerationem hodiénum rapit, typus clarissimus est, non virtutum tantùm, sed & imperii, quod, Orosio teste *tranquillè & sanctè gubernavit.* Cùm talem se præstiterit, inquit ARCHÆOPHILUS, facile apparet, non abs re honori ejus surrexisse Romam, non abs re statuas posuisse, imagines consecrasse. Non Roma tantùm, respondit DULODORUS, imò Terrarum

Orbis



Paulus W... ...ineavit. J. ...







Orbis: Nec tantûm Imperatori, imò & privato. Id colligas iis ex Julii Capitolini locis, quæ Thoracem noſtrum contemplanti ſe ultrò offerunt, quæque inter Imperii omina non poſtrema memorantur: *Cyzici*, inquit, *de ſimulacro Dei ad STATUAM ejus corona translata eſt.* Et iterum: *Ejus ſtatuas in omni Etruria examen apum replevit.* Quibus ex verbis palam utique eſt, etiam privato ſtatuas poſitas eſſe, non in uno Terrarum angulo, ſed in Oriente & Occidente: idque non ſine merito; fuit enim *Quæſtor liberalis*, *Prætor ſplendidus*, *Conſul juſtus*, *Proconſul pacificus*. Statua aurea mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS, quam teſte eôdem Capitolinô Senatus ei detulit. Hæc ſi ſupereſſet, dignum Tanti Principis monumentum foret. Aurea & Argentea, reſpondit DULODORUS, præſertim ſi mole excellant, ad æternitatem rariſſimè durant: indeque ego minus meritum in talibus, quàm in æreis & lapideis agnoverim, prudentiſſimè judicaſſe eos arbitratus, qui non tàm ſplendore metalli, quàm excellentiâ artis virtutem conſecrandam putârunt. Avaritia pretium ſectatur non artis, ſed metalli. Hujus magnitudine ſeducta, vel præſtantiſſima peſſundat: vilitate fruſtrata, relinquit etiam mediocria: ſic durant æternitati, quos vilitas materiæ tuetur; Sic & noſtro Thoraci, vel ſupra ſtatuas aureas, & cum Numiſmatum meritô æquandus honos eſt, quòd Piiſſimum Principem, κυανοχαίτην illum, ſive *Nigris Capillis inſignem*, uti Sibyllæ vocatur, ad noſtra usque tempora ſervaverit, ſervaturus & impoſterum, cùm Maximi nunc, Nobiliſſimarumque ejusmodi Antiquitatum amantiſſimi in PRINCIPIS Cimeliarchio requieſcat, Ejusdemque ſimul munificentiâ per Orbem Terrarum cum reliquis divulgetur. Marmor candidum video, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque de Capillorum Colore judicium ſuſpendo. Candor, reſpondit DULODORUS, Candori mentis convenientiſſimus eſt, tantòque major artis præſtantiſſimæ gloria, quòd nullô colorum auxiliô adjuta, quæcunque tamen, non corporis tantùm, ſed & animæ dona aſſecuta eſt, pietatem præſertim, quæ tanta in hoc Principe fuit, ut & cognomen inde traxerit. De cognomine conſtat, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ autem potiſſima ejus ratio ſit, cùm plures paſſim proſtent, judicatu perquam videtur difficile. Non una videtur, reſpondit DULODORUS, ſed omnis vitæ totius actio: Neque enim in Deos tantùm Pius fuit, ſed & in homines: idque non ſemel, ſed totâ vitâ, ubicunque occaſio ſe obtulit, ubicunque neceſſitas id poſtulavit. *Omnes ſuos*, inquit Capitolinus, *religiosè coluit*; & iterum: *A Senatu DIVUS eſt appellatus, cunctis certatim adnitentibus: cùm omnes ejus PIETATEM, Clementiam, Ingenium, SANCTIMONIAM laudarent.* Uxor ejus fuit

ANNIA FAUSTINA,

Filia Annii Veri, L. Ælii ſoror, M. Antonini amita, in qua vel poſt mortem honoranda, Senatum Romanum certatim laboraſſe, & ex Numiſmatum reliquiis conſtat, & firmatur teſtimoniô Julii Capitolini: *Tertio anno Imperii ſui*, inquit de Antonino Pio, *Fauſtinam uxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque Templo, & Flaminicis, & STATUIS aureis atque argenteis, cùm etiam ipſe hoc conceſſerit, ut IMAGO ejus cunctis Circenſibus poneretur.* Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, Ego quidem Thoracem ejus marmoreum ad noſtra tempora duraſſe, nihil omninò miror; Sed illud dilucidatum velim, cur idem Capitolinus aliô locô, nimiam libertatem & vivendi facilitatem ei exprobret, & quidem tantam, ob quam multa dicta ſint, quæ maritus ejus cum animi dolore compreſſerit? Quid

 ais,

ais, DULODORE? An meritum præmio refpondet? Vulgi judicium, refpondit ILLE, à Sapientiorum calculo immane quantum difcrepat! Dixerit vulgus de libertate Fauftinæ vel maximè turpia: Turpitudinis famam tamen divinis honoribus refutavit non ejus maritus tantùm, fed & Senatus Romanus, Auguftiffimus ille Reipublicæ dicam, an Orbis, Confeffus, & quidem fub eo Principe, fub quo nec metu nec adulatione adigebatur: adeò ut vel hinc judices, quæ de ea dicta funt, maritum ideò cum animi dolore compreffiffe, quòd præter uxoris culpam intelligeret dicta. Libertatem ejus & facilitatem vivendi, nemo quidem negaverit; has enim & vultu præfert. Cùm autem nec maritus, nec Sapientiffimi Romanorum eas culpaverint, quis in fœmina Principe damnet? Noli has ad Privatarum ergaftula relegare! Noli Fauftinam intra vulgi cancellos coërcere! Junonem refert, non fortunâ tantùm, fed & vultu: Majeftatem illuftrat, non obumbrat: Gratias elevat, non proftituit. Si ex vultu judicandum, excepit ARCHÆOPHILUS, Tibi calculum facilè apponerem; Heic enim, rarum aliâs conjugium, in una fede morantur MAJESTAS & AMOR: ut proinde ratio in propatulo jaceat, cur in Numifmatibus fuis, Fauftina hæc toties *Junonis*, toties & *Veneris*, non elogiô tantùm, fed & habitu decoretur. Rectè fentis, inquit DULODORUS, notandumque non fimplex utrinque Elogium effe; Vocatur enim non *Juno Regina* tantùm, fed & *Juno Lucina*: non tantùm *Venus Augufta*, fed & *Venus Genetrix*: non aliam ob caufam, quàm quod folium dignâ imperio Majeftate, Thorum autem fobole fatis numerosâ coronaffet; duos enim filios, & duas fœminas refert Capitolinus: Et fœminarum quidem *majorem* Lamiæ Syllano, *minorem* autem M. Antonino collocatam. De minore filia, excepit ARCHÆOPHILUS, teftantur Numifmata. De filiis autem, nefcio an memoria fuperfit? Imò eft alterius, inquit DULODORUS, eô in Numifmate, quod cum effigie & nomine M. ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΥΙΟΣ, Fauftinæ oppofitis, Triftano, Angeloni, Spanhemio & Comiti Mediobarbo Birago memoratur. Succedit

L. VERUS,


Marci Aurelii & Collega & Gener, ubique concors, licet difpar moribus. L. Verum agnofco, inquit ARCHÆOPHILUS; Quis enim hunc ignoraret in Nummis tantùm non vulgatiffimum? Agnofco *Comam crifpâ denfitate confpicuam*, *Vultum Gemmatum*, *Barbam propè barbaricè demiffam*, *Frontem tandem in fupercilia adductiorem*, quæ omnia de eo Julius Capitolinus memorat. Idem, excepit DULODORUS, teftatur, & *Capillorum tantam eum curam habuiffe, ut capiti auri ramenta afpergeret, quò magis coma illuminata flavefceret.* Hoc de colore, inquit ARCHÆOPHILUS, cujus in marmore nulla ratio; At eft Curæ, refpondit DULODORUS; quis enim dubitaret, qui auri ramenta afperfit, eundem & aliô ornatu capillos compofuiffe? Denfiffimi certè orbiculorum ordines, qui caput tegunt & frontem inumbrant, ea de re dubitare non finunt. Et tamen, excepit ARCHÆOPHILUS, egregius hîc Imperator nocte per tabernas & lupanaria, contecto capite cucullione vulgari viatorio narratur difcurriffe, tam petulanter, ut fæpè etiam cum triconibus commifceretur, & afflictus interdum lividâ facie rediret. Id nihil mirum, refpondit DULODORUS, nihil enim de Marci moderatione habuit: imò eò levitatis proceffit, ut & in Syria ad amicæ vulgaris arbitrium *barbam* poneret,

pag. 346.





pag. 347





ret, quô factô Syrorum dicacitatem in se commovit. Et tamen, denuò excepit ARCHÆOPHILUS, Hic de Parthis triumphavit, *Armeniacusque* & *Parthicus Maximus* appellatus est? Non suô meritô id fecit, respondit DULODORUS. Ducum virtute victoria stetit. Statius Priscus, Avidius Cassius, & Marcius Verus bellum confecerant, ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, Armeniamque vindicarent. Armenis Regem à Vero datum, inquit ARCHÆOPHILUS, vel Numismate teste recordor. Illud autem in Romanorum disciplina displicet, quòd non virtutem, sed dignitatem decoraverit, iis triumphos decernendo, quorum auspiciis pugnatum est, non iis, qui pugnârunt. At hoc, respondit DULODORUS, hodiénum obtinet, & congruit vulgare dicterium: *Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur.* Sed his quid inhæremus? Sequitur

CONSUL,

Aut Illustrium quidam, licet nobis incognitus, genuinæ tamen antiquitatis, summôque artificiô ex Marmore varii coloris exsculptus. Consulem, inquit ARCHÆOPHILUS, aut Illustrium quendam etiam suprà protulisti; Quidni autem & hunc eidem sociasti? Quid ultra Imperatores, Galbam, Trajanum, Ælium, Antoninum Pium, & Verum rejicis? Rationem, respondit DULODORUS, Barba suppeditat. Superior imberbis erat, adeòque eorum Temporum ritè statuebatur, quibus barbâ carere, etiam Illustribus moris erat: Propositus autem cùm prolixè barbatus sit, ultra Hadrianum meritò rejicitur; Ab eo enim tempore barba rursus invaluit. Barba, excepit ARCHÆOPHILUS, Philosophum poterit arguere, adeòque Thorax etiam Antiquiorum temporum esse. Philosophum, respondit DULODORUS, Toga removet, non minus in hoc, quàm in superiore, Tunicæ injecta, & more consuetô sub dextro brachio versus lævum humerum tendens. Toga certè Consulum Romæ & Illustrium, non Philosophorum gestamen fuit. Hi enim Palliis se amiciebant, uti notum est. Agnosco differentiam, subjecit ARCHÆOPHILUS, indeque non tantùm de tempore Te rectè arbitror sentire, sed etiam aliquid lucis mihi videor ex lineamentis colligere; Quid enim si *Marcus Aurelius* hic sit? quid si vel *Commodus*? vel *Didius Julianus*? vel *Pertinax*? Diligenter Numismata inspexi, respondit DULODORUS, sed in quo subsistam, apertè fateor, me nondum invenisse. M. AURELIUM inscripsére prædecessores mei, an satis verè? Ego valde dubitem. Ego nullo modô, reposuit ARCHÆOPHILUS. Quadrat ex asse prosopographia apud Julianum in Cæsaribus, quâ σεμνὸς ἄγαν ὑπὸ τῶν πόνων, ἔχων τά τε ὄμματα καὶ τὸ πρόσωπον ὑπό τι συνεςαλμένον, κάλλος δὲ ἀμήχανον ἐν αὐτῷ τȣτῳ δεικνύων, ἐν ᾧ παρεῖχεν ἑαυτὸν ἄκομψον καὶ ἀκαλλώπισον. ἥ τε γὰρ ὑπήνη βαθεῖα παντάπασιν ἦν αὐτῷ, καὶ τὰ ἱμάτια λιτὰ καὶ σώφρονα. *Gravis valdè, oculisque & vultu propter labores aliquantum contracto, pulchritudinem tamen in hoc ipsò neglectam ostendens, quòd esset horridus & incomptus. Erat enim barba prolixa & amictu ex omni parte frugali & modesto.* Quid concinnius dici potest? Ad imaginem Marci, inquit DULODORUS, fateor. Imago proposita autem non tantùm gravis, sed & tetrica cernitur. Oculi & vultus non aliquantum tantùm, sed tristi feniô contracti, nescio quid obscuritatis vibrant, cùm Marci oculi superciliô elatiore in Numismatibus tegantur: ut taceam pulchritudinem faciei, quam nec Satyra negat: taceam nasum prominentem & acutum, barbamque caprarum instar cuneatam; quæ omnia in proposito secus se habent. Quid igitur de Commodo videtur?

inquit ARCHÆOPHILUS: Quid de Juliano? Quid de Pertinace? Commodum, reſpondit DULODORUS, ætas removet: Didium Julianum & Helvium Pertinacem diverſitas lineamentorum, quæ non clarius elucet, quàm ad collata Numiſmata: adeò ut mihi tutius videatur etiam hîc in generalibus ſubſiſtere, quàm puerili audaciâ rem incertam ſine probabili minimùm conjecturâ definire; præſertim cum dubitari non poſſit, etiam Conſulibus & Illuſtribus aliis imagines poſitas, pluresque etiam horum temporibus fuerint, quibus id honoris nemo negaverit. Succedit

D. CLODIUS ALBINUS,

Infelix ille, ſub Severo, & Cæſar & Auguſtus, qui Africanus licet origine, Candore tamen ſuô, ſibi nomen *Albini*, virtute Imperium Orbis peperit. Albinus, excepit ARCHÆOPHILUS, ex Numiſmatibus incognitus non eſt, & fateor, effigies hæc nec barbâ nec capillis, nec lineamentis differt: Suffragatur potius utrinque proſopographia, quam Julius Capitolinus tradit, *capillo renodi & criſpo, fronte latâ, candore mirabili* Eum pronuncians fuiſſe. Benè hoc obſervas, reſpondit DULODORUS: Et quidem, quòd Candorem attinet, inde Sculptoris judicium metiri licet, qui Thoracem hunc lapide candidiſſimo excidit.. Imò & chlamydem intueri juvabit; Hanc enim inſignis ſupra humerum fibula connectit, non obſcurô teſtimoniô ejus, quod idem Capitolinus ait: *in veſtitu nitidiſſimum fuiſſe*; facilè enim apparet fibulam hanc, licet mole non exiguam, Gemmatam tamen fuiſſe, qualibus & Gallienum uſum, Trebellius Pollio notavit. Hæc veriſimiliter, excepit ARCHÆOPHILUS. Mihi autem ſub chlamyde adhuc, non dignitatem tantùm Imperatoriam, ſed & ſtudium militiæ intueri lubet. Chlamyde uſos Imperatores, vulgò patet, & militiâ Albinum claruiſſe, nemo inficias ibit, ſi meminerit Adoleſcentem adhuc Marti nomen dediſſe: Inde *Tribunum* Equites Dalmatas, Legionemque Quartanorum & Primanorum egiſſe: Porrò Exercitus Bithynicos fideliter tenuiſſe: Tandem ſub Commodo in Gallias translatum, Trans Rhenanos fudiſſe, nomenque ſuum eô factô, & apud Romanos & apud Barbaros celebre feciſſe. Non tantùm Marti operam dedit, repoſuit DULODORUS. Imò & Civilibus Officiis inclaruit, *Præturâ* potiſſimùm, & *Conſulatu*. Ita nec Militaribus tantùm ſtudiis vacavit, cùm agri colendi tam peritus fuiſſe memoretur, ut & Georgica conſcripſerit; Imò cùm & Mileſiæ ejusdem fuerint creditæ, quarum fama haud ignobilis traditur. Sed his non obſtantibus, fuére tamen & vitia, quæ laudibus officiunt. Dum os contemplor, excepit ARCHÆOPHILUS, in mentem mihi venit vox ejus muliebris, & propè ad Eunuchorum ſonum: In mentem venit voracitus ejus, quâ tantùm pomorum hauſit, quantum ratio humana non patitur: Quinquaginta ſcilicet ficus Paſſarias, quas Græci Calliſtruthias vocant jejunus adhuc, & centum Perſica Campana, & Melones Oſtienſes decem, & Uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadringenta eum conceſſiſſe Cordus meminit, adeò ut huc reſpexiſſe Oraculum credi poſſit in illo:

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, PESSIMUS ALBUS.

Quô reſpexerit Oraculum, ſubjecit DULODORUS, Ego non determinarem. Potius opponerem judicium Marci Aurelii, cui in Epiſtola, *Homo exercitatus, vitâ triſtis, gravis moribus* audit, quæ ſanè nec cùm Oraculo, nec cùm Cordi traditione conveniunt. Quicquid autem ſit, in ipſo dignitatis culmine fortuna eum deſtituit. Severus ei victo caput amputavit; amputatum pilo circum-

pag. 348





pag. 349





circumtulit. Mirum, excepit ARCHÆOPHILUS, quòd non & memoriam aboleverit. Quantum in eo fuit, respondit DULODORUS, vix est, ut intermisisse credatur. Sed major est Illustrium Gloria, quàm ut vi humana supprimi possit. Non Historia tantùm, sed & Antiquitatis reliquiæ Albinum ebuccinant, licet fortunæ injuriis ejus vita succubuerit. Prodit

L. SEPTIMIUS GETA

Hiccine prænomine *Lucius* vocabatur? excepit ARCHÆOPHILUS; At *Publium* dictum, Numismata testantur. Eadem, inquit DULODORUS, testantur, & de prænomine *Lucii*: ut proinde non erres, sive *Lucium*, sive *Publium* appelles. *Septimius* nomen Familiæ est: *Getam* autem cognominatum vel à Patruo, vel ab Avo paterno, Spartianus tradidit, qui aliàs omisso nomine familiæ *Antoninum Getam* appellare solet. Et unde Antoninum? excepit ARCHÆOPHILUS. Ex impositione Paterna, respondit DULODORUS; cùm enim Severus per somnum, Antoninum sibi successurum vidisset, non Caracallam tantùm eô nomine dignatus est, sed &, annitente Juliâ, Getam ne scilicet aditum ad imperium ei præcludere videretur. Aditu potitus est subjecit ARCHÆOPHILUS, sed manu fraternâ eodem evolutus, animam simul cum imperio amisit. Id pluribus, inquit DULODORUS, indiciis fuerat prædictum: Ovum purpureum sub nativitatem Getæ à Caracalla fractum, addita Juliæ execratio delucidat: *Maledicte Parricida*, inquiebat Caracallam affata, *fratrem Tuum occidisti.* Ita & Agnus cum vellere in fronte purpureo, eâdem die & horâ natus, quâ & Geta, idemque & à Caracalla fati timore occisus, nonne idem comprobat? Nonne idem & ipsius Getæ vox, quâ fratrem adlocutus fertur: *Tu, qui nulli parcis, potes etiam FRATREM occidere.* De Geta loquimur, inquit ARCHÆOPHILUS, ac si Thorax hic absque controversia eum referat. Pace autem Tuâ dixerim, imago hæc venustior est, quàm ut Getæ credi possit: Mihi dubium nascitur, annon Antinous eô adumbretur. Antinoum, respondit DULODORUS, capilli removent, breviores, quàm ut Antinoi credi possint, sed tales omninò, quales & in nummis Geta præfert. Quod faciem attinet, notandum, eam ternâ delineatione vel *pueri*, vel *adolescentis*, vel denique *viri* in nummis prostare. *Vir* genas & mentum barbâ vestitur, & quidem in quibusdam satis prolixâ, cirrisque dependentibus divite: *Puer* imberbis quidem est, sed naso adhuc corniculante insignitur: *Adolescens* nativâ pulchritudine se jactat, eô planè modô, quô & in hoc Thorace. Et hujus Numismata si conferas, me non perperam judicasse omninò fateberis. Egregie sanè suffragatur & Historicus: *Fuit Adolescens*, inquit de Geta, *à NATURA DECORUS &c.* Non *decorus* tantùm, sed *Decorus à Natura*: Ut proinde venustas & ipsa mihi calculum adjiciat. Agnosco convenientiam, inquit ARCHÆOPHILUS, & miror fratri invisum, cùm tamen mirâ amabilitate se commendet? Matri amabilis fertur, respondit DULODORUS, à fratre autem moribus dissedit, quòd Ille crudelis & impius, Hic autem clementior, & ab impietate remotior fuerit. Specimen clementiæ egregium fertur, cùm Severus, partium diversarum viros occisurus, inter suos diceret: *Hostes vobis eripio*, consentiretque usque adeò Bassianus, ut eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos; Tunc enim Geta interrogasse fertur, *quantus esset interficiendorum numerus?* Cùmque dixisset pater, denuò interrogavit: *Isti habentne parentes? habentne propinquos?* Cùmque responsum esset, habere complures; Hic sapientissimè simul,

& voce clementiæ pleniſſima ſubjecit: *Ergo in Civitate plures erant triſtes, quàm læti, quòd vicimus.* Aurea vox! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Eam recordabor, ubicunque Getam videro! Recordentur Tyranni, reſpondit DULODORUS; quanquam quid de Tyrannis dico? cùm illud, *oderint, dum metuant!* his proprium ſit. Ego dùm Getam aſpicio, ſimul & *ſubbalbè canorum* memini, illudque ei familiare, ut Grammaticos interrogaret, ſingula animalia quomodo vocem emittant? veluti *agni balant, porcelli grunnunt, &c.* Imò & illud, ut convivia per ſingulas literas juberet inſtrui; Erat enim *guloſus cupidusque ciborum, & vini variè conditi.* Hæc ad faciem, inquit ARCHÆOPHILUS, Mihi autem & ad habitum reſpicere placet. Militaris is eſt, indeque quidni expeditiones & in Orientem, & in Occidentem, ipſosque adeò toto diviſos Orbe Britannos mihi imaginer? Benè hoc, inquit DULODORUS, & poteris ſimul & nitoris meminiſſe; *veſtitûs* enim *nitidi cupidiſſimus* fertur, ita ut patrem doleret: Imò & ad ſuum cultum contuliſſe, quicquid à Præſentibus acciperet, nec quicquam cuipiam dediſſe. Avaritia, excepit ARCHÆOPHILUS, approximantis fati inditium ſolet eſſe. Ego miror, cùm Baſſianus frater, eô occisô, etiam eos interemerit, qui vel concordiæ faverant, vel partium ejus fuerant, tamen memoriam in Statuis & Imaginibus eſſe relictam. Non ſolus hoc facis, inquit DULODORUS, imò nec abs ratione. Non tantùm Imagines & Statuas parricida reliquit: Imò & ad earum conſpectum dicitur fleviſſe, Id quod, Spartiano teſte, etiam Romanis mirum videbatur. Sed Divum relinquimus, cùm vivus diutius non ſuperfuerit. Sequitur

JULIA CORNELIA PAULA,

Elagabali uxor, quam duxiſſe fertur, *ut fieret pater celerius, qui ne vir quidem eſſe poterat.* Sæpius hoc legi, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed in neotericis tantùm, nec pudet fateri, me rei nec baſin, nec ſenſum aſſequi; Quis enim veterum ejus author. Et quid eſt, quod eam duxiſſe fertur, *ut pater fieret celerius?* Quid eſt, quod aſſeritur, *eum ne virum quidem eſſe potuiſſe?* Dio rei meminit, reſpondit DULODORUS, indeque, quòd ideò tradidit. Elagabalum Juliam Paulam duxiſſe, *ut fieret pater ulterius*, colligit Triſtanus, Juliam Paulam tunc viduam, fœcunditatisque expertæ fuiſſe. Vidua, excepit ARCHÆOPHILUS, fuit Annia Fauſtina prima ejus uxor; Hæc enim, ſi rectè memini, uxor fuit Pomponii Baſſi, quem Elagabalus, ut eâ potiri poſſet, occidit. Anniam Fauſtinam, reſpondit DULODORUS, primam Elagabali uxorem fuiſſe, vulgò creditur; Herodianus tamen non primam, ſed *tertiam* videtur facere: Si rectè, utique Cornelia Paula prima erit, adeòque, non abs re dici poterit eam duxiſſe Elagabalus, *ut pater celerius fieret, qui ne vir quidem eſſe poterat*, reſpectu utrinque ad juventutem habito. Imò mihi aliud latere videtur, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid ſi ad impotentiam reſpici debeat? Victor enim in Epitome teſtatur, abſciſſis genitalibus eum ſe Matri Magnæ conſecraſſe. Opinio inde videtur orta, reſpondit DULODORUS, quòd ipſe, Ælio Lampridio teſte, Cultu Deæ Gallorum ritus imitaretur. Sed quò dilabimur? Non de Elagabalo, ſed de Julia Cornelia Paula nobis agendum, quam Pauli Juriſconſulti filiam fuiſſe, vel ex nomine liquet. Hanc propoſito marmore exhiberi, non opinor dubitabis; Eadem enim Capillorum compoſitio, eadem aurium nuditas, eadem faciei lineamenta eam determinant, quæ & in Numiſmatibus: ut proinde hactenus arbitrer me non erraſſe.

Quod

pag. 350





pag. 351.





Quod opponam non habeo, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm enim teste Herodiano, εὐγενεστάτη *illustrissima* fuerit, Numismatibus autem, ut & hôc Thorace docentibus, nec venustate caruerit, mirum non est, Imperatori juveni eam placuisse, *Augustamque* fuisse appellatam; Sed mox & repudiatam, & privatæ vitæ relictam, nescio, an sine suspicione recorder. Et quid suspiceris? respondit DULODORUS. Nonne venustatis & voti, tàm fœcunditatis, quàm concordiæ, Numismata testes sunt? ut de Pietate taceam? Quod Elagabalus de macula in ejus corpore finxit, id absonum prorsus videtur, cùm libidinosa Tyranni inconstantia etiam aliundè clarescat. Subit.

GORDIANUS PIUS,

Lætus, ille, pulcher & amabilis adolescens, qui cum Pupieno & Balbino *Cæsar*, his autem exstinctis, & *Imperator* factus est: Misithei inde ductu gloriosè imperavit, Philippi tandem artibus imperio spoliatus, & occisus est. Hunccine Tu agnoscis? ARCHÆOPHILE. Et quis non agnosceret? respondit ILLE, cùm tamen & *Capillorum rasura, & nasi acutioris prominentia, & oculorum orisque serenitas* hunc apertè demonstrent? *Jucundum in vita, literis nobilem, Gratum omnibus:* qui Ingenti amore, ingenti studio & gratia *Augustus* dicitur appellatus, non Senatûs tamen & Populi, sed & Militum: adeò ut horum mobilitatem dicam, an stupiditatem? certè perfidiam tantò justius mireris, quantò recentiore memoriâ Misithei merita colebant; Quid enim inde? annon clarissimè patebat, defectum annonæ non Gordiano, sed Philippo, qui Misitheo successerat, cuique proinde ea cura potissimùm incumbebat, adscribendum? Rectè judicas, inquit DULODORUS, sed notandum, perfidiam non omnium fuisse, indeque venerationem etiam post fata durasse. Cædem fateri Philippum puduit: Mortuum morbo persuasus Senatus, eum inter Deos retulit: Ipse parricida neque Imagines ausus est tollere, neque Statuas deponere, neque nomen abradere; sed *Divum* semper appellans etiam apud ipsos milites, cùm quibus factionem fecerat, seriô animô & peregrinâ calliditate veneratus est: Tandemque & milites sepulchrum apud Circejum castrum fecerunt, in finibus Persidis, titulum addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur, hujuscemodi:

DIVO GORDIANO
VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM
VICTORI SARMATARUM, DEPULSORI
ROMANARUM SEDITIONUM,
VICTORI GERMANORUM; SED
NON VICTORI PHILIPPORUM.

Ultima verba, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi suspecta sunt; Vix enim est, ut Milites sub Philippo tale quid credi possint publico monumento proposuisse. Dubium hoc, respondit DULODORUS, movent etiam alii, & inter hos Tristanus, qui aliás & expressionem minus convenientem judicat. Quicquid autem sit, sive post Philippum hæc verba adjecta, sive eô, quod magis videtur, callidè connivente, tanquam de Campis Philippicis intelligenda, etiam sub vivo, & à militibus nitidioris eloquentiæ non adeò studiosis fuerint posita: adfuisse tamen, vel inde planum fit, quòd Titulum evertisse Licinius, Capitolino memoratur, eô tempore, quô est nactus Imperium, cùm se vellet videri à Philippis originem trahere; hoc enim nisi de ultimis his verbis intelligi non posse, vel ex Ammiano Marcellino patet, qui sub Juliano Monumentum adhuc

vidit:

vidit: *Rediſſet*, inquit Julianus, *pari ſplendore Junior Gordianus*, *CUJUS MONUMENTUM NUNC VIDIMUS HONORATUM apud Reſainam, ſuperatô fugatôque Rege Perſarum, ni factione Philippi præfecti, ſceleſtè juvantibus PAUCIS, in hoc ubi ſepultus eſt loco, vulnere impio cecidiſſet. Nec erravere diu manes ejus inulti, quòd velut clarente juſtitiâ, omnes, qui in eum conſpiravére, cruciabilibus interiere ſuppliciis.* De ſuppliciis conjuratorum, excepit ARCHÆOPHILUS, apertius ex Cordo Capitolinus: *Omnes*, inquit, *quicunque illum gladio appetiverunt, qui novem fuiſſe dicuntur, poſtea interemtis Philippis, ſuâ manu, ſuisque gladiis, & iisdem, quibus illum percuſſerant, interiſſe dicuntur.* Sed hoc nihil ad propoſitum; neque enim *Divi*, ſed *vivi* hæc imago videtur, & quidem eô tempore ſculpta, quô contra Perſas gloriosè militabat, id quod vel ex habitu militari mihi colligere videor. Non tantùm ex habitu militari, reſpondit DULODORUS; hic enim quidni etiam ad hoſtes in Thraciis diletos, fugatos, expulſos, ſubmotos pertinere poſſit? Sed ex habitu militari *capite Meduſæ* inſignito; Cùm enim Perſeus hujus conſpectum hoſtibus objecerit, à Perſeo autem Perſæ denominati ferantur, quis non videt, ideò Gordianum contra Perſas, hoc inſigni uſum, ut non tantùm victoriarum curſum adumbraret, ſed & ſimul oſtenderet, victoriarum robur ſe Perſis extorſiſſe, eoque contra Perſei nepotes non minore ſucceſſu uti, ac eorum Conditor uſus eſſet, contra hoſtes quoscunque. Sed pergimus. Succedunt

PROBUS
ET
PROBI CONJUNX
IN
CLYPEIS FIGLINIS.

An hi ſunt rariſſimi illi Clypei, excepit ARCHÆOPHILUS, quos figlinô licet opere, ſummô tamen artificiô elaboratos, inter Cimelia ELECTORIS BRANDENBURGICI aſſervari, jamdudum fama retulit? Sunt, inquit DULODORUS; & ſi propius inſpicias, an reſpondeant famæ elogio, judicare poteris. Imò tranſcendunt, ait ARCHÆOPHILUS; neque enim mihi imaginabar, vel exquiſitiſſimam artis figlinæ ſolertiam, tam exactis lineamentorum ductibus, tam leni muſculorum exſtantiâ, tam amabili vultuum convenientiâ ſe extollere poſſe? Hinc Amor & Caſtitas, illinc Majeſtas & Clementia ex oculis radiant: Hinc virilis ſeveritas, illinc muliebris lenitas imagines commendant. Non comæ ſuus honos deeſt: nativa utrinque diverſitas eam commendat. Illinc laurus coërcet, hinc faſcia quaſi neglectam involvit. Quid collum dicam, quod hinc ſucculentum, illic macilentum? Quid Pectus, quod hinc convexâ rotunditate quaſi molle, illic autem robuſta firmitate induruit? Quid Papillas, quarum altera decorâ nuditate turget, altera vel ſub Chlamyde micat. Lyſippi cujusdam aut Praxitelis hæc opera putares, tantum abeſt, ut figuli credas, niſi materies hunc apertè proderet. Nimis arctè, reſpondit DULODORUS, figlinam mihi videris circumſcribere, & niſi ad hodiernos reſpicere, qui vix aliud, quàm lateres fingere nôrunt. Sed ſciendum, figlinam interdum etiam *Plaſticen* ſibi vindicaſſe, id quod ex authore Plaſtices palam eſt, de quo Plinius: *Opere terræ*, inquit, *ex argilla ſimilitudines fingere Dibutades Sicyonius FIGULUS primus invenit, Corinthi filiæ operâ: quæ capta amore*









amore juvenis, illo abeunte peregrè, umbram ex facie ejus ad Lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater, ejus impressâ argillâ, typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit. Ex his facile intelligis, Plasticen excellentiorem figlinæ gradum esse, & licet re ipsâ artes hæ interdum distinguantur, tamen Plasticen etiam rectè *Figlinam* dici posse. Hæc cùm ita sint, ARCHÆOPHILE, utique nihil mirum est; hîc ex argillâ igne duratâ artis exactissimæ specimen exhiberi. Si Lysippi in mentem venit, quidni Lysistratum Lysippi fratrem Tibi proponam, qui eôdem Pliniô teste, imaginem Gypso è facie ipsa primus omnium expressit, ceràque in eam formam Gypsi infusa, emendare instituit? Qui & de signis effigiem exprimere invenit, unde res adeò crevit, ut nulla signa, statuæve sine argilla fierent. Plastice scilicet, uti Figlinæ filia, ita Statuariæ, Sculpturæque, & Cælaturæ mater exstitit. Id quod probe intellexit Pasiteles, qui cùm in omnibus his summus esset, nihil tamen unquam memoratur fecisse, antequam fingeret. Et hinc patet artis antiquitas. Noli autem eam ob materiei vilitatem contemnere. Ejusmodi monumenta sanctiora auro, certè innocentiora fuére:

Fictilis & nullô violatus Juppiter aurô

Memoratur Juvenali, id quod appositè quadrat ad Jovem à Tarquinio Prisco locatum, quem, quòd fictilis esset, miniari solitum, Plinius noster affirmat. Miniari? inquit ARCHÆOPHILUS. Quid si & in his Clypeis minium agnoscam? Lævor sanè, & superstes labiorum genarumque rubor, tale quid apertè videntur demonstrare. Rectè sentis, respondit DULODORUS. Quanquam non miniô tantùm, sed & aliis pigmentis in his Artifex luserit. Deos miniari solitos, non tantùm exemplo Jovis constat, sed & Frugiferi apud Arnobium lib. VI. qui facie Leonis torvissimâ, meroque oblitâ minio, inter Deos memoratur: Imò & Panos, quem

Sanguineis ebuli baccis MINIOque rubentem

Virgilius canit. Sed miniari soliti sunt & Homines, Triumphantes præcipuè; Ita enim Plinius lib. 33. c. 6. *Enumerat*, inquit, *authores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis miniô illini solitam, TRIUMPHANTUMque corpora.* De Triumphantibus testatur etiam Tzetzes Chiliad. 13. hist. 461. v. 44. indèque non abs re mihi videtur Probus noster miniô illitus: *Victoriarum* hîc meminisse licet, quibus Orbem, non Romanum tantùm, sed & Barbaricum peragravit: *Triumphi*, ante quem omnium gentium Drungos, usque ad quinquagenos homines, duxisse Vopisco memoratur. De Probo, interlocutus est ARCHÆOPHILUS, hoc Tibi facilè cessero; Constat enim non integrô Septenniô Eum tantum fecisse, quantum nec Trajanus, nec Hadrianus Vicenniô. Sed unde probaveris, hanc Probi esse effigiem? Annon potius Inscriptioni inhæreamus, quæ *Julium Cæsarem* & *Pompejam* prodit: aut etiam Tibi ipsi, qui ut mihi relatum est, pro *Philippo* hanc effigiem hactenus venditasti? Subridens DULODORUS, video, inquit, Tibi delicias nostras etiam absenti curæ fuisse. Fateor me Julium Cæsarem & Pompejam negâsse: Fateor, pro Philippo aliquandiu sensisse. Sed effigiem penitius considerans, omninò Probum esse, invictis, ut arbitror, rationibus deprehendi. Julium Cæsarem vel sola Calvities removet, cùm in Clypeo nostro nullum ejus vestigium appareat, in Cæsare autem, ut nosti, tanta fuerit, ut etiam ejus tegendæ gratiâ lauream in vertice densiorem gestaverit: Removet Barba, quam nullibi in Cæsare observes: Et tandem omni exceptione major lineamento-

mentorum diverſitas. Vides, ARCHÆOPHILE, rationes, cur Julium Cæſarem negaverim, adeòque facilè mecum judicabis, inſcriptionem Clypei non antiquam eſſe, ſed omninò moderni cujusdam, & quidem imperiti poſſeſſoris ἐπιγραφήν. De Philippo major difficultas ſe obtulit. Eadem in eo verticis coma, eadem barba, eadem naſi elevatio, idem ætatis vigor, lineamentorumque, quantum apparebat, non adeò diverſa concinnitas. Contuli effigiem cum nummis, & ne mihi nimium tribuerem, etiam aliis, harum rerum ſcientiſſimis, conferendam exhibui; Sed neminem opinioni contradicentem inveni. Quid igitur eſt? inquis, quò minus ei inhæreas? Dicam ARCHÆOPHILE. Ex operis ſimilitudine, dedicantisque conjunctione facilè apparebat, fœminam, quam cernis, Imperatoris, quem clypeus exhibet, uxorem fuiſſe; at nota ex nummis erat Philippi uxor Otacilia Severa: Nota, ſed ab hac diverſiſſima, id quod examen inſtituenti facilè probavero. Hæc Juvencula adhuc, & nativô flore pollens, Illa, utpote Cæſaris jam mater, ætati provectiori vicina: Hæc rectô à fronte ductu naſum continuat, at Illa non obſcurâ valle utrumque diſtinguit: Hæc erectô collô viſitur, Illa obliquô propendet: Ut taceam alia, quæ Numiſmata inſpicientem latere non poſſunt. Quid facerem? Alius quærendus fuit, cui effigiem hanc addicerem, & quò minus ſtatim de Probo ſentirem, Numiſmatum æreorum typi cauſa fuére, in quibus non filô longiore, non elevatô naſo; ſed hôc depreſſiore, illô autem adſtrictiore occurrebat, prout etiam apud Triſtanum delineatum cernas. Tandem ſubiit Numiſma aureum Cimeliarchii Electoralis Brandenburgici, quod omnem dubitationem eximere videbatur, adeò ad Clypeum noſtrum ex aſſe reſpondebat. Subiit & Numiſma æreum moduli maximi, ubi Probus ſimul cum uxore conſpicitur, non filo ſtrictiore, ut in æreis, ſed longiore, qualiter in Clypeo viſitur. Id Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Stradam viſitur; ſed vereor ut Tibi ſuffragari poſſit, cùm uxor Probi in eo vetulæ propior ſit, quàm juvenculæ. Id vitium non Numiſmatis eſt, ſed Sculptoris, reſpondit DULODORUS. Idem apud Illuſtriſſimum SPANHEMIUM in Cæſar. p. 112. ex Gaza Regia Gallorum videas, ſed in eo uxor Probi non tantùm non vetula eſt, ſed eô planè lineamentorum tractu, Juventutisque ſplendore conſpicua, quô & in noſtrô κειμηλίῳ. Objicis fortè in parvis facilè errari potuiſſe; Sed adi Goltzium in imaginibus Imperatorum, qui omnia non tantùm accuratè examinavit, ſed ex parvo in conſpicuam magnitudinem extulit, virum & fide & induſtriâ longe ſuper reliquos hoc in genere eminentem: offendes Probi effigiem eôdem planè modô, quô in noſtro Clypeo. Non ovum ovo ſimilius dixerim, adeò oculi & contracta ſupercilia, adeò naſus & genæ, adeò labia & mentum, adeò barba & omnia conveniunt. Ex his, junctisque ſuperioribus, quidni ſententiam mutem? Quidni pro Probo ejusque Conjuge decernam? Audacter id ago, ſimulque Cimeliarchio Archi-Brandenburgico gratulor, quòd elegantiſſimam ejus Imperatoris imaginem ſervet, cujus fortitudine olim omnis Romana virtus ſuperata eſt: quod rariſſimam ejus Auguſtæ effigiem oſtendat, cujus Hiſtoricorum monumenta ne nomen quidem prodidére. Ne nomen quidem? inquit ARCHÆOPHILUS; Atqui Strada eam *Juliam Proclam* vocat, id quod ſecuti ſunt & Triſtanus, & Alii. Nullo authore id eos facere, reſpondit DULODORUS, Illuſtriſſimus SPANHEMIUS ad Cæſ. Juliani pag. 449. demonſtrat, prolatô Juliæ Proclæ Heroinæ Numiſmate ex Seguino, quod artificiô Probi ſæculum excludit. Acutiſſimi viri judicio jure aſſurgimus, donec appareat, quibus Authoribus Strada nitatur. De Clypeis, ſubjecit ARCHÆO-

PHI-

PHILUS, & more eos dedicandi res forsitan pronior est. Fateor, inquit DULODORUS: Plinius de iis apertè docet, idque libro 35. cap. 3. ubi de Imaginibus in Clypeis propositis: *Suorum Clypeos*, inquit, *in sacro vel publico privatim dicare primus instituit (ut reperio) App. Claudius, qui Cos cum Servilio fuit anno V. 259. Posuit enim in Bellonæ æde Majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi. Decora res utique, si liberorum turba parvulis imaginibus ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendat: quales Clypeos nemo non gaudens favensque adspicit. Post eum M. Æmilius collega in Consulatu Q. Luctatii, non in Basilica modo Æmilia, verum & domi suæ posuit, id quoque Martio exemplo; Scutis enim, qualibus ad Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuere Clypeorum, non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, à Cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in Scuto cujusque, qui fuerit usus illo. Pœni ex auro factitavére & Clypeos & Imagines, secumque in Castris tulére. Certè captis eis talem Astrubalis invenit Q. Marcius, Scipionum in Hispania ultor: Isque clypeus supra fores Capitolinæ ædis usque ad incendium primum fuit. Majorum verò nostrorum tanta securitas ea in re annotatur, ut L. Manlio Q. Fulvio Coss. anno V. C. 575. M. Aufidius, tutelæ Capitolii redemtor, docuerit Patres, argenteos esse Clypeos, qui pro æreis per aliquot jam lustra assignabantur.* Ex hoc Plinii loco discimus, Clypeos & aureos & argenteos & æreos fuisse; sed ex nostris discimus, successu temporis eos etiam in figlinos degenerasse. Cæterùm de Clypeis votivis res trita est. Videri tamen de iis potest Cl. Spon in miscell. pag. 144. Id agam, subjecit ARCHÆOPHILUS, ubi author ad manus erit. Nunc ad ulteriorem rei fidem me doceas peto, an honos Clypei Probo collatus fuerit? & unde Thesauro Brandenburgico tam rara monumenta obvenerint? Locus enim interdum etiam obscuris lucem affundit. Posterius, respondit DULODORUS, in principio indicandum arbitror. Scias igitur in Ducatu Clivensi Pagum esse, quem Santensem vocant. Ibi Castra Romanorum olim fuisse, fama tenet: Et quotidiè adhuc prisca, quæ effoditur, supellex rem evincit, evincunt nostri Clypei, quos ut mihi relatum est, sarcophago cuidam vetustissimo inclusos quidam indigenarum sustulit, Cimeliarchioque Electorali concessit. Quam probè hæc Probo conveniunt! Probus enim non tantùm versus Orientem, Septentrionem, & Meridiem bella gessit, sed etiam, & quidem præcipuè in Occidente, in Galliis, & ad Rhenum, ubi Germanos, qui fluvium transierant, Galliasque invaserant, *Cæsis*, ut Vopiscus ait, *propè quadringentis millibus*, ultra Nicrum & Albim submovit: Tantum prædæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant: Urbes Romanas & castra in solo hostili posuit, in iisque milites collocavit: Agros & horrea & domos & annonam Trans-Rhenanis omnibus fecit, iis scilicet, quos in excubiis habuit, nec cessatum est unquam pugnari, quum quotidiè ad eum hostium capita deferrentur, ad singulos aureos singula, quamdiu Reguli novem ex diversis gentibus venirent, atque ad pedes Probi jacerent. Ex his, ARCHÆOPHILE, intelligis, locum apprimè quadrare, intelligis rationem laureæ, quæ tempora Probi coronat. De honore Clypei idem Vopiscus testari potest. *Eant nunc*, inquit, *qui ad Civilia bella milites parant: Eant & dignitatem Probo derogent, quam Imperatores nostri prudenter & CONSECRANDAM VULTIBUS, & ornandam templis, & celebrandam ludis Circensibus judicârunt.* Consecrandum vultibus, inquit, eòque, Magno Salmasio teste, *imagines* intelligit *pectoretenus expressas*, quas *Thoracas* vocârunt & *Clypeos*. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, eaque nisi fallor, *labrata* dixere Græci, quod pro λαύρατα scri-

ſcriptum, Docti credidére, à *laurato* ſcilicet, voce Latinâ, quæ effigiem Imperatoris laureati & triumphantis deſignet. Si res ita ſe haberet, regeſſit DULODORUS, aſſertum laureato & ob victorias Triumphanti Probo optime conveniret; Sed eam refutat Salmaſius, cujus rationes dictô locô videri poſſunt. Subit

TOGATUS
SACRICANS CUM SYMPULO.



Eô planè modô, quô in Nummo Sepullii Macri Lepidus Pontifex Maximus, & in Antoniæ, Tiberius Claudius Pontifex viſuntur, capite velatô ſecundum Virgilium Æneid. III. ubi Helenus ad Æneam:

Et poſitis aris jam vota in litore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum,
Hoſtilis facies occurrat & omina turbet.

Ad quem locum Servius: *Sciendum*, inquit, *ſacrificantes Diis omnibus CAPUT VELARE conſuetos ob hoc, ne ſe inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, exceptô tantùm Saturnô, ne Numinis imitatio videretur.* Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, abſona erit ratio Plutarchi, *caput velare* Romanos ſolitos, *in ſignum dimiſſi animi.* Rectè hoc, reſpondit DULODORUS; Caput enim velatum demiſſionem non ſignificare, vel inde conſtat, quòd caput aliâs, in ſignum demiſſionis, Romani nudaverint. Idem Plutarchus afferti author eſt: Οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις ἀπαντῶντες κἂν τύχωσί ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες, ἀποκαλύπτονται. *Romani, ſi cui obviam facti*

facti sint, cui honor habendus sit, & si forte togâ caput velatum habeant, id aperiunt. An præter sacrificantes, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam alii caput velarunt? Communiter quidem, respondit DULODORUS, capite nudô incedebant; Ingruente autem vel Sole, vel pluviâ, vel aliâ quâpiam aëris injuriâ, togâ caput velabant, non minus ac sacrificantes: & hôc casu, si honoratior occurreret, caput aperiebant. Exemplum est apud eundem Plutarchum Sylla: Et in genere de occursu Consulum & Prætorum testatur Seneca, uti latius videre est apud Ferrarium de Re Vestiaria, qui alias & contra Lipsium probat, id quod etiam ex nostra icuncula patet, non laciniam togæ, sed togam ipsam, sive superiorem ejusdem ad cervicem partem, capiti injectam fuisse. Commodè Ferrarium citas, inquit ARCHÆOPHILUS; dudum enim cupiebam scire, an sententia ejus de *toga clausa* vera sit? Me judice, respondit DULODORUS, sententia Alberti Rubenii, togam apertam statuentis, potior est, idque latius deducere possem, si vel propositum opem hanc posceret, vel Vir πολυμαθέςατος ei defuisset. De Sympulo adhuc dicendum, inquit ARCHÆOPHILUS; hujus enim figuram paulò aliter, ac apud Causæum, video. Causæum, respondit DULODORUS, Cyathum pro Sympulo substituisse, capite sequenti videbimus, ubi Cyathum illum producam, simulque & Sympuli figuram docebo, non aliam fuisse, quàm quæ hoc nostro in Sigillo cernitur. Si usum requiras, docebit Festus: *Sympulum*, inquit, *vas parvum, non dissimile Cyatho, quô vinum in sacrificiis libatur. Unde & mulieres rebus divinis deditæ SYMPULATRICES dicuntur.*

Ex his, subjecit ARCHÆOPHILUS, erroris via panditur, si enim Sympulum Cyatho non dissimile fuerit, facilè utique alterum pro altero sumi poterat. Usu differebant, respondit DULODORUS, imò & formâ, uti infra videbimus. De Sympulo autem adhuc memorandum, Baysio *Sympullum* videri appellandum, eâ formâ, quâ *Ampullam* dicimus; Sympuvium vocatur Juvenali. Quòdque eô minutatim libaretur, inde provetbium apud Ciceronem l. 3. de Legibus, *Excitabat fluctus in Sympulo, ut dicitur:* Eleganter hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, sed ad propositum parum: Quidni potius doces, unde *Sympuli* vox descendat? Sympulum, respondit DULODORUS, à *sumendo* dictum, Varro author est: Cùm autem præcipuus ejus usus non in sumendo, sed in fundendo consistat, Ego potius Scaligerum sequerer. Sed latius de his infra, sub Cyatho. Subit

SACERDOS RUSTICUS;



Talem enim in Catalogo inſcripſit Bellorius. Sacerdotem, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Patera agnoſco: Et Sacerdotem ruſticum videtur arguere Pomum, quod ſiniſtrâ præfert. Cùm autem pomum non uni Deo oblatum fuerit: Imò nec unum Ruſticorum Numen memoretur, neſcio an nomen generale ſufficiat? Ubi nullum indicium rem determinat, reſpondit DULODORUS, in Generalibus non tutò tantùm, ſed & neceſſariò ſubſiſtimus. FRATRES ARVALES in medium ſiſto, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid ſi horum aliquis hôc Sigillô adumbretur? Fratres Arvales, reſpondit DULODORUS, coronâ ſpiceâ & albis infulis decoros, Sabinus Maſſurius apud Gellium Lib. VI. c. VII. teſtatur, quod inſigne in propoſito non apparet. Si ad inſignia reſpicias, repoſuit ARCHÆOPHILUS, Ego ne quidem rus abirem, cùm apud Leonhardum Auguſtinum in Gemmis p. 152. ſimili ferè habitu, quô & noſter hic, SALII ex Anciliis noſcantur, non fragili Hiſtoriarum baſi, cùm Liviô teſte, Numa Pompilius Saliis Tunicæ pictæ inſigne dederit. In propoſito, inquit DULODORUS, Tunicæ pictæ inſigne non eſt; Imò nec

ſunt

sunt Ancilia, sed ut ipse fateris, *Patera* & *Pomum*: Pomum, inquam, quod *Deo agricolæ* sacratum, Tibullus canit L. 1. El. 1.

Quodcunque mihi POMUM novus educat amnis,
Libatum AGRICOLÆ ponitur ante DEO.

Et inde opinor nemo mirabitur, quod *Sacerdotem Rusticum* cum Bellorio inscripserim; Hujus enim me calculum sequi, non erubesco fateri. Pomum, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam PRIAPO dari ex superioribus recordor. Priapus, respondit DULODORUS, Deus hortorum erat, canente eôdem Tibullo:

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sævâ falce Priapus aves.

Quidni autem Pomum etiam POMONAM suggerat? Si ad hanc respicias, subjecit ARCHÆOPHILUS, forsan FLAMEN POMONALIS hic esse poterit; neque enim objeceris, Apicem deesse, cùm Festo docente, *cæteri quidem Flamines Majestatis suæ discrimina habuerint, Pomonalis autem ideò minimæ dignationis fuerit, quòd Pomona levissimo fructui agrorum præsederit, Pomis.* Valeat opinio, quantum potest, inquit DULODORUS, Ego nihil decerno, idque ideò, quòd ex habitu præter vilitatem nihil appareat. Sacrificantes, Togati solent esse: At Hic incedit planè qualiter Mamurianus apud Martialem, L. I Epigr. 93.

Cerea cui pendet lumbis & trita Lacerna,
Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Gallos, excepit ARCHÆOPHILUS, brevibus ejusmodi tunicis usos, ex Strabone memini, indeque subit conjectura, annon unus Druidarum hîc esse possit, quos Cæsar Gallorum sacerdotes fuisse asserit? Non dixerim, respondit DULODORUS; Licet enim Galli brevibus tunicis usi fuerint, Druidas tamen, eorum sacerdotes, longioribus palliis indutos, testantur eorum statuæ hodiénum superstites. Hæc equidem dicuntur, excepit ARCHÆOPHILUS, an autem etiam probantur? Omninò, respondit DULODORUS. Meminit Aventinus in Chronico Bavariæ ex Conrado Celte Historiographo Imperiali: Meminit Montanus in Notis ad Cæsarem, ex Johanne Theophilo, qui Pallio Græcanico cucullato Druidas in statuis vestitos refert, quod eò credibilius est, quia & Græcis literis usos, idem Cæsar tradidit. Taceo quod nuperrimè Cel. Salomo Reiselius, Archiater Wurtenbergicus significavit, *inventam scilicet in Oppido Ducatûs Wurtenbergici Wildberg Statuam septem pedum, rudis operæ, quæ barbam haberet prolixam, os apertum, caput nudum, capillos usque ad cingulum demissos, eosque in villos plures contortos, TUNICAM LONGAM, & angustam, cingulo quod bracteis distinctum sit, & duas tænias demittat, arctatam, & sine manicis, nudam brachiis & manicis: quam Druidum aliquem Vir acerrimi judicii rectissimè arbitratur.* Quid autem his simile in proposito? Nihil video, inquit ARCHÆOPHILUS, indeque ad Lacernam transeo, quam Romanorum & quidem pauperiorum fuisse, ex Juvenale Sat. III. constat. Non pauperiorum tantùm, respondit DULODORUS; imò & ditiorum, sed in Itinere, & extra Urbem, usque ad ætatem Augusti, quâ etiam intra Urbem, & in locum Togæ induci cœpit. Si hæc ita sint, subjecit ARCHÆOPHILUS, utique nec ad propositum extra urbem aut rus abire necesse est; Quid enim obstat, ut sacerdos urbanus hic sit, si Lacerna in Urbe æquè ac foris in usu fuit? In Urbe, inquit DULODORUS, honestioribus

ribus raro, ſacerdotibus autem, neſcio, an unquam fuerit? indeque firma adhuc pro Sacerdote Ruſtico mihi durat ſententia. Duret, perrexit ARCHÆOPHILUS, modò Lacernâ in Sigillo noſtro Sacerdos indutus ſit; Quid enim? an Lacernâ caput tegebant? at Hoffmannus in Lexico Cucullum ſimul cum Lacerna, docet, ſumtum, probatque ex Horatio, L. II. Sat. 7.

Odoratum caput obſcurante Lacerna.

Locus pro me eſt, reſpondit DULODORUS; aperte enim dicit, non cucullum, ſed *Lacernam ipſam* caput obſcurare. Et quid aliud innuit Martialis Lib. XIV. Epigr. 132. ubi de Pileo:

Si poſſem totas cuperem miſiſſe lacernas;
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo;

Ubi neſcio, an ſatis accuratè hactenus Interpretes; In eo enim vertitur nervus Epigrammatis, quòd Lacerna & corpus & caput tegere poſſet, Pileus autem capiti tantùm conveniret, nec eſt ut ex detritis lacernis pileos confici ſolitos, cum Brodæo ſtatuamus. At inquit ARCHÆOPHILUS, annon *Lacernam* Feſtus id vocat, *quod Capitio minus eſt?* *Capitium* ſanè pro cucullo, adeòque Capitis tegmine ſumi, vulgò patet. *Capitium*, reſpondit DULODORUS, apud bonos Authores, pro capitis tegmine non oſtenderis. Non à Capite dicitur, ſed Varrone teſte, *ab eo quòd capit pectus:* indeque facile apparet, quô ſenſu Lacerna *Capitio minor* vocetur. Sed ultrà tendimus; dudum enim nos exſpectat

STATUA
PUERI PRÆTEXTATI
CUM
BULLA, VOLUMINE ET SCRINIO.

Elegantiſſima, inquit ARCHÆOPHILUS, & integerrima hæc eſt Statua; *Puerum* imberbis faciei venuſtas arguit, ſed *Prætextatum* unde agnoſcas, pace tuâ dixerim, non video. Ex toga, reſpondit DULODORUS; Hâc enim, & quidem Prætextâ Pueros ſimul cum bulla inſignitos, ex idoneis Authoribus palam eſt. Origines rei plures tradidit Macrobius: *vel* quòd Romulus primum Romæ Sabinarum filium: *vel* quòd Tarquinius Priſcus filium ſuum quatuordecim annos natum, ob hoſtem manu percuſſum, hôc inſigni donaſſet: ut alias rationes taceam, quas apud Authorem videre poteris. Non hoc dubium eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed de Prætexta quæſierim; cùm enim ideò *prætexta* dicatur, quòd Candida Purpuram in ora prætextam habebat, quâ ratione & Græcis περιπόρφυρον dictam accepimus, rei veſtigia omninò & in marmore exſpectaſſem; Sed hæc in propoſito non apparent. Quod non appareant, reſpondit DULODORUS, duplex cauſa eſſe poteſt, *vel* futuræ ſubtilitas, *vel* implicata Togæ compoſitio. Utraque commiſſuram abſcondere potuit, quam in marmore nec colores manifeſtant. Marmor candidum eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quod ad Togam puerorum candidam egregiè quadrat. Cæterum Ego non tam futuræ ſubtilitatem, quàm implicatam Togæ compoſitionem admitterem; Illa enim in ſtatua, ubi colores prætextam purpuram arguere non poſſunt, tanta non videtur fuiſſe admittenda, ut omnia commiſſuræ veſtigia ſuppprimeret; Quô enim aliô indiciô prætexta noſceretur? Si ita ſentias, inquit DULODORUS, opinioni tuæ poterit adſti-

pag. 360



adſtipulari infima togæ ora, inter pedes prominens, oblongâ quâdam fiſſurâ diviſa; Hanc enim quid interpretaberis, ſi non purpuram illam Togæ aſſutam, quæ prætextæ inſigne eſt? Res in medio jaceat, inquit ARCHÆOPHILUS. Ad Bullam tranſire placet, quam in hac ſtatua rotundam video, cùm cordiformem Macrobius faciat. Cordiformem, reſpondit DULODORUS, vidimus inter Gemmas, & dabimus Capite ſequenti. Non autem has tantùm, ſed etiam rotundas in uſu fuiſſe, & hæc noſtra Statua, & Clypeus duoque Marmora apud Sponium teſtantur, quô docente Bullæ, non à βȣλὴ, *quòd juvenes egeant conſiliô*, ſed à *bullis* dictæ ſunt, quæ in aqua inflantur: quod ad rotundas utique non abſurdum eſt. Eadem, excepit ARCHÆOPHILUS, Bullæ memoratur origo, quæ & Prætextæ; at, an & eadem utriusque depoſitio? Omninò, reſpondit DULODORUS. Eaque fiebat annô ætatis vel XIV. vel XVI. Tunc enim togam puram ſumebant, bullas autem Laribus dedicabant, qua de re Perſius Satyra V.

BULLAque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Notandum autem, Bullas antiquitùs non niſi Ingenuos geſtaſſe; licet enim Bello Punico II. conceſſum fuerit, ut prætextâ Libertini quoque uterentur, Bullam tamen non acceperunt, ſed *lorum* tantùm geſtabant, uti latius docet allegatus Macrobius: adeò ut Ingenuum hunc, indice bullâ, ritè pronunciemus. Non Bullâ tantùm, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & *Volumine*, & adjecto ad pedes *Scrinio* inſignis eſt. Quid hoc? an Scriniarium hunc dicam, qualem Nobiliſſimus Sponius protulit? in miſcellaneis Antiquitatis Eruditæ pag. 216. Ætas obſtat, reſpondit DULODORUS. Potius & Volumina & Scrinia etiam in ſcholis, & puerorum diſcentium uſu fuiſſe, non negabis, ſi conferas ſtatuam Pædagogi, ab eodem Sponio pag. 229. vulgatam: ut proinde Scrinium non tantùm ad recondenda ſcripta publica fuerit, ſed in genere ſervandis voluminibus quibuscunque ſervierit.

Faciei venuſtas me delectat, excepit ARCHÆOPHILUS; Talis eſt, qualem non ad libitum ſculptoris effictam, ſed ad certum aliquod prototypon effigiatam jure credas: indeque quidni quæramus, cui ſtatua addici poſſit? Faciei venuſtas, regeſſit DULODORUS, pueris communis eſſe ſolet: Et licet nec mihi dubium ſit, Statuam hanc ad certum prototypon effigiatam eſſe, in tanta tamen antiquitatis obſcuritate temerè eam non determinarem. Scio Britannicum non diſpari habitu ex lapide Ægyptio viridi apud Leonhardum Auguſtinum prodiiſſe; Sed quid inde? ſi craſſiores Britannici Buccæ ſint, quàm propoſiti? Si non Britannicus ſolus, ſed in genere omnes Patricii, dignitatisque eminentioris juvenes, ipſique adeò Imperatorii tali habitu inceſſerint? Eâ ſanè ratione nec de Marcello, nec de Cajo, nec de Lucio, nec de alio quocunque cogitare licebit. At licebit de Geta, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, hujus enim Effigies ſupra expoſita, neſcio, annon hunc indubiè evincat? Liberum ſit judicium, reſpondit DULODORUS, mihi ſubſcribere nondum libet. Ad alia tranſeo. Sequuntur

LICTORES
PALUDATI CUM FASCIBUS.



Antequam hos penitius contempler, inquit ARCHÆOPHILUS, operæ pretium arbitror doceri, unde *lictores* dicantur? à *ligando*, respondit DULODORUS; id enim cum Valgio Rufo docet A Gell. Noct. Att. L. 12. c. 3. nequicquam contra sentiente Tirone Tullio, M. Ciceronis Liberto, qui Lictorem vel à *Lino* vel à *Licio* dictum scripsit. Ratio etymi à *Ligando* ea est, quòd cùm Magistratus P. R. quempiam virgis jussissent verberari, crura ejus & manus ligarent, id quod ex Cicerone probatur, qui in Oratione pro C. Rabirio *J. Lictor*, inquit, *colliga manus!* Fasces Ego ligatos video, subjecit ARCHÆOPHILUS. An & hi aliquid ad rem? Fortasse, respondit DULODORUS. Ita enim Festus: *Lictores dicuntur quod fasces virgarum ligatos ferunt.* Aliud adhuc observo, inquit ARCHÆOPHILUS. Nullæ his fascibus secures innexæ sunt, an quòd simplex tantùm hîc terror, & fasces propriè adumbrentur? quô sensu Livius Dec. III. Lib. 8. fasces à securibus distinxit: *Insignia summi imperii*, inquit, *fasces, securesque &c.* & alibi: *nudatos virgis cædunt, securique feriunt:* & Lucretius lib. 3.

Petere à populo FASCES, sævasque SECURES.

Et

Et Cicero ad Q. frat. L. III. *Fasces ac securis majora dignitatis, quàm potestatis insignia.* Res plenius dilucidanda, respondit DULODORUS. Secures, licet principio Romæ fascibus jungerentur, sub Consulum tamen initia inde amotas Dionysius tradit: Ita L. IV. de Valerio Publicola: Βεβαίαν τὲ πίςιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τȣ̃ς δημοτικȣ̃ς λαβεῖν βȣλόμενος, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τȣ̃ς πελέκεις, καὶ κατεςήσατο τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἐμῆς διέμεινεν ἡλικίας, ὅταν ἔξωθεν τῆς πόλεως γένωνται, χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμεῖσθαι μόναις. *Ut firmius persuaderet, se publicæ libertatis studiosum esse, ADEMIT SECURES FASCIBUS, Moremque post se reliquit Consulibus, qui usque ad mea tempora perduravit, ut tantùm extra urbem securibus utantur, intra mœnia contenti solis fascium insignibus.* Optimè hoc ad propositum, excepit ARCHÆOPHILUS, sed quæsierim ex quo arborum genere fasces fuerint desumti? neque enim ex Betula videntur fuisse, ex quâ hodie virgas cædimus. Imò & ex hâc, respondit DULODORUS; De Betula enim Plinius L. 16. c. 18. *Betula*, inquit, *terribilis magistratuum virgis.* Sed non ex hac sola; *Virgas ulmeas & vimineas* Lictoribus tribuit Plautus: Illas in Asinaria:

Validos Lictores Ulmeis affectos lentis virgis;

Has in Epidico, ubi Thesprio, *Unum*, inquit, *à Prætura tua abest:* interrogatusque respondet, *Lictores duo, duo viminei fasces virgarum:* Ad quem locum Taubmannus appositè ad propositum: *Fasces*, inquit *erant bacilli aliquot teretes ex ulmo præcipuè aut betulla, loro colligati in modum fascis.* Hæc benè se habent, subjecit ARCHÆOPHILUS; ex allegato enim loco Plauti simul & constat, Prætoriæ dignitatis hos Lictores fuisse, *duo* enim sunt, cùm Consulum XII. Dictatoris XXIV. fuerint. Ex numero, respondit DULODORUS, an certi quid elicere possis, vehementer dubito; licet enim XII. Consulum fuerint, tamen in Nummo Bruti duos tantùm cum Consule videas; Et licet numerus, non minus ac res, à Tuscis descenderit, ut ex Floro constat, tamen nec in Numismate Κόσων, qui Thusciæ populi fuére, plures duobus occurrunt, adeò ut *duos* plurium fortasse indices ritè statuas, & quidem eò justius, quòd & Prætoribus alii *sex* Lictores tribuant, quam tamen controversiam alii distinctione componunt: eòque referri forsan etiam potest, quod apud Apulejum *Lictores duo*, memorantur, *de jussu Magistratuum sontes traxisse.* Hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, an de Romanis intelligi debeat? alii judicent. Illud miror, quòd Lictores hi se invicem non à latere comitentur, sed alter alterum à tergo sequatur. Non abs ratione hoc, respondit DULODORUS; Omninò enim adumbratur ordo, quô Magistratum Lictores præibant. Eum probè locô citatô observavit Taubmannus: *Lictores*, inquit, *non gregatim, nec item bini ternive, sed singuli & in lineam ibant, ut submoverent occurrentes.* De Lictoribus, excepit ARCHÆOPHILUS, assertum admiserim; licet autem Lictores hos esse fasces videantur demonstrare, (hos enim *Lictorios* appellari ex Aurelio Victore memini) Lictores tamen Paludatos incedere, quis ferat? Nonne Paludamentum, quô Lictores hi induti sunt, vestis Imperatoria & militaris fuit? Fuit, inquit DULODORUS, sed id non impedit, ut & Lictoribus fuerit gestata, eôdem modô, quô Regum insignia etiam servi, & interdum infimæ sortis præferunt, in Regis scilicet Principisve Majestatem. Ita Silius Lib. IX.

Isque ut Varronem procul inter prælia vidit,
Et juxta sagulo circumvolitare rubenti

Lictorem : nosco pompam, & insignia nosco.
Flaminius modò talis erat.

De sagulo hæc cecinit Poeta, inquit ARCHÆOPHILUS. Sagulum, respondit DULODORUS, idem fuit, quod Paludamentum, uti videre est apud Ferrarium de Re Vestaria. Inde Livius Lib. XLI. *Claudius propè consecutus est literas suas, non ultra triduum moratus Romæ, PALUDATIS LICTORIBUS, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam æquè amplius præcipiti celeritate abiit.* At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon Paludamentum etiam vestis bellica fuit? Imperatoribusque non nisi tempore belli, & extra urbem usitata? Non frustrà sanè toties apud Authores *Paludati profecti* memorantur. Si autem vestis bellica hæc fuerit, quomodo Fascibus conveniet, non nisi ultra urbem sine securi gestari solitis, uti suprà docuisti? In angustias me redactum, inquit DULODORUS, procul dubio arbitraberis. Sed ego unicô effugiô satisfaciam. *Mutatio vestis* in censum venit, cujus crebra apud authores mentio prostat. Eam in bellis civilibus ita factam, ut etiam Romæ pro Togis Saga, aut quod idem est, Paludamenta, aut Chlamydes, vestes scilicet militares sumerentur, vel inde constat, quod apud Ciceronem pro *mutare vestem, ire ad saga* vel *esse in sagis*, non semel legitur. Ita Phil. 8. *in Sagis est Civitas*, & Phil. 14. *Ad saga ire*, & *redire ad togas.* Ita & Dio Lib. XLVI. Τάς τε χλαμύδας τὰς στρατιωτικὰς πάντες καὶ οἱ μὴ ἐκστρατεύσαντες ἠμπέσχοντο. *Chlamydes autem militares* (sive saga) *etiam ii, qui non proficiscebantur in bellum, sumserunt.* His positis utique nihil absonum erit, si Lictores fasces securibus vacuos gestantes, id quod in urbe solebant, non togati, ut aliâs, sed sagati procedant. Ad bella civilia videtur respiciendum, quibus & Consul Cicero, vel præter morem, quô solus Consul togam retinebat, sagum assumsit: Ita enim Philipp. 8. *Equidem Patres Conscripti, quanquam hoc honore usi, togati esse solent, quum in armis est Civitas: statui tamen à vobis, cæterisque Civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione Reipublicæ non differre vestitu.* Si hoc Consul, quidni & Lictores? Sed ecce!

SALTATOR CALAMISTRATUS



Nos vocat. Quidni *Cinædum* appellas? excepit ARCHÆOPHILUS; hos enim & ſaltare ſolitos, & capillos calamiſtris adornaſſe, non unô Authorum ſuffragiô docemur: De capillis teſtatur Priapus Epigr. 45. *Cinædum* appellans *eum, quem ferventi caput uſtulare ferro* viderat. Et clarius Plautus in Aſinaria, ubi *Cinædus Calamiſtratus* dicitur. Ita nec de ſaltatione dubium eſt. Cinædus ipſe apud Petronium:

Huc huc convenite SPATALOCINÆDI.
Pede tendite, curſum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, & manu procaces.

Et Periplectomenes apud eundem Plautum in Milite glorioſo Act. 3. *non CINÆDUS usquam magis SALTAT, quam Ego.* Et Lucilius Sat. 2.

Stultè ſaltatum te interveniſſe Cinædos.

Quid ad hæc dicis, DULODORE? Quod res eſt, reſpondit ILLE, Cinædos videlicet ſaltaſſe quidem, imò & calamiſtratos fuiſſe; è contrario autem Saltatores calamiſtratos, non ſemper fuiſſe Cinædos. Quidni? regeſſit ARCHÆOPHILUS. Sanè vocis Etymon pro me eſt, *Cinædus* enim Nonio obſervante ἀπὸ τῦ κινεῖν τὸ σῶμα *à motu corporis* dicitur. *A motu corporis*, excepit DULODORUS, ſed *pudendo*; Aliis enim quaſi κενὸς καὶ αἰδῶς Cinædus dicitur, quòd vacuus ſit pudore: Aliis à κινεῖν τὰ αἰδοῖα *à motu pudendorum*; Cinædus enim κυρίως eſt muliebris patientiæ ſcortum, indeque licet fieri poſſit, ut Cinædus hic ſit, tamen quod actum Cinædo proprium non obeat, tutius *Saltatorem calamiſtratum* appellarem. Si præter Cinædos, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam alios probare poſſis calamiſtratos fuiſſe, effugio tuo aliquid tribuam. Facillimè, reſpondit DULODORUS. Quid enim apud Martialem Lib. 9. Ep. 30. CIRRATA CATERVA, quàm calamiſtrata? quod de pueris ſcholaſticis dicitur. Quem fugit *Calamiſtratus Puer*, apud Divum Hieronymum in Ep. ad Demetriadem pro virginitatè ſervanda? Si hæc ita ſe habeant, inquit ARCHÆOPHILUS, fortaſſe etiam ad Convivia poterit reſpici. In his enim ſaltatum, quis negare auſit? cùm Homerus Odyſſ. α. v. 152. ὀρχηςὺν ſaltationem ἀνάθημα δαιτός *ornamentum convivii* vocaverit? Benè ſentis, inquit DULODORUS, quanquam eò tantùm reſpicere verear, nam conſtat, etiam in Theatris ſaltatum, indeque & Orcheſtram nomen traxiſſe: conſtet & Comœdos delicatiore habitu uſos, exemplô Menandri, qui apud Phædrum Lib. 1. fab. 1. Demetrium acceſſurus:

Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.

Adeò ut & Regi Cinædus videretur. Quid hoc ad rem? inquit ARCHÆOPHILUS. Ut oſtendam, reſpondit DULODORUS, me ſigillum propoſitum non fruſtra *Saltatorem calamiſtratum* inſcripſiſſe, id enim nomen etiam Cinædis, aliiſque quibuſcunque habitu delicatiore ſaltantibus convenit, fulciturque authoritate Ciceronis in Oratione poſt reditum: *Cur in luſtris & helluationibus*, inquit, *hujus CALAMISTRATI SALTATORIS tam eximia virtus tamdiu ceſſavit?* Subit

POCIL-

POCILLATOR



Et ipſe *Calamiſtratus*, imò & *pulchrè induſiatus*, quales Apulejus memorat in convivio Byrrhænæ Lib. II. Met. *Pueri Calamiſtrati*, inquit, *pulchrè induſiati, Gemmas formatas in Pocula vini vetuſti frequenter offerentes.* Locus egregiè addicit, inquit ARCHÆOPHILUS, & ſubit memoriam Claudianus, qui in Genere *Comatos famulos* dixit:

Comatos inter famulos pubemque canoram.

Et Seneca Ep. 119. de Pocillatore, *ſi pertinere ad te judicas quàm CRINITUS puer, quam perlucidum tibi poculum porrigat*, non ſitis. Quid autem de veſtitu, nam hunc ſingulari modò adornatum video. De veſtitu, reſpondit DULODORUS, optimè convenit Philo de vita contemplat. *Triclinia*, inquit, *lectos habent eburneos, aut teſtudineos, aut pretioſiores materiâ, gemmatos pleroſque, ſtratos auro, intertexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis, oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digeſtorum per ſuas ſpecies. Præſto ſunt enim Scyphi, Calices, Phialæ, Thericleæ, toreumataque clarorum artificum, miniſtrantibus FORMOSIS MANCIPIIS, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quàm ad exhilarandos adſpectu convivis oculos. Ex his minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, LOTI & NITIDI, FUCATIque ac CINCINNATULI; ALUNT enim CAPILLITIUM*, vel omninò *INTONSI*, vel à *FRONTE* tantùm, præſciſis in orbem *crinibus, tenuiſſimas candidasque PRÆCINCTI TUNICAS, anteriore parte ad GENUA DEMISSAS, poſteriores ad poplites, UTRINque MOLLIBUS TENIIS adſtricti commiſſuras tunicæ, PROPENDENTIBUS AD LATUS SINUBUS.*

Quid

Quid clarius ad propositum dici potest? sunt quædam, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ non conveniunt, ubi enim tunica posteriore parte ad poplites demissa? ubi sinus ad latus utrinque propendentes? Loco sinuum, respondit DULODORUS, sunt cirri illi utrinque dependentes, de quibus Phædrus L. II. fab. 5.

Ex alticinctis unus atriensibus
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus:

Neque enim capillos sub iis intellexeris, sed omninò *cirros lintei pelusiaci*, quô tunica ab humeris destricta dicitur, eô planè modô, quô in nostro sigillo visitur. Succinctos sanè ministrasse, non pocillatores tantùm, sed in genere omnes servos, ex pluribus Authorum testimoniis patet. Ita Horatius lib. 2. Sat. 8.

Puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam præterfit.

Et iterum: *Ut omnes*
PRÆCINCTI rectè pueri COMTIque ministrent.

Et Seneca de brevitate vitæ, cap. 12. *Convivia horum non posuerim inter vacantia tempora, cùm videam, quàm sollicitè argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum suorum TUNICAS SUCCINGANT.* Adeò scilicet hoc verum est, ut Petrus Chrysologus *Cingulum* ejusmodi, *servitutis insigne* putârit: *Cingulum*, inquit, *propriè est servitutis indicium, quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes.* Sed hactenus de Hominibus, Hominumque officiis quibusdam. Addo & Animalia, sed talia potissimùm, quæ Poetica veterum licentia procudit. Procedit

GRYPHUS
DRACONI INFESTUS,



Cujus generis duos servamus. Elephantos, inquit ARCHÆOPHILUS, Draco-

Draconibus in festos novimus. Quis autem hoc afferat de Grypho animali ...ctitio? Quidni potius Mystica hîc interpretatio locum habeat, cùm uterque & Gryphus & Draco Soli facer sit? Mysticam interpretationem, respondit DULODORUS, non exclusero, & forsitan non absurdè ad Solis vim in rebus terrestribus respicies, eôdem modô, quô & in Mithra Taurum mactante: Ne tamen de Grypho Draconibus infesto abs authoritate me loquutum existimes, audi Philostratum de vita Apollonii Lib. III. c. 14. circa fin. ὃν δορύττουσι χρυσὸν οἱ γρύπες, πέτραι εἰσίν· τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ἰνδοις, καὶ ἱεροὺς νομίζεσθαι τοῦ ἡλίου μέγεθός τε καὶ ἀλκὴν εἰκᾶσθαι αὐτοὺς τοῖς λέουσιν. ὑπὸ δὲ πλεονεξίας τῶν πέτρων αὐτοῖς τε ἐκείνοις ἐπιτίθεσθαι, καὶ τῶν ἐλεφάντων τὲ καὶ Δρακόντων ὑπερτέρους εἶναι. *Aurum, quod Gryphi effodere dicuntur, Petræ sunt. Sunt enim hujusmodi aves in India, & Soli sacræ esse perhibentur, Magnitudine autem & viribus leonibus pares illas esse tradunt, & ob petrarum cupiditatem sibi invicem insidiari: Elephantos quoque ac DRACONES SUPERARE.* Quid his apertius? Fabulosa fuit Antiquitas, reposuit ARCHÆOPHILUS. Inde quid mirum, si pro veris ficta ediderit? Figmentum Gryphes esse, nemo hodie nescit: quamvis unde id ortum traxerit, non omnes perinde nôrint. At nihil clarius est, respondit DULODORUS; Quis enim non videt, ex Aquila & Leone Gryphos componi? cùmque illa in aëre, hic in terra principatum obtineant, facilis inde conjectura surgit, Potentiam Solis adumbrari, quæ & animalia domat, & aurum excoquit.

SPHINX ÆGYPTIA



Procedit, qualiter itidem duas possidemus ex Marmore rubro, quod πορφυρίτης dicitur. De Sphingibus, inquit ARCHÆOPHILUS, supra ad Numismata Chiorum dictum est. Differentiam ibi inter Thebanam & Ægyptiam edoctus sum, quòd illa alata, hæc autem sine alis, & capite stolâ velatô fulserit: Quod cum & in proposita fiat, eò facilius afferto Tuo acquiescere possem. Sed dubium ex Tab. Isiaca surgit, in qua Sphinx non absque, sed cum alis

 cerni-

cernitur. Id rarius fit, inquit DULODORUS, & vel more Græco, vel ex ratione speciali. Differentiam sanè in nostris non inficiaberis, uti enim in superiore alæ apertè desunt, ita in sequente



vel ex vestigiis noscuntur adfuisse, quam proinde non Ægyptiacam, sed omninò Thebanam judicabis. De Sphinge Thebana, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium movet Sphinx Ætolica, cujus Athenæus meminit, Athenienses inducens Demetrio occinentes, *Sphingem, non quidem Thebanam, sed totam Græciam pervagantem Ætolidem confice ac extermina, quæ insidens saxo, ut quondam illa Thebana, omnium nostrûm abstulit direpta corpora.* Risit DULODORUS, & quis unquam, ait, Sphingis Ætolicæ simulacrum descripsit? Impropria Atheniensium locutio est, intelligendaque, vel Casaubono judice, de Duce aliquo Cassandri, collocato in arce quadam Ætoliæ, unde in Atticorum fines impunè excurrebat. Multo aliter cum Sphinge Thebana res agitur. Hujus formam Mythologia determinavit, Genealogiam tradidit, facta & interitum descripsit. Imò nec hoc indubiè, perrexit ARCHÆOPHILUS; licet enim communis opinio talem fingat, qualem hîc cernimus, Clearchus tamen, citante Natali Comite, caput & manus Puellæ, corpus Canis, vocem Hominis, caudam Draconis, Leonis ungues, alas Avis illam habuisse scribit: Et Asclepiades Myrleanus priores corporis partes Leonis, posteriores autem Hominis facit, quod utique receptæ figuræ ex asse contrariatur. Quid hi scripserint, quid non, respondit DULODORUS, jam non moror. Antiquitatis monumenta talem tradere, qualem exponimus, in confesso est; Si Numismatibus minus credas, Licetum adi, & videbis eandem ex Gemma tam infelici Divinatori infestam, quàm coram Oedipo saxo insidentem. Memini, excepit ARCHÆOPHILUS, & quidem ubi infelicem Divinatorem occidit, multis mammis insignem, ut & in proposita; Sed id miror, cùm ex *Leone*, non ex Leæna, & *Virgine* Poëtis conjuncta feratur. Similem, regessit DULODORUS, videas etiam in Numismate Gentis Carisiæ apud Ursinum, ut ita authoritas non desit, quamvis mammæ virgineæ ad demonstrandum genus sufficere possent. An

&

& Sphinges masculi fuére? interrogavit ARCHÆOPHILUS; Talem, respondit DULODORUS, memorat Philemon apud Athenæum p. 659.

Σφίγγ' ἄῤῥεν', οὐ μάγειρον, εἰς τὴν οἰκίαν
Εἴληφα.
Sphingem MAREM domum, non coquum,
Adduxi.

Quod & ipsum tamen impropriè intelligendum, quod scil. Coquus nova vocabula comminisceretur, adeòque Sphingi similis esset ænigmata proponenti. Sphingem enim abstrusæ sapientiæ symbolum esse, indeque & Minervæ sacratam, & ante Ægyptiorum templa positam, jamdudum patet, adeò ut ratio figmenti ex his clarissima sit. Ex virgine & Leone composita est, excepit ARCHÆOPHILUS, an quòd Quintili & Sextili mensibus, quorum in tutela Leo & Virgo sunt, exuberet Nilus? Ita Pignorius, respondit DULODORUS; sed mihi potius ad sapientiam respicere lubet, quæ licet robore Leoninô prædita sit, formam virgineam tamen pulchritudine suâ præfert, imò & aquilas celeritate superat, quæ causa credi potest, quòd & alæ fuerint additæ. Sed

HARPYIA



Sequitur, quam ut noscas, non aliô, quàm Virgilii testimoniô opus est; Is enim tam graphicè Harpyias descripsit, ut de nostra dubitare ne possis quidem:

Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

Volucres appellat, & *virgineos* eis tribuit *vultus*; quid clarius dici potest? Fateor, inquit ARCHÆOPHILUS; sed memini Natalem Comitem ex Isacio præter faciem Virgineam Harpyis etiam aures ursorum, humana brachia, humanosque pedes tribuere: Et de brachiis videtur etiam Virgilius intelligendus, dum *manus* eis tribuit. Manus, regessit DULODORUS, pro unguibus Virgilio positas, Servius author est, idque ex Epitheto intelligas, quô *uncæ* vocantur, id quod Harpyiæ nostræ apprimè convenit. Natalis Comes, aut si mavis Isacius, Harpyias cum Sirenibus confundere videtur, nam his brachia Poëtas tribuisse, dubitari non potest; Talis enim visitur in Nummo Gentis

Petroniæ, tales in veteri monumento apud Fabrettum in Addendis, ubi Tirones has cum Nereidibus, ait, confundere. Harpyias ſanè idem Natalis Comes etiam cum Stymphalidibus confundit, quæ tamen roſtro abominandæ, non facie Virgineâ decoræ fuére, uti latius ex Pauſania in Arcadicis videre eſt, & clariſſimè patet ex Numiſmate, quod Cel. Patinus in Theſauro Mauroceno protulit. Pauſanias, inquit ARCHÆOPHILUS, Stymphalides ſuâ adhuc ætate in Arabia fuiſſe teſtatur, indeque eas in Arcadiam arbitratur devolâſſe. Fuerunt igitur in rerum natura Stymphalides; Harpyiæ autem non dubito, quin figmentum fuerint. Rectè ſentis, excepit DULODORUS, nam & ipſum nomen fabulam prodit. Harpyiæ ἀπὸ τῶ ἁρπάζειν dictæ ſunt, *quod omnia rapiant*. Eſt tamen ratio in Phyſicis. Vim & naturam Ventorum iis adumbratam arbitrantur, quòd hi non minus ac Harpyiæ omnia rapiant, quæ non rapiunt fœdata relinquunt. Inde Harpyiæ Apollonio *Canes Jovis* dicuntur, qui & plura de iis ſcripſit: Inde orta & diverſa earum nomina, *Ocypete* à celeritate volatûs, *Aello* à procella, *Celæno* ab obſcuritate nubium, quæ ventis impelluntur. Inde & *alatæ* & *fœminæ*, ob levitatem ſcilicet & celeritatem, quæ omnia latius videri poſſunt apud allegatum Nat. Comitem. Succedit

APER CALYDONIUS.



Aprum video, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ex ære artificioſiſſimè elaboratum: An autem *Calydonio* is addicendus ſit, dubito. Quidni enim vel *Crommyonius* vel *Erymanthius* poterit eſſe, cùm illum Theſeus, hunc Hercules ſuperaverint? foramen ſanè, quod infra viſitur, tantæ latitudinis, ut digitus immitti poſſit, apertè evincit, baſi cuidam impoſitum, & honori Dei cujusdem dedicatum fuiſſe. Prius, reſpondit DULODORUS, facilè ceſſerim, poſterius autem quî ſtringat, non video. Quid enim, ſi Venator quidam Apri Calydonii ſimulacrum, in virtutis incitamentum ſibi curaverit fieri? Quid ſi aliquis ab Ætolica ſtirpe generis ſui gloriam ſub eo venditârit? Arpani certè, licet non à Meleagro, ſed à Diomede deſcenderent, tamen ut ſuprà vidimus, eundem Aprum Numiſmate expreſſére. Aper in eo ſtat, inquit ARCHÆO-

PHI-

HILUS, propositus autem posterioribus pedibus subsidet, prioribus nec fis omninò erectis. Habitus hic, respondit DULODORUS, contra majo-m vim nequicquam luctantis est, & similis ferè in MSto Pighiano Calydonius situr: Adeò ut & hinc constet, propositum non perperam ei addictum esse. Quod Suem Crommyoniam attinet, hanc vel sexus removet; Matrem Apri Calydonii fuisse, Strabo author est. Locum ad Gemmam Thesei protuli. Masculus item sexus in proposito clarior est, quàm ut dubitari de eo possit. Quid autem d Erymanthium dices? excepit ARCHÆOPHILUS: Nonne hic vel ipso nitentis habitu arguit, eô modô effictum, quô Hercules eum, antequam nceret, è quodam fruticeto memoratur extraxisse? Si hoc arbitreris, respondit DULODORUS, vehementer equidem non restitero, quanquam bicunque Herculis labores adumbrantur, non eô modô præfiguretur Erymanius Aper, quô è fruticeto extractus, sed eô, quô humeris Herculeis impositus ad Eurystheum allatus est. Ego cum fabula utriusque nota sit, relictâ uilibet judicii libertate, pergo. Sequitur

LEO
DORMIENS.



Qualiter duos ex marmore flavo ELECTORALIS GAZA asservat, non sperendô Artificis ingeniô, cùm Leones ut plurimùm flavos esse, vel pueris notum t.

Credula nec FLAVOS timeant armenta LEONES.

nquit Horatius; quanquam id perpetuum non sit. Nigros recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, de quibus suprà ad Gemmas probasti; sed me dormientis habitus afficit, cùm Leones oculis apertis dormire, imò & tertiô denum die expergisci tradantur. Emblemata inde deducta, respondit DULODORUS, videas in Picinelli Mundo Symbolico. De Leonis autem omno & illud notandum, quod Oppianus tradit, Eum non in scopulorum extremitatibus, sed apertè dormire: Imò & inter dormiendum audacem animum ersare: Dormire autem, ubicunque eum mox occupaverit. En verba ex ib. III. v. 50. seqq.


Ουδ' ὕπνιν μυχάτοισιν ἔχει περὶ τέρμασι πέτρης.
Αμφαδὸν ὑπνώει δε θρασύφρονα θυμὸν ἐλίσσων
Ἔνδει δ' ἔνθα κίχησιν ὑπείροχος ἑσπερίη νύξ.

Coronidis locô

ANIMALIA DIIS SACRATA





Se ſiſtunt, & quidem *Leo* Soli, *Aries* Mercurio, *Hircus* Pani, *Gallus* itidem Soli, *Noctua* Minervæ, *Teſtudo* Veneri. Leonem, inquit ARCHÆOPHILUS, Soli ſacratum equidem conſtat, cùm autem hic Leo Solem teneat, ego potius Solem in Leone agnoſcerem. Res eôdem cadit, excepit DULODORUS; ideò enim Leo Soli ſacer creditur, quòd hujus in Leone vis acerrima ſit, uti alibi deduxi. Arietem Mercurii, perrexit ARCHÆOPHILUS, ſimul cum ratione Conſecrationis ex Pauſania quidem edoctus ſum, appoſitum ſcilicet Mercurio Arietem ideò, quòd is præ cæteris, gregibus præeſſe credatur; Sed & memini ex eodem, Arietem interdum ad aureum vellus reſpicere, ideòque Thyeſtæ ſepulchro impoſitum, quòd is fratri id ſurripuerit, cùm ejus uxorem ſtupri conſuetudine ſibi conciliaſſet. Si huc reſpicere Tibi lubet, inquit DULODORUS, per me id liceat: Quanquam de Mercurio res clarior ſit; Idem enim, ingruente apud Tanagræos peſte, Arietem circum muros

por-

portâsse, eôque factô malum avertisse memoratur, & deinceps apud eosdem κριοφόρε cognomine cultus est. Sed ad Hircum abeo, quem Pani sacrum suprà ad Panos annuum vidimus. Imò, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam ipsum Hircum divinis honoribus apud Mendesios affectum, ibidem ex Herodoto dictum est. Quid igitur, si non animal Deo sacratum, sed ipse Deus hîc lateat? Id nec affirmavero, respondit DULODORUS, nec negavero, quanquam res eôdem casura sit. Cæterùm villosus est hic Hircus, quales Cinyphios Africæ fuisse, Probus author est, & de quibus Virgilius in Georg.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent Hirci, setasque comantes.

De barba, inquit ARCHÆOPHILUS, mirum est, quod Plinius ex Magonum commentis refert, *Hircorum rabiem, si mulceatur barba, mitigari: eâdem præcisâ eos non abire in alienum gregem.* Id nihil mirum, perrexit DULODORUS; Barbæ fiduciâ Hircum gregem præcedere, Ælianus prodit, quanquam in cornibus præcipuum ejus robur consistat; Sed Gallus sequitur, quem & ipsum Soli sacrum dixi. Eundem, iteravit ARCHÆOPHILUS, utique etiam Minervæ Operatrici sacrum, supra ex Pausania docuisti, imò & Æsculapio & Marti, quorum alterum ad Numisma Selinontiorum in Sicilia, alterum ex fabula constat. Inficias non eo, regessit DULODORUS, præcipuè quod de Minerva adfers. De Marte notandum, non tam sacratum huic esse, quam invisum, quâ ratione & Mortem addere potuisses. Morem enim fuisse, ut Morti Gallus Gallinaceus, sicut & Marti & Æsculapio, aliquando immolaretur, quòd ea victima Nox lætaretur, ut silentium eum infestante, ac sæpius perturbante, Natalis Comes L. III. c. 13. Mythol. tradit. Egregiè sanè, subjecit ARCHÆOPHILUS. Morti & Æsculapio: an quod Medicorum eadem cum Morte merita sint? Bona verba quæso! perrexit DULODORUS, Mors vitam adimit, Medici reddunt, id quod de Æsculapio fertur; Indeque, licet Victima utriusque eadem sit, eadem tamen non est ratio. Sit Morti Gallus victima, quod quietem turbat; At Æsculapio sit, quod diei Solisque nuncius. Æsculapius Phœbi filius, divinam beneficentiam morborum omnium curatricem innuit. Divinæ autem beneficentiæ quid gratius feramus, quàm quod ab ea accepimus? Non mea est hæc interpretatio. Marsilius Ficinus eam suppeditat in Argumento ad Platonis Phædonem.

Noctua subit, Minervæ sacra, quòd etiam noctis tenebras visu superat, id quod prudentiæ, imò & fortitudinis genium adumbrat, quarum utraque sub Minerva intelligitur. De Prudentia, infit ARCHÆOPHILUS, res clara est, de fortitudine non item; Quid enim? an Noctua unquam fortitudinis symbolum fuit? Fuit, dum Minervæ sacra, respondit DULODORUS; Ut enim illa tenebras superat, ita & fortitudo pericula. Quicquid sit: De Minervâ, nemo tam in Antiquitatibus hospes est, qui nesciat. Secus autem de Testudine Veneris. Testudinem, regessit ARCHÆOPHILUS, Peloponnesi symbolum esse, ad Numisma Ægiorum dixisti, Veneri autem sacratam nondum inaudii. Pausanias rem edocet, inquit DULODORUS, in Eliac. post. *Venerem Cœlestem* memorans, *altero pede Testudinem prementem.* Rationem Author iis inquirendam relinquit, quibus ejusmodi res curæ sunt. Sed non arbitror obscuram, cùm ex oppositione Veneris πανδήμε, quæ hirco insidere

dere memoratur, facilis conjectura ſit, eam cœleſti junctam ob modeſtiam, quòd Virgines & Nuptæ domi ſe contineant, uti Hircus πανδήμῳ ob vagam libidinem. Rationem ſuppeditat Pier. Valerianus, qui & *mulieres ligneas teſtudines ſecum portaſſe* tradit, *quas Veneri dedicarent*, id quod inde colligit, quod Theſſalæ Matronæ Laida meretricem, Zelotypiâ concitatæ, *ligneis teſtudinibus* in templo Veneris memorantur interemiſſe. Sed ſubſiſto.

Commodè ſubſiſtis, inquit ARCHÆOPHILUS; Reliqua enim, quæ huc pertinere poſſent, vulgaria videntur, & vel ex hactenus dictis lucem trahunt, vel eâ non indigent. Antiquitatis reliquiæ, excepit DULODORUS, adeò ſteriles non ſunt, ut non aſperſis hiſtoriarum floſculis placere poſſint vel vulgatiſſimæ; Tibi autem, cùm ita videatur, ulteriore colloquio hodie gravis non ero. Abi AMICE! & fatigatos Antiquitatum contemplatione ſpiritus refice! At quo ſpectaculo? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Canalis, reſpondit DULODORUS, quem hac in urbe ELECTOR NOSTER magnificentisſimè refecit. Benè mones, inquit ARCHÆOPHILUS, jamdudum enim hujus fama mihi ſalivam moverat. His dictis DULODORO valedixit, & abiit.







Rrita Memphiticæ rubeant molimina Fossæ:
Conatu rubeat Roma Corinthiaco.
Æquora BRENNONICÆ junxit prudentia DEXTRÆ
Quod vix Nilus opus, non potuit Tyberis.


His verbis ARCHÆOPHILUS, solitô sibi nore, poëticôque afflatus Spiritu, & ad Antiquitatis Gazas regressus, & DU-ODORUM affatus est; Quid enim, pergebat, aliud optavit Antiquitas, uàm deductis Canalibus Rubrum Mare Mediterraneo, Ægæum Jonio jungi? sed etus illud distulit, hoc Fata prohibuere. Felicior, imò & Ingeniosior HEROS RANDENBURGICUS fuit, qui fossis flumina, fluminibus Maria junxit: tam tili inventô, ut merces, quas antea Odera in Balthicum vehebat, hodie Sueus in Albim, Albis in Mare Germanicum evolvat. Verbis id mihi significasti, DULODORE; sed re præsenti oculô lustratâ immensa me voluptas cepit, on tantùm quòd Retinaculis passim aquarum impetum coerceri, sed & quòd efectum suppleri viderim, non operibus fluxis, sed tantâ firmitate constrututis, ut nec Posteris defutura sint. Rectè judicas, inquit DULODORUS; d enim, quod antea *Ligneum* erat, ELECTOR NOSTER *lapideum* fecit: non udi horrore, sed cæsis & concatenatis ingentibus saxis. Rem vidi, inquit AR-HÆOPHILUS, & quidem hac ipsa in Urbe Regia, indeque quod *Augustus* de *oma* jactavit, id non dissimili ratione BRANDENBURGICUM MONARCHAM e *Berolino* dicere posse, haud degener testis imposterum prædicabo. Id agis, xcepit DULODORUS, unicâ Fossâ lustratâ: Quid faceres, si & reliquaum notitia subiret? An plures, excepit ARCHÆOPHILUS, gloriæ faulantur? Famulantur, inquit DULODORUS; Quem enim fugiunt Caales *Trottæ*, *Wettini*, *Rotenburgi*, *Alslebiæ*, & *Culbæ* Annis 1694. 1695. 1696. onfecti? Quem fugit Canalis *Gimrizensis*, cujus fundamenta anno 1696. die 5. Junii jacta sunt? quô tempore non elumbi quidam calamô ELECTOREM OSTRUM affatus,

 SALAM

SALAM, inquit, *SALUM facis*,
Et Carbasis ornas, & Cataractis armas,
Ut HALÆ ad SALAM SALUS saliat nova,
Et VITULUS Tibi sit TITULUS,
Et ALSLEBIA Vita,
Et ROTENBURGUM Munimentum,
Purpuræ Tuæ & famæ monumentum:
Et WETTINUM Gloriæ WITTEKINDI II. memoria,
Et TROTA Magnificentiæ Tuæ Nota,
Et HALA, Tua, id est, SALAMONIS, Hala.

Eleganter hoc, inquit ARCHÆOPHILUS; sed non ultra rei meritum! Naturam enim obnoxiam video. Quod illa negavit, ingenium & potentia PRINCIPIS effecit: Indeque quid miret commerciorum florem? cùm tantâ passim facilitate promoveantur? Non inutili consiliô id fit, excepit DULODORUS. Commerciorum fervor, Reipublicæ felicitas est: Et fatendum, Augustâ ELECTORIS NOSTRI providentiâ, non Mercatores tantùm, sed & opifices tantâ frequentiâ, tantô ingeniô & opulentiâ crevisse, ut quod olim ex Gallia Tota ferè Germania petiit, hodiè *Berolini*, aliisque in Ditionum Brandenburgicarum urbibus invenias. Si huc descenderem, exclamavit ARCHÆOPHILUS, adhuc longa se sisteret Panegyrici materies. Sed Antiqua præmittere placet, ut his debita cum attentione lustratis, simul elucescat, quantò felicius & in his sub JOVE MARCHICO vivatur. Morem gero, inquit DULODORUS, & commodè quidem, cùm Veterum Instrumenta adhuc supersint, ut Opificum solertiæ, ita & Fortunæ Sæculi non obscuri testes. Scenam aperit

ARA NEPTUNI;



Huic enim Deo dicatam, ex affictо inter Delphines Tridente planum est. Tridentem

dentem certè, & Delphines, Neptuno sacratos nemo nescit: Et aras Neptuno poni solitas, frequens Authorum suffragium docet. Exempla audire lubet, inquit ARCHÆOPHILUS; his enim examinatis facilior forsan erit de proposita judicandi facultas. Memoria Ejus subeat, respondit DULODORUS, quam Romulus Neptuno Equestri in Circo posuisse Plutarcho memoratur: Subeat earum, quas Pausanias memorat, vel in Templo Delphico, vel Neptuni Isthmii, vel Laoetæ. Ad Templum Delphicum, excepit ARCHÆOPHILUS, forsan Delphines respiciunt. Delphines, respondit DULODORUS, potius imperium maris denotare videntur; ideò enim Delphinum Neptunus præfert, ideò Delphinum bigis vehitur, ut ex Nummo Tarentinorum patet. Si huc respicias, inquit ARCHÆOPHILUS, Neptuni *Regis* hæc ara erit; hanc enim & Tridens, Regium Neptuni Sceptrum, demonstrat, non minus ac in Numismatibus Troezeniorum; Sed heus, DULODORE? Annon minor est hæc ara, quam ut hostiis immolandis credi possit inserviisse? Omninò, respondit DULODORUS. Notandum autem non hostias tantùm Diis mactatas, sed & Thura crementa, idque super aras. Inde certè *aræ Thuricremæ* apud Virgilium & Lucretium leguntur. Id facile dedero, subjecit ARCHÆOPHILUS; Proposita autem ob nimiam parvitatem sua munia ne sic quidem credi potest obiisse; indeque potius majoris cujusdam ectypon videtur statuenda, ideò effictum, ut formam posteritati adumbret. Eò dilabi, respondit DULODORUS, nescio an necesse sit; Quidni enim in Larariis Privatorum, ubi parva Deorum simulacra asservabantur, de quibus Juvenalis Sat. 12.

Inde Domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.

Quidni, inquam consentaneum sit, in iisdem parvas etiam ejusmodi aras fuisse adhibitas? præsertim cùm idem Poeta addat:

Hîc nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo.

Parvi certè etiam Sacelli, aræque juxta positæ, meminit Ovidius in Fastis:

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello.

Neque enim Neptuni tantum: Sed &

ARA BACCHI



Tam minuta nobis præſtò eſt: Ara inquam, ſeu potius Geminum ejusdem latus; neque enim placet ſententia Bellorii, qui *Tripodis* hæc *latera* inſcripſit. Bellorii ſententia, excepit ARCHÆOPHILUS, adeò abſurda non videtur; Quid enim ſi tertium latus deſit? Hoc ego non nego, reſpondit DULODORUS, ſed hâc ratione non Tripodem, ſed Aram trium laterum conſtitues; Quanquam enim & Tripos Baccho ſacer fuerit, uti ex Athenæo patet, in ſacris tamen ejus Tripos rarius, Ara autem vulgò memoratur. Ita Virgilius de ſacrificio Bacchi:

Et ductus cornu ſtabit ſacer Hircus ad ARAM.

Baccho hanc aram tribuis, inquit ARCHÆOPHILUS: an autem ratione ſatis valida, ignoro. Quidni enim Fauni ſit? cùm Faunos hæc latera præferant, & Fauno immolatum Horatius teſtetur?

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis.
Seu poſcat agnam, ſive malit hœdum.

Non Fauni, reſpondit DULODORUS, ſed Bacchantes hanc aram decorant, & eô quidem habitu, quô Bacchi oeſtro afflati ſubſiliunt. Projecta ſub pedibus *Amphora*, *Thyrſus* in dextra, *Cantharus* in ſiniſtra Bacchi aſſeclas indubie demonſtrant, ut *pellem hinnuleam* taceam, taceam & *Tibias*, & quidem *pares*, de quibus plura Bartholinus de Tibiis. Faunorum, excepit ARCHÆOPHILUS, hic habitus etiam in ſuperioribus fuit, indeque cur hos amoveam, non video. In ſuperioribus, reſpondit DULODORUS, præter Bacchicum furorem & inſignia Bacchica, vel Cauda, vel Aures acutæ, vel aliud quid Faunos determinabat: In propoſitis autem nihil tale cernitur. Si tamen Faunos hos eſſe acriter contendas, obſtinatè non reſiſtam, cùm caudæ à tergo abſconditæ credi poſſint: modò rurſus mihi concedas, Faunos hos non ut Fauni, ſed ut Bacchi cultores hîc ornari, adeòque aram non Fauno, ſed Baccho fuiſſe ſacratam. Sed pergimus. Sequitur

TRI-

TRIPOS,




Quem hîc proponendum censeo, quòd & ipse sacris, licet non solis, inservierit. Tripodem Apollini dicatum, inquit ARCHÆOPHILUS, vaticiniique instrumentum fuisse, ex Pausania recordor. Non vaticinii tantùm, respondit DULODORUS, imò & sacrorum; Id enim apertè testantur Numismata, in quibus Imperatores non rarò Tripodibus cum pateris assistunt: ut taceam usum profanum, quô in conviviis Tripodes, mensæ loco apponebantur, qualem suprà inter Gemmas vidimus. Usum hunc, reposuit ARCHÆOPHILUS, parvitas amovet. Si hoc arbitreris, subjecit DULODORUS, en alium in ludis. In his Tripodes præmii locô victoribus datos, ex Athenæo & Pausania docemur; quanquam, ne quid dissimulem, propositum, non minus ac superiores aras, in Larariis adhibitum cum Causæo arbitrer, non quidem ut Laribus tantùm, sed ut & aliis Diis, & Apollini potissimùm, Thura adolerentur. Quicquid sit, Tripodum æreorum, qualis hic noster est, meminit Homerus Odyss. ο. ubi ἐυχάλκυς vocat:

Ἠέ τινα τριπόδων ἐυχάλκων, ἠὲ λεβήτων.

Ut eos taceam, quos Amyclis fuisse, eosque quos de Messeniorum spoliis Pausanias memorat. An adhuc, inquit ARCHÆOPHILUS, ex alia materia Tripodes fiebant? Omninò, respondit DULODORUS, *aureum* super æneum Draconem, *Ligneos* item, & *fictiles* idem Pausanias recenset. Sed hæc parum ad rem. Sequitur

PATERA FICTILIS.



Quàm ideo præmittendam censeo, quòd fictilia fusis ex ære, docente Isidoro, tempore priora sint; An etiam in sacris? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS: Testantur illa Juvenalis Sat. VI. v. 342. sequentib.

Quis
Sympuvium ridere Numæ, nigrumque Catinum,
Et Vaticano fragiles de monte Patellas
Ausus erat?

Quæ verba, licet non de Pateris, de usu tamen fictilium in sacris, quibus & Pateræ serviebant, apertè docent. Paterarum in sacris usum, excepit ARCHÆOPHILUS, negare non ausim. Frequens est earum memoria in Numismatibus. Sacrificantes in iis, & vota concipientes, pateras plerumque præferunt, indeque Virgilius:

PATERIS libamus.

Et alibi:

Ipsa tenens dextrâ PATERAM pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Licet autem allatis in Satyrici versibus Pateræ mentio non sit, est tamen *Patellæ*, est *Catini*: Et quid Patella, quid Catinus à Patera differunt? Differunt & formâ & usu, respondit DULODORUS. Patera potulentis, Patella & Catinus esculentis serviebant. Patella labris muniebatur, quæ à Patera absunt: Catinus profunditate turgebat, quàm nec ipsam in Pateris tantam requiras; sed res clarior erit, ex rebus ipsis, quas suô locô proponam. Sequitur

PATE-

PATERA ÆREA.



Ubi notandum cum Laur. Pignorio ad Menſam Iſiacam, uſum *ǣreorum* in ſacris vel præcipuè fuiſſe probatum: Quod adeò verum eſt, ut in tota noſtra Supellectile Antiquaria, præter fictilia, nullum ſacrorum inſtrumentum, niſi ex ære ſuperſit, Quanquam negari non poſſit, ſuccedentem luxum etiam argentea & aurea invexiſſe; ita enim Virgilius loco ſupra citato:

Pateris libamus, & auro.

Benè hæc, inquit ARCHÆOPHILUS: An autem ad propoſitum? dubito; Inſcriptio enim non ſacris hanc dicatam, ſed amico cuidam donatam evincit. Ita habet:

A. EPTUNOLENA PETR. MAISIO DONO.

Rem probè obſervas, reſpondit DULODORUS. Inſcriptio aperta eſt, quamvis obſcurum mihi ſit, quis Ille *Septunolena?* quis item *Petrus Maiſius* fuerint? Sed quæsò, ARCHÆOPHILE: An donum uſui ſacro contrariatur? Sanè nec eum confirmat, ſubjecit ILLE; Quidni enim uſui profano credatur hæc Patera inſerviiſſe, ſi conſtet, Antiquos etiam pateris bibiſſe?

Ille impiger hauſit
Spumantem Pateram.


Canit Virgilius Lib. I. Æneid. v. 738. Nec hoc inficias ibo, reſpondit DULODORUS: quanquam, quid inde colligere poſſis, non videam; Uſum certè ſacrum non metallum tantùm, ſed & parvitas evincunt, ut figuram taceam, taceam & pondus, quod vel in parva majus eſt, quàm ut uſui quotidiano credi poſſit fuiſſe deſtinatum. Pateram *Gravem* in ſacris memorat Valerius Flaccus Argonant. V. v. 193.

Ipſe gravi paterâ ſacri libamina Bacchi,
Ritè ferens umbram vocat, & ſic fatur ad aras.

Sequitur

PATE-

PATERA
MANUBRIATA,



Quam ita appellare licebit ad imitationem Palladii, qui *ferrulam manubriatam:* Et Ammiani, qui *Manubriatum cultrum* dixit. Pateras Manubriatas, inquit ARCHÆOPHILUS, Nobilissimus Causæus protulit, sed illæ à proposita diversæ sunt. Imò nec sunt Pateræ, respondit DULODORUS; Pateræ enim non sunt vasa tantùm patentia, sed vasa cum profunditate aliqua patentia: quod inde planum est, quia sive in sacris, sive ad mensam, utrinque tamen liquoribus excipiendis, indeque vel fundendis vel bibendis serviebant. Illis autem in instrumentis, quæ Causæus protulit, quæ quæso liquoribus excipiendis profunditas, cùm tantùm non plana sint? Id plenius in sequentibus demonstrabo, nam & nobis talia instrumenta præstò sunt. Nunc ad propositam pateram manubriatam regredior, quam Græci Ἄμνιον dixere, ut ex Homero Od. Γ. v. 442. constat:

> Πέλεκυν δὲ μενεπτόλεμος Θρασυμήδης,
> Ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο βοῦν ἐπικόψων,
> Περσεὺς δ' ἌΜΝΙΟΝ εἶχε.

Ἄμνιον, inquit ARCHÆOPHILUS, his in versibus lego; an autem pro *Patera* ea vox posita sit, fateor me hactenus ignorare. Docebit Eustathius, respondit DULODORUS; is enim ad hunc locum: Ἀμνίον, inquit, τὸ τοῦ αἵματος, ὅ ἐστι τοῦ ἀποσφάγματος, δεκτικὸν ἀγγεῖον, *vas quo jugulati animantis sanguis excipitur.* Idem & Cretensibus ἄμνιον, testatur dictum, ἀγγεῖον εἰς ὃ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων ἐδέχοντο, αἱμνίον τὶ ὂν παρὰ τὸ αἷμα, unde & Suidæ αἵμνιον dicitur, quam vo[illegible] & Hierapytnus in usu fuisse, Prosilus apud eundem Eustathium testatur, [illegible]e & Apollodorus accedit, verisimile arbitratus, & Poetam αἵμνιον scripsisse,

alios

alios autem detractô I. & mutatô ſpiritu, repoſuiſſe Ἄμνιον, ſed huic calculum negat Bochartus in Hierozoico, Ἄμνιον origine Syriacum ſtatuens. Quicquid ſit, Atticis id vaſis genus etiam σφάγιον dicebatur. De eo Julius Pollux L. X. c. 24. σφάγιον ὁ ὑποδέχεται τὸ αἷμα τῶν ἱερείων. Luculenta hæc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, de voce diſquiſito: indeque intelligo vaſis genus, quô ſanguinem victimarum antiqui ſuſcipiebant, & Ἄμνιον & ἄιμνιον & σφάγιον dictum eſſe: Imò nec inficias iero, tale vas, propoſitum eſſe poſſe; commode enim victimæ ſanguinem eò exceptum, & profunditas & latitudo arguunt, ut manubrium taceam, quod ideò additum credi poteſt, ne manus tenentis ſanguine reſpergeretur. An autem ἄμνιον, aut tale vas, *Patera* appellari poſſit, vel ideò dubitavero, quia Patera hactenus non niſi ſine manubrio apparuit. Si de Ἀμνίῳ fateris, reſpondit DULODORUS, fatearis neceſſe eſt etiam de Patera; id enim vas, quò ſanguinem victimarum excipiebant, quodque Ἄμνιον Homero, Atticis σφάγιον dictum, ſuprà demonſtravi: idem illud Virgilius *Pateram* indubiè appellat. Audiamus verba ex Æneid. L. VI. v. 248.

Supponunt alii cultros,

Ait de Victima ab Ænea Diis inferis mactatâ, additque:


Tepidumque Cruorem
Suſcipiunt alii PATERIS.

Ut Ciceronem taceam, qui in Bruto dixit:

Excipere ſanguinem paterâ.

Quid videtur, ARCHÆOPHILE? an locus addicit? Negare non audeo, reſpondit ILLE; ſed miror, in Antiquitatum reliquiis talem pateram manubriatam hactenus non prodiiſſe. Imò prodiit, reſpondit DULODORUS, viderique poteſt apud Choulium in marmore antiquo, pag. 290. Ed. Gallicæ Lyonnenſis de Anno 1556. Succedit

PATELLA



Quam ſi cum patera conferas, deprehendes, quam ſuprà tetigi, differentiam

formæ, quôd Labrum illud latius, quô illa carebat, in hac apertissimum sit. Patera & Patella, excepit ARCHÆOPHILUS, magnitudine tantùm videbantur differre; Quid enim Patella, si non parva Patera? Non *Patera*, respondit DULODORUS, sed *Patina*; Ab hac enim, & non à Patera, Patella nominatur, eôdem modô, quô à *Fiscina*, *Fiscella* dicitur: patetque etymologia etiam ex usu; Patella enim vas non potorium, ut Patera, sed Escarium fuit, ut Patina. Ita Ovidius L. 2. Fast.

Nutriat intinctos missa patella CIBOS.

Et Martialis L. 5.

Nec modica cœnare times olus omne Patella.

Quid vas escarium in sacris? subjecit ARCHÆOPHILUS. Id quod & potorium, respondit DULODORUS; Ut enim his liquores, ita illis esculenta diis apponebantur. Testis Varro in Manio: *oportet*, inquit, *bonum civem legibus parere, & Deos colere, in PATELLAM dare* μικρὸν κρέας. Ita & Turnebus: *PATELLA diis apponebantur epulæ, quum res divina Diis Penatibus Laribusve fiebat, aut de cœna eis libabatur: PATERA Vinum libabatur, THURIBULO Thus adolebatur, vaporabaturque:* Quibus ex locis, ut alia taceam, abundè patet, quod hîc probandum est, *Patellam à Paterâ usu differre*; quanquam nostræ eô conveniant, quòd propè Clivos, ad Pagum Santensem, in sepulcro inventæ sint, adeòque ad inferias pertinuisse, non abs ratione credantur. An esculenta, excepit ARCHÆOPHILUS: an potulenta etiam mortuis ponebantur? Diis manibus, respondit DULODORUS, indeque inferiæ videntur dictæ, quod partes sacrificiorum sepulcris inferrentur. Audi Virgilium:


Inferimus tepidi spumantia Cymbia lactis,
Sanguinis & sacri pateras

Et Juvenalem Sat. 5. v. 85.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

CATI-

CATINUS



Subit, quem à Patera profunditate differre dixi: hîc autem addo, & magnitudine; Magnus enim Catinus Horatio memoratur, Serm. 2. Sat. 2.

Porrectum magno magnum ſpectare Catino.
Vellem.

Horatio, excepit ARCHÆOPHILUS, eundem Horatium oppono: Idem enim Catinum *anguſtum* facit Sat. 4. Libri ejusdem.


Anguſtoque vagos piſces urgere Catino.

Magnitudinis gradus fuére, reſpondit DULODORUS, indeque ſi inter ſe conferantur alius aliô *minor* aut *anguſtior* rectè dicitur; ſi autem ad Pateras metiaris, vel minimus magnitudine diſtabit. Horatius locis allegatis nihil aliud dicit, quàm *piſces magnos magnis Catinis eſſe apponendos*, immaneque vitium meritò cenſeri, ſi tria millia ſeſtertiûm inſumas in piſces emendos, eos autem in parvis Catinis apponas: Graphicè autem, & ad propoſitum convenienter ait: *piſces urgere Catino*; eò enim apertè denotatur Catini profunditas, utpote cujus circumferentia piſcem urgeat, nec patiatur extendi: aliter ac in Patina, quæ tantâ profunditate non fuit, adeòque piſcem non urgeret, ſed liberâ extenſione vel ultra labra pateretur porrigi. Varro, excepit ARCHÆOPHILUS, Κάτινον Siculis dictum aſſerit, ubi aſſa ponebant. Quæ autem profunditas aſſis neceſſaria? Idem Varro, reſpondit DULODORUS, teſte Nonio, *Aquæ Catinos* dixit, eôque convenire tradidit curculiones, ut ipſi ſe necent: Ex quo loco profunditas Catini apertè adſtruitur, non minus ac verſu Perſei Sat. 5. v. 182.

Rubrumque amplexa Catinum
Cauda natat Thynni.

Ubi vox *natat* non obſcurè arguit, Thynnos ex jure comedi ſolitos, id quod absque Catini profunditate non poſſet. Imò & de colore locus inſtruit, inquit ARCHÆOPHILUS. Catinum *rubrum* vocat, qualis hic noſter eſt. Non Catini tantùm, reſpondit DULODORUS: Talis fuit & propoſita ſuprà Patera, talis & Patella, cui aliâs & Martialis aſſiſtit, *rubicundam pulvere teſtam*, Lib. 14. Ep. 106. appellans: Talia in univerſum *vaſa Aretina*, teſte Iſidoro, qui & rubedinis cauſam docens: *fictilia*, inquit, *facta ex creta, poſteà inventum eſt rubricam addere, & ex rubra creta fingere.* Niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, non terram tantùm rubram video, ſed & ſuperficiem eleganti incruſtatione conſpicuam. Non tantùm in his, reſpondit DULODORUS, ſed & in pluribus, quæ ſervamus, aliis hæc effulget, non Romanis tantùm uſitata, ſed & Græcis. Caſaubonus rem edocet ad Athenæum. Ελυτρῦν inquit, *incruſtare*, ſicut fit in figlinis vaſis. Galli dicunt *verniſſer*, Græci propriè περιπεταλῦν; accreſcit enim tenuis operi cruſta, quam πέταλον appellarunt. Proculdubiò, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc eadem erit ac γάνωσις. Imò diverſa, reſpondit DULODORUS; Caſaubonus enim rectè inter γάνωσιν & περιπετάλωσιν diſtinguit: Γάνωσις, inquit, erat, ubi vaſa ærea, & fictilia ſtanno illinebantur, ut argentea viderentur: Fictilia autem antiqui κώνῳ ſive pice liquidâ illinebant, eâ causâ, ne æſtatis tempore liquorem exſudarent. Sed pergimus. Subit

AMPHORA ÆNEA;




Ita enim Iſidorus: *Amphora vocatur, quòd hinc & inde levetur. Hæc Græcè à figu-*

à figura sui dicitur, quod ejus ANSÆ GEMINATÆ videantur aures imitari. De Mensura hæc Isidorus, reposuit ARCHÆOPHILUS, quam quidem formâ non rotundam, sed *quadratam* fuisse, Lambinus ad illud Horatii testatur:

Amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Amphora, inquit, *vas grande & amplum & QUADRATUM, quod capit sextarios octo & quadraginta: Urceus vero longe minor, longeque aliâ formâ, nempe rotunda.* Quid planius dici potest? Utinam & vere, respondit DULODORUS. Amphora quidem vas amplum & grande fuit, idque convenit etiam proposito, nam plus quam pedem altitudine æquat, ventre ad altitudinis mensuram in latitudinem excavato; quadratum autem fuisse nemo dixerit. Error Lambini ex Isidoro videtur ortus, qui *Amphoram mensuram, vini vel aquæ QUADRATUM PEDEM*, ait, *recepisse*, quadratam autem fuisse, non dicit. Licet autem hoc de Amphora mensura Isidorus, nihil tamen prohibet, ut omne vas grandius duabus ansis præditum hoc nomine veniat. Inde sanè Horatius vas, quo vinum non mensurârat, sed condiderat, *Amphoram* Lib. III. Od. 8. & L. I. od. 9. *Diotam* vocavit, quòd scilicet duabus ansis præditum esset, quas Græci *aures* vocabant: Ita & Homerus Amphoram pro *Urna* posuit, quâ cineres mortuorum conduntur, de quibus in fine hujus dissertationis nobis sermo erit. Aliud dubium subit, inquit ARCHÆOPHILUS. Amphoram Grammatici ἀγγεῖον κεραμεῖον ἀμφοτέρωθεν, φερόμενον ὅ ἐςι δίωτον, *vas fictile* definiunt, id quod etiam ex allegato Horatii loco planum est; At proposita amphora, licet duabus ansis prædita sit, non tamen fictilis, sed ærea est. Materia ad rem nihil facit, respondit DULODORUS, Homerus enim Ἀμφιφορῆα χρύσεον *Amphoram auream* Il. ψ. v. 92. & Odyss. ω. v. 74. Imò & ἀμφιφορῆα λάϊνον *lapideam* Odyss. N. v. 105. memorat. Hæc equidem negare non possum, excepit ARCHÆOPHILUS, mirari autem subit, inde Grammatici tam audacter amphoras *fictiles* pronunciare ausi sint; video enim non Eustathium tantùm, sed & Suidam huc plenis velis concurrere, ἀμφιφορεὺς ἀγγεῖον, inquit, μέτρον κεράμιον, & iterum: ἀμφορεῖς κέραμοι, & ἀμφορίδια τὰ κεράμια, adeò ut & ἀμφορεαφόρους τοὺς τὰ κεράμια φέροντας, definiverit. Id inde, respondit DULODORUS, quòd amphora ut plurimùm fictilis esset, necessitate primùm, cùm ærea nondum innotuissent: deinde & usu, quòd vino convenientior videretur; Sed id non impedit, ut successu temporis & æreæ amphoræ subierint, in sacris præsertim. An usus Amphoræ, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in sacris fuit? Fuit, inquit DULODORUS, quod vel inde intelligas, quòd Ἀμφιφορῆες θυώδεες, Nonnio in Dionysiacis memorantur. Sed ex sequentibus res planior erit; Commodè enim se sistit

AMPHORA ÆGYPTIACA ÆREA Græcis ΥΔΡΕΙΟΝ.



Quam quidem, ne profanis usibus addicas, simulacra Osiridis, ansis subjecta, apertè demonstrant. Simulacra hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, eôdem ferè habitu, iisdemque insignibus video, quibus nuper signa Ægyptiorum prophilactica, indeque Ægyptiam, & Deo cuidam Ægyptiorum hanc Amphoram sacram fuisse, facilè admitto. Eandem autem & ὑδρεῖον & amphoram dici, nescio annon contrarietatem involvat; Quid enim? an idem ὑδρεῖον cum amphora? Interdum, respondit DULODORUS; Si enim Hydria, sive vas aquæ destinatum, duabus ansis munitum sit, quidni rectissimè idem dicatur & ὑδρεῖον ab usu, & ἀμφορεὺς sive *Amphora* ob formam? At inquit ARCHÆOPHILUS, an ὑδρεῖον & Amphora in sacris Ægyptiorum memorantur? Omninò, respondit DULODORUS. Amphoram in pompa Isidis fuisse prælatam, testatur Apulejus L. XI. Metamorphosis, & ὑδρεῖον fuisse prælatum in sacris Osiridis, cujus hîc simulacra cernimus, Author est Plutarchus de Iside & Osiride.

AMPHO-

AMPHORA BACCHI



Succedit, & fictilis illa quidem, quales utplurimùm fuisse, eas præsertim, quæ vino serviebant, jam suprà dictum est. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & propositam quidem Baccho sacratam, ex picto in ea Bacchi simulacro intelligo; Ita nec Amphoram negare audeo, duplici enim ansa levari potest, & vas grandius est, qualiter amphora describitur; quanquam latitudo orificii, impositumque operculum, nescio quid mihi dubii suscitent, cùm Amphoræ nec superiores nec in Chiorum Numismatibus tales, sed orificiô angustiore fuerint, ut pice & cortice potuerint adstringi, secundum Horatium L. 3. Od. 8.

Hic dies annô redeunte festus,
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ.

Distinguendum, respondit DULODORUS, inter amphoras, quibus vinum condebatur aliquot annos asservandum, & inter eas, in quas infundebatur statim bibendum. Illas orificiô angustô fuisse, ut oblini possent, facilè dedero; sed has fuisse orificiô latiore, non tantùm propositæ demonstrat figura, sed & usus requirit, ut videlicet eò commodius hauriretur. Operculum autem additum videtur, ut Spiritus cohiberentur, nec morâ, licet etiam exiguâ, evaporare possent.

possent. Opinio assensum meretur, excepit ARCHÆOPHILUS, cùmque & amphoras Baccho sacratas, ejusque in sacris prælatas, aliunde constet, Ego non tam de his, quàm de artificiosa picturarum inventione quærerem; Hæc enim in fictilibus admodum rara videtur. De hac, respondit DULODORUS, docebo infra sub Fidelia, non dissimili opere elaboratâ. Hîc de figuris memorandum, ejusmodi vasa, teste Causæo, Etrusca videri, & in operculo quindecim Larvatos Bacchanalia celebrare, in ventre autem hinc tres figuras Bacchantes, inde Bacchum cum poculo & Thyrso, solitis suis insignibus, pelli hinnuleæ insidere, suspensis in summitate Larvis, Bacchi scilicet & Sileni. Hæc & similia, inquit ARCHÆOPHILUS, jam suprà dilucidata sunt, adeò ut nec de reliquis figuris vehementer laborandum censeam, cum inferior ad Amphoram sedeat, propositæ simillimam: Alia autem cum poculo accedat: tertia, nescio, quô Musices instrumento ante Bacchum ludat. Instrumentum id, respondit DULODORUS, vel *Citharam Barbaricam* vel *Psalterium* esse, figura persuadet; Ita enim Isidorus: *similitudo Citharæ Barbaricæ est in modum Δ. literæ: sed Psalterii & Citharæ hæc est differentia, quòd Psalterium lignum illud concavum, unde sonus redditur, superius habet, & deorsum feriuntur chordæ, & desuper sonant.* Sequitur

EPICHYSIS ÆREA.



Imò *præfericulum*, subjecit ARCHÆOPHILUS; Hoc enim nomine hoc vasculum in Bibliotheca Sanctæ Genovefuæ Parisiensis vulgavit Rev. Molinetus. Cum vulgo hic sentit, respondit DULODORUS. Cùm autem Festus præfericulum *vas æneum sine ansa patens, velut pelvis*, definiverit, utique patet, à proposito præfericulum immane quantum differre. Cæterùm & illud notari meretur, quod & Dacerius ex dicto Festi loco observat, *præfericulum tantùm in ja-*

in ſacris Opis Conſivæ uſurpatum, dictumque à *præferendo*, quòd res ſacræ in eô præferrentur; Quid autem hoc ad propoſitum, quod ſoli liquori deſtinatum fuiſſe, ex figura indubium eſt? Liquori plura deſtinata erant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, propoſitum autem quidni *Sinum* dicerem, quod *vas ſinuoſum* fuiſſe, Nonius Marcellus teſtatur, allegato Virgilio:

Sinum Lactis, & hæc Tibi Liba, Priape, quotannis
Exſpectare ſat eſt.


Sinuoſum ſanè orificium, Sinum neſcio annon liquidò demonſtret. Orificium, reſpondit DULODORUS, rem non conficit, Sinum enim *vas vinarium grandius* fuit, à *ſinu* denominatum, non quòd orificium ſinuoſum, ſed quòd majorem cavationem haberet, quàm poculum, id quod Varro de L L. teſtatur. Si nec ita obtineam, inquit ARCHÆOPHILUS, obtinebo tamen proferendo *Guttum*; ſimilia enim orificia etiam in Guttis apud Boiſſardum video, ut eò minus de propoſito dubitare poſſis. Guttus & Epichyſis, reſpondit DULODORUS, non multum differebant. In conviviis certè, in locum Gutti & Sympuli, Epichyſin & Cyathum è Græcia ſucceſſiſſe, Guttum autem & Sympulum in ſacris remanſiſſe, idem Varro author eſt. Inde facilè colligas, ut è Gutto in Sympulum in ſacris infundebatur, ita & in conviviis ex Epichyſi in Cyathum infundi moris fuiſſe: differre autem Epichyſin à Gutto, quòd hic anguſtiâ colli guttatim funderet, Illa autem collo latiore uberius. Cantharus in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS, hic cum & ipſe anſatus fuerit, teſte Marone:

Attrita pendebat Cantharus anſa.

Mirari ſubit, cur non ad hunc reſpexeris? Cantharus, reſpondit DULODORUS, poculum fuit, & quidem Bacchi. Appoſitè, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cum Bacchi inſignia in propoſito, aliiſque Electoralis hujus Cimeliarchii, non obſcurè cernantur. Bacchi inſignia, reſpondit DULODORUS, non nego; ſed eadem & in conviviis locum habent; Illud autem potiſſimùm obſtat, quòd Cantharus poculum fuerit, non tàm fundendo, quàm bibendo deſtinatum, id quod ex Plinio conficitur Lib. 33. c. 11. ubi *Marium ad imitationem Bacchi CANTHARIS, memorat, bibiſſe.* Imò ex cantharo, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam vinum fuſum, ex Numiſmatibus patet, in quibus Bacchus ex Cantharo Tigridi fundit, adeò ut duplicem hunc uſum, ſinuoſum in propoſito orificium apertè videatur demonſtrare; Quid enim ſi ſinus laterum bibentibus, anterior autem fundentibus ſervierit? Si vaſcula hæc penitius intuearis, reſpondit DULODORUS, aliter judicabis. Anſa ſinubus ad latera nimium imminens, inde bibituros apertè prohibet, adeò ut non niſi uſus fundendi remaneat, Epichyſinque apertè demonſtret. Julius Pollux obſtat, excepit ARCHÆOPHILUS. Is enim ἐπίχυσιν, licet æneam ſtatuat, tamen & longam fuiſſe aſſerit. Secus autem propoſita. Epichyſin ἐλαιηρὰν, reſpondit DULODORUS, quo oleum fundebatur, Julius Pollux memorat, quid autem hæc ad Epichyſin vini? Sanè ut Guttus non longior tantùm, ſed & brevior in nummis obſervatur: ita & Epichyſin non longam tantùm, ſed & brevem, qualis propoſita eſt, jure præſumſerim. Vocis certè Etymologia nec longitudinem nec brevitatem, ſed ſolam fuſionem arguit. Hæc licet fortaſſis ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, tamen cùm hactenus vaſa ſacra protuleris, neſcio an Epichyſis, utpote conviviis dicata, his ritè jungatur? Antiquiſſimis temporibus, reſpondit DULODORUS, & apud Græcos, unde Romam

Epichysis migravit, non tàm in compotationibus, quàm in sacris videtur usurpata. Id ex Theophrasto apud Athenæum mihi videor deducere; dum enim ἐπιχύσεις ἀκροατῶν antiquissimis temporibus, *non nisi in sacris* consuetos tradit fuisse, haud obscurè & ἐπίχυσιν *vasculum* iis videtur addicere. Sed hæc salvô aliorum judiciô. Succedit

GUTTUS FICTILIS,



Figurâ à superiore diversus, diversus fortassis & usu; Antequam ad usum & figuram descendam, inquit ARCHÆOPHILUS, quærere lubet de diversitate materiæ, an hujus apud authores sit mentio? Est luculenta, respondit DULODORUS. Gutti *Cornei* meminit Martialis Lib. XIV. Ep 52. *Fagini* Plinius Lib. XVI. c. 38. *Samii* Gellius Lib. 17. c. 8. ut antiquitatis reliquias taceam, in quibus & *ænei* visuntur, tàm ansati, quàm sine ansa: Quod equidem mirum non est, cùm non ab ansa, sed à modo fusionis appellentur, adeòque ex collo & orificio noscantur, collo angustiore, orificio interdum porrectiore, intersium rotundiore. Hæc audio te dicere, excepit ARCHÆOPHILUS, sed velim etiam probes. Antiquitatis reliquiæ, respondit DULODORUS, nullum dubium relinquunt. Apud Boissardum videas Guttos complures marmoribus affictos: Pars eorum ore porrectiore & cum ansa, pars rotundo visitur, eaque vel cum ansa, vel sine ansa. Illi proposito famulantur: His autem

GUT-

GUTTUS ÆREUS MUSARUM



Convenit, quem Nobilissimus Causæus vocabulo generali *Vas Æneum* interpretatur, *Victoris in Musicis aut Poëticis ludis præmium* arbitratus, eò quòd non Tripodes tantùm, & palmas, & coronas, sed & vasa victoribus data esse, ex nummis constet. Hanc opinionem, inquit ARCHÆOPHILUS, Musæ fulciunt, quas vasculo huic opere elevatô additas video. Fortasse res ita fuerit, respondit DULODORUS; Commodè enim memoriam subeunt Muséa, sive ludi Musarum apud Thespienses, in quibus Cantilenarum & Harmoniæ præmia Victoribus proposita, Natalis Comes observat; Sed hoc non impedit, ut vasculum hoc tutissimè Guttus appelletur, angustiâ orificii talem apertè demonstrante, sive vino, sive oleo servierit. An oleum Guttus fundebat? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS, sive in Balneo id fieret, de quo Juvenalis Sat. 3. v. 263.

Pleno componit lintea Gutto.

Sive in sacris, uti apud Apulejum, ubi in Pompa Isidis etiam mulieres memorantur, quæ *unguentis & geniali balsamo GUTTATIM excusso conspergebant plateas:* Eôdem scilicet more id fiebat, quô & apud A. Gellium Lib. XVII. c. 8. cujus verba quid prohibet ut subjungam? *Puer*, inquit, *Guttum Samium, oretenus imprudens inanem, tanquam si inesset oleum, affert, convertitque eum, & ut*

ut solitum est, circumegit per omnem partem aulæ manum. Guttus hîc, excepit ARCHÆOPHILUS, pro Ampulla videtur sumi.


AMPULLA,



Respondit DULODORUS, etiam nobis præstò est, & fateor in oleo excutiendo usum eundem fuisse, qui & Gutti, indeque si Ampullam *Guttum* appelles, non refragabor. Si autem Guttum omnem *ampullæ* nomine digneris, vereor ut ratio subsistat; Ampulla enim, teste Isidoro, *quasi ampla bulla* dicitur; similis est enim rotunditate bullis, quæ ex spumis aquarum fiunt, atque ita inflantur vento: Ex quibus constat, rotunditate fundi Ampullam à Guttis differre, orificiô autem & collô interdum convenire, eâdem formâ, quâ pyra interdum solent, quæ inde *ampullacea* dicta, Plinius Lib. XV. c. 15. observat. Hæc aperta, inquit ARCHÆOPHILUS; de usu autem nescio annon Martialis obstet, *Ampullam Potoriam* memorans, Lib. XIV. Epigr. 110. Potoriarum Ampullarum, respondit DULODORUS, etiam Suetonius meminit, *Domitianum* c. 21. enarrans, *modicam in ampullis potiunculam sumsisse.* Imò Plinius etiam *Ampullas vitreas aceti* habet, Lib. XX. c. 14. Sed his nihil obstantibus, salva manet etiam de oleo sententia; Ideò enim Ampullam & strigiles conjungunt Cicero 4. de finibus. Plautus in Stich. Act. 2. ubi & *unctiones ampullarias* vocat, quòd scilicet in lavacris ex ampullis ungerentur: Ad quas præterea notandum, Horatium verba inflata & tumida impropriè, sed eleganter *Ampullas* vocasse, in Arte Poëtica, & alibi *ampullari*, pro *inflari* posuisse. Sed alia ejusmodi vascula sub finem hujus dissertationis se sistent. Sequitur

SECU-

SECURIS.



Abunde de hâc Causæus, excepit ARCHÆOPHILUS. Ejus verba repeto: Animalia, inquit, sacrificiis destinata, securi percutiebantur. Horatius Lib. 3. Car. Od. 23.

Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum SECURES
Cervice tinget.

Et Ovidius Lib. Trist. El. 2.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingit humum.

Et ne quid prætermittat, addit: Securim hanc Baccho dicatam esse, patet ex capite Tigridis huic Deo sacræ, siquidem primus ille animal ferocissimum domavit, curruique alligavit. Tibullus L. 3. El. 6. de Baccho.

Armenias Tigres & fulvas ille Leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

Et Martialis Lib. 8. Ep. 25.

Nunc cùm captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina Tigride Bacchus erat.

Et his quid addi poterat? Metallum, inquit DULODORUS, Secures enim æneas fuisse, qualis proposita, & nomine peculiari *Acieres* dictas, ex Festo notat Eruditiss. Raphael Fabrettus ad Col. Trajani p. 165. Æneam utique video, inquit ARCHÆOPHILUS, cum autem æs ad secandum ineptius sit, & aliâs apud Poëtas pro securi *ferrum* legatur, ut apud Senecam in Oedipo v. 341.

Juvenca ferro semet opposito induit
Et vulnere uno cecidit.

Et apud Virgilium 3. Georg.

Si quam FERRO mactaverat ante sacerdos.

Nescio an opinioni satisfeceris. Nihil agis, inquit DULODORUS. De cultris loquuntur authores; Non semper enim Securibus usi sunt Veteres ad

percutiendam victimam, ſed interdum & Malleo, qualem Cauſæus exhibet, adductô Ovidiô, L. 2. Met.

Lactantis vituli dextra libratus ab aure
Tempora diſcuſſit claro cava malleus ictu.

Vel etiam Clava ῥοπάλῳ, ut apud Apollonium Rhod. Lib. 1. Argonant. v. 426. Tandem & Cultro, qualem

SECESPITA




Adumbrat, ad quam non alio opus eſt, quàm Feſti teſtimonio: quanquam & ipſe Antiſtii Labeonis nitatur, imò & Servius totidem verbis rem expreſſerit: Seceſpitam *cultrum oblongum* vocat, *manubrio rotundo eburneo, ſolido vinctum ad capulum auro argentoque, fixum clavis æneis ære Cyprio, quo Flamines, Flamineæ Virgines, Pontificesque ad ſacrificia utebantur.* Hæc deſcriptio, quam & Cauſæus attulit, cultro huic egregiè convenit; Licet enim Ebur manubrii deſit, vetuſtate proculdubio conſumtum, foramina tamen clavorum adhuc remanent, quæ ebur connectebant. Foramina, excepit ARCHÆOPHILUS, hîc aliter poſita ſunt, ac apud Cauſæum. Ea ratio eſt, reſpondit DULODORUS, ut figuram iterandam cenſuerim, quanquam differentia rem non feriat. Sed ferit materia, repoſuit ARCHÆOPHILUS; Feſtus enim Seceſpitam *cultrum ferreum* appellat, cum propoſita *ærea* ſit, & quidem ex *ære flavo* fabricata. Nec hoc adduxeris, reſpondit DULODORUS, cùm materia libera videatur fuiſſe; ut enim Seneca, ut modò vidimus, de ferro loquitur, ita Alii ſimpliciter de cultris. Nota ſunt teſtimonia:

Centum cadit hoſtia CULTRIS:
—— percuſſaque ſanguine CULTROS
Inficit.

Cultrorum, excepit ARCHÆOPHILUS, alia planè forma fuit, & talium omninò, quales teſtantibus marmoribus Victimarii geſtabant, ad diſſecandas victimas: qualemque & Choulius exhibet, p. 297. Edict. Gall. Lugdunenſis de Anno 1556. Forma nota eſt, inquit DULODORUS; ſed in locis citatis non de diſſecanda, ſed de percutienda victima ſermo eſt, quod non aliô cultrô ac *Seceſpitâ* fiebat, quæ Græcis Σφαγὶς vocabatur. Σφαγὶς, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in Epigrammate λαιμοτόμος *Guttur ſecans* vocatur, & Seceſpita à *ſecando* dicta eſt. Inde quidem Σφαγίδα & Seceſpitam unum idemque inſtrumentum fuiſſe agnoſco, propoſitum autem quomodo eis quadret, non video, cùm non *cæſim*, ſed *punctim* hoc uſurpatum, ex prominente & porrecto, cuſpide pateat: adeò ut, ſi Seceſpita hæc ſit, mirari ſubeat, cur Feſtus cuſpidis nullam

lam mentionem fecerit. Usum Σφαγίδος, sive Secespitæ, respondit DULODORUS, non aliunde rectius didiceris, quàm ex Dionysio Halicarnassæo, ubi ritum sacrificiorum describens, ait: *Alios hostiam vecte ferire, alios Σφαγίδας supponere, iisque cadentem excipere, ac mox excoriatum concidere membratim.* Ex hoc loco differentia *Secespitæ* & *cultri victimarii* aperta est: Illâ scilicet victimam cadentem excipiebant, hôc autem excoriatum concidebant. Secespitam à secando dictam, Σφαγίδα autem λαιμοτόμον appellatam sive *Guttur secantem*, fateor, sed id assertum non tàm destruit, quàm confirmat; non enim *punctim* tantùm, sed & *cæsim* secespita vulnerabat, guttur scilicet & feriendo & secando. Sed quid multa? cùm vel ipsum vocis Etymon usum demonstret, Σφαγὶς à σφάζω *jugulo* dicitur, indeque σφαγιάζειν Herodoto apud Suidam idem est, quod *sacrificare:* Et σφαγίδιον & σφαγὶς, eôdem teste, idem quod *cultelli coquorum* quibus pecudes mactant: Quod ab instituto alienum videri non debet, cùm Athenæô teste antiquitùs coqui etiam sacrificiis & sacris fuerint præpositi. Succedit

SISTRUM.



De Sistro idem Causæus, inquit ARCHÆOPHILUS, & eruditè & luculenter.

Non


Non tantùm ἀπὸ τȣ͂ σείειν, à *quatiendo* dictum afferit, fed & de forma defcriptionem Apuleji producit, *Æreum crepitaculum* afferentis, *cujus per anguftam laminam, in modum Balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crifpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum fonum.* Addit & rationem, *cur in facrificiis fuerit concuffum*, ut fcilicet indicaretur, naturalia motu nunquam carere: Imò & *rotunditatis*, Cœlo Lunæ convenientis, per quod omnia moventur: & *virgularum* quatuor Elementa defignantum, ratione quarum omnia moventur: ut *felem* taceam de qua Plutarchum citat Lib. de Ifide & Ofiride: τῇ δὲ ἀψίδι τȣ͂ σείςρȣ κατὰ κορυφὴν ἐντορεύȣσιν αἴλȣρον ἀνθρώπȣ πρόσωπον ἔχοντα. Et mox: τῷ δὲ αἰλȣ́ρῳ τὴν σελήνην διὰ τὸ ποικίλον καὶ νυκτȣργὸν καὶ γόνιμον τȣ͂ θηρίȣ. *Curvamini Siftri autem in vertice infigunt FELEM humanâ facie &c. FELE Lunam repræfentante ob animalis iftius varietatem, ac vim noctu agendi, & fœcunditatem.* Hæc annon ad propofitum convenienter? Fateor, inquit DULODORUS, imò & illud adderem, quod Caufæus fubjungit, Felem *Lunæ filium* fabulosè dici, Plutarchoque tefte oculorum ejus pupillas dilatari & attenuari fecundam Lunæ curfum, indeque hoc animal, ut ex Herodoto conftat, apud Ægyptios divinis penè honoribus effe affectum: tandemque, utroque in Siftri latere Ifidis mitram effe expreffam, quam tamen Caufæi fculptor benè non delineavit. Sculptorem hîc erraffe, inquit ARCHÆOPHILUS, facilè dedero, erravit enim & in felis fœtibus, quorum loco mammas pinxit, cùm tamen clariffimè pateant, ipfeque Caufæus eos obfervaverit, quanquam fine figmenti ratione. Ratio, refpondit DULODORUS, ex fuperioribus Plutarchi patet; apertè enim dicit, *Fele Lunam repræfentari* διὰ τὸ γόνιμον *ob FECUNDITATEM animalis:* adeò ut nec ratio Lunæ defit, cujus globum felis hæc elatô capite præfert. Cæterùm & illud notari meretur, quod nec ipfum Caufæus prætermifit, ufum Siftri apud Ægyptios non tantùm in facris, fed etiam in bello fuiffe, imò & apud Amazonas fœminarum exercitus hôc inftrumentô ad bellum vocatos, Auth. Ifidoro L. 3. orig. c. 21. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen nec parvitas, nec virgulæ majorem fonitum videantur inferre. Siftra bellica, refpondit DULODORUS, hôc majora fuiffe, facilè mihi perfuadeo, propofitum autem facrificiis dicatum, ex infignibus conftat; prætereàque de fonitu notandum, quod Pfeudo-Cornutus fi Hofmanno fides, ad illud Perfei Sat. 5. v. 185.

Cum Siftro lufca facerdos.

Protulit: *forma ejus*, inquit, *ovalis & manubriata, circa oras TINTINNABULA pendentia habet.* Si hoc verum fit, excepit ARCHÆOPHILUS, patet, cur virgulæ in extremitate retortæ fint: non tantùm fcilicet, ne virgulæ per foramina excidant; Sed etiam, ut tintinnabula appendi poffint. Utut hæc fint, refpondit DULODORUS, in Siftro tamen tintinnabula hactenus obfervata non funt. Obfervantur autem in Tympanis, quale Tibi fifto.

TYM-

TYMPANUM ÆREUM;



Quô enim aliô nomine crepitaculum hoc appellem? De Tympano, excepit ARCHÆOPHILUS, jam ſuprà dictum eſt, cùmque rotundum id, Nolisque & Tintinnabulis ſonorum fuiſſe, luculenter ibi docueris, hîc ego tecum ſentirem, niſi & eſſent aſſenſum cohibentia. Quid enim? annon foramen in medio manubrium immiſſum, & ita Siſtri more uſurpatum hoc crepitaculum arguit? Annon planities laterum abeſt, quæ tamen Tympano tantùm non eſſentialis fuit? Rotunditas eſſentialis fuit, reſpondit DULODORUS: Eſſentialis fuit & raucedo ſonitûs; Illâ enim rotunditatem Univerſi, hâc raucedinem Tonitrûs adumbratam ſupra dixi; Quid autem hoc ad planitiem, quæ commodioris tantùm uſûs gratiâ videri poteſt addita? Cum natura rei non convenit. Lances ſanè, quas & ipſas *Tympana* dictas, Plinius ex Feneſtella tradit, nec ipſæ planæ fuére, ſed tales rotunditate, quale alterum propoſiti latus: adeò ut inde nomen translatum non abſurdè conjicias. Cùmque ea Tympana inter argentea referantur, fortaſſis eò minus dubium erit & de æreis. Sed hæc produxiſſe juvat, quanquam vulgaribus non ubique conveniant. Sequitur

PERSONA ÆGYPTIACA



Quam vel picturæ demonstrant, tales ferè, quales in Tabula Pignorii Isiaca visuntur. His, inquit ARCHÆOPHILUS, pluribus inhærere operæ pretium non arbitror, illud autem rariusculum videtur, quòd hæc ex LINO confecta, & pigmentis, etiam aureis, incrustrata sit. Id ex Ægyptiorum more, respondit DULODORUS, Lineas enim etiam sacerdotum vestes fuisse, jam suprà vidimus, & vestes Ægyptios pinxisse, apud Plinium legimus. At cujus usus hæc persona fuerit? excepit ARCHÆOPHILUS. Id incertum est, respondit DULODORUS, nisi in Pompa vel Isiaca vel Osiridis servierit, vel etiam cadaveribus mortuorum inducta credatur. Prius ut præferas, persuadet Apulejus, qui Pompam frequentantes variis studiis exornatos tradidit. Personæ, inquit ARCHÆOPHILUS, instrumenta Theatri solent esse. Plura genera, inquit DULODORUS, tàm Tragicorum, quam Satyricorum & Comicorum, recenset Julius Pollux, sed Ægyptiam ejusmodi, qualis proposita est, non recenset; inde tutius arbitror, certius quid exspectare, quam incertæ conjecturæ fidere. Sequitur

TIGRIS

TIGRIS
POCULO INSISTENS.



Cujus generis duas possidemus, proculdubiò votivas; Id enim cuspis ferrea innuit, eum in finem addita, ut in Templo aut Larario erigi & tabulæ cuidam infigi posset: & cujus honori? si non Bacchi, cui & Tigris sacratur, & Poculum addicitur? Poculum, excepit ARCHÆOPHILUS, nomen generale est. Mihi poculum hoc *Carchesium* videtur, quod Baccho sacrum fuisse constat, canente Virgilio Georg. IV. v.380.


Cape Mæonii CARCHESIA Bacchi.

Et iterum, Æneid. V. v. 77.

Hic duo ritè mero libans CARCHESIA Baccho.

Bacchus his in locis, inquit DULODORUS, pro *vino* sumitur. Quid tum? respondit ARCHÆOPHILUS, si Bacchi Gloriæ Pocula omnia servierint? Propositum, excepit DULODORUS, poculi potius figura, quàm poculum est. Unum tantùm ejus latus exhibetur. Concavitas deest, ut intelligas, rem votivam esse; Concavitas enim si adfuisset, usui forsan profano addixisses. Rem votivam, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Tigris arguit; Sed ego de poculi figura sollicitus sum, quæ quin Carchesium referat, nescio an dubium esse possit? Omninò enim convenit cum descriptione Carchesii, quam Macrobius ex Athenæo dedit: *Carchesium*, inquit, *procerum est, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis à summo ad imum pertinentibus.* Hæc verba, respondit DULODORUS, corrupta esse Docti jamdudum viderunt, legendum enim *compressum mediocriter, ancatum* &c. Quicquid autem sit, etiam corrupta Carchesium in proposito agnoscere minimè sinunt; Apertè enim carchesium poculum *procerum* appellat, non minus ac Callixenus Rhodius apud Athenæum ποτήριον ἐπίμηκες *poculum longum*, & ἱκανῶς ἐπίμηκες *satis longum*, quod proposito non quadrat: ut taceam, & *in medio* fuisse *compressum*, quod nec ipsum addicit. Et cùm nec aliud hactenus appareat, Ego rem destituere, quàm incertâ temeritate definire malim. Sequitur


MANUS
CUM
HIEROGLYPHICIS VOTIVA,



Quam pluribus interpretatus est Causæus. Votum, ait, contineri pro salute prolis masculæ, à conjuge susceptæ, Serapidi solutum: An Romæ? an in Ægypto? incertum esse, non minus ac de Authore. Et quidem votivam hanc Manum esse, ex altera Pinacothecæ Barbarinæ patet, quæ CECROPIUS V. C. VOTUM. S. inscribitur: votum pro prole, a conjuge suscepta, innuit ipsa cum infante expressa *puerpera*. Ita prolem masculam denotat *manus dextra*: Deum, cui votum solutum est, demonstrat *Serapis*; quanquam & Isidis rationem haberi, ex hieroglyphicis pateat; Ut enim *Scarabæus* Solem denotat, ita *Ibis* Isidi sacratur, simulque salubritatis symbolum creditur, quam sacrificiis infanti obtentam, ex cultro conjicias. Hæc verisimiliter, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem Hieroglyphica aversæ? *Serpentem* hîc vides, inquit DULODORUS, animal Æsculapio sacratum, salutisque symbolum, ut confirmetur, quod de Ibide dixi, votum hoc ob salutem prolis solutum esse: vides *Ranam*, quæ in Ægypto ex limo nascitur & paulatim crescit, ut intelligas natum infantem paulatim convaluisse: id quod & *Testudo* videtur innuere, quæ tardè procedit & domi perpetuò moratur. *Crocodilus* futuram spem adumbrat, perpetuo enim crescit, & ex fragili ovo procedens, summum cum tempore robur acquirit. Ita *Libra* æquitatem, *Vasculum* temperantiam videtur designare, quibus infans & surrecturus & per vitæ decursum usurus sit: Nisi cum Causæo, vasculum hoc Osiridi & Isidi addicas, Libram autem ad mensem Septembrem referas, quòd puerulus eò convaluerit, postquam scilicet septimum infirmitatis mensem exegisset, id quod manus eum in modum composita videatur adumbrare, quô numerum ducentesimum indicari Valerianus tradidit, quot dies in septimum mensem incidunt. Hæc satis ingeniosè, excepit ARCHÆOPHILUS, quanquam quòd manus hôc modô composita ex Apulejo Oratorum fuerit, mihi potius voventis ea indicium videatur: idque eò magis, quòd manum in pompa Isidis prælatam, idem author Metam. XI. memorat. Ambulatoria est in talibus decisio, respondit DULODORUS. Ego peritiori judicio facilè cessero, & licet de meo nihil fere addere potuerim, Elegantissimum tamen κειμήλιον non sine luce publicandum censui. Sequitur

DIGI-

DIGITUS. VOTIVUS



Digitorum, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi Iſidorum audiamus, diverſa erant nomina: Primus *Pollex* vocabatur, pollici proximus *ſalutaris*, medius *impudicus*, quartus *annularis* & *medicinalis*, ultimus *auricularis*: Propoſitum autem, cùm ſolus ſit, quem dicam? *Salutaris* videtur eſſe, reſpondit DULODORUS, ſive rebus appendendis in pariete fixus, id quod figura arguit, ſive in Templo aut Larario votô dedicatus, id quod ratio ſuadet. Digitum extendere, inquit ARCHÆOPHILUS, in Gymnicis victi ſolebant, uti Salmaſius ad Solinum docet: Cùm autem propoſitus extenſus non ſit, ſed leni articulorum contractione curvetur, tecum & ipſe ſentirem, niſi in mentem veniret, quod de Pompejo Ammianus Marcellinus tradidit: Eum *uno digito caput ſcalpere* conſueviſſe; Quid enim, ſi hujus hîc memoriam recolamus? Si huc deſcendere liceret, reſpondit DULODORUS, Ego potius ad Auguſtum reſpicerem, qui Suetonio teſte, *digitum dextræ ſalutarem tam imbecillum interdum ſentiebat, ut torpentem contractumque frigore, vix cornei circuli ſupplemento ſcripturæ admoveret*; Quid enim mirum, ſi Auguſtus, aliusve ſimili modò affectus, digitum hunc in Templo aut Larario votivum fixerit? De Auguſto hoc credere, excepit ARCHÆOPHILUS, vilitas metalli prohibet. De alio quodam fatebor, ſi docueris, id moris fuiſſe. Docuit Jac. Phil. Thomaſinus de Donariis p. 223. ſeq. inquit DULODORUS, qui commodè & *Minervæ Memoris*, & *Minervæ Medicæ* ex Inſcriptionibus meminit. Quid Minerva ad propoſitum? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Id quod Patronus ad Clientem, reſpondit DULODORUS. An neſcis digitos Minervæ tutelæ ſubjectos, ut alia corporis humani membra Diis aliis? Obſervat id Lilius Gyraldus, & confirmat ſequens

PES
MERCURII;




Mercurio enim pedes datos, etiam Placiades Fulgentius teſtatur. Pedem Mercurii, excepit ARCHÆOPHILUS, annexæ alæ evincunt, niſi fortè & de Perſeo cogites; Cùm autem pes hic eô inſigni ab humanâ fragilitate arceatur, Ego morbi causâ eum dedicatum non dicerem. Cauſæ Dedicationis plures erant, reſpondit DULODORUS, eæque ut plurimùm ex re votivâ intelligi poſſunt; Ita Dædalus exacto itinere Chalcidicam allapſus ad arcem,

Tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum,

Ut Virgil. Æneid. VI. cecinit: Quem locum eò libentius profero, quô clarius & alarum meminit, quas & pedi noſtro annexas cernimus; Quid enim ſi ſimili ratione & Viator quidam pedem hunc peractô itinere Mercurio ideò alatum dedicaverit, ut ſimul & itineris celeritatem ſubindicaret? Subit

PRORA
NAVIS ROSTRATÆ,



Quales ſub *Roſtrorum* nomine, in Suggeſtu Romanorum publico, in Columnis porrò

orrò & Coronis occurrunt, qualesque proinde ob victorias Diis consecratas
isse, non abs ratione credimus. Meminit Silius Italicus Lib. XIV.

Captivis fulgentia culmina ROSTRIS
Armaque fixa Diis:

Meminit Herodotus Libro III. quô teste, *Æginetæ navali prælio victos cum Cre-tensibus diripuerunt, ac rostratas naves mutilaverunt, eaque ROSTRA apud Minervæ templum in Ægina affixerunt.* Ita & Pausaniâ in Atticis memorante, *triremis ÆNEUM ROSTRUM Megaris in templo positum est, quòd eam ce-perint Megarenses in prælio navali cum Athenensibus de Salamine.* De Rostris hæc probant, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm autem hic integra prora exhibeatur, omninò videtur dilucidandum, quid propriè Rostra fuerint? & cur non Rostra sola, sed integræ Proræ pro rostris fuerint dedicatæ? Rostra, respondit DULODORUS, propriè erant prominentes in ima navis parte cuspides ærei aut ferrei, quibus vel in naves hostiles incurrebant, vel etiam præcavebant, ne in latentia saxa impingerent. Ita Isidorus: *Prisci ferro aut ære proras navium armabant propter scopulos, ne scilicet ferirentur aut collide-rentur.* Huc faciunt Virgilius Lib. V. Æneid.

Totumque dehiscit
Convulsum remis ROSTRISque stridentibus æquor.

Et Lucanus Lib. III. v. 700.

Murmure vasto
Impulsum ROSTRIS sonuit mare.

Et Silius Italicus Lib. XIV. Belli Pun. v. 556.

Adnabat centum latè Sidonia velis
Classis subsidio, & scindebat cærula ROSTRIS.


Notandum autem, unam navim interdum plura rostra habuisse. Ita apud Athenæum Lib. V. navis Philopatoris *septem* ἐμβόλοις, ita enim Græci rostrum dicebant, armata legitur: Et Nestoris navim δεκεμβόλην *decem rostra habentem* appellat Æschylus: Quâ basi si in proposita Prora *tria rostra* agnoscas, nihil omninò arbitror peccabis, cùm tres cuspides in imo promineant, quas ἔμβολα & *rostra* Antiqui vocârunt. At unde *Rostri* nomen? quæsivit ARCHÆO-PHILUS. A *Rostro avis*, respondit DULODORUS, aliusve animalis: non ob similitudinem tantùm, sed etiam quòd antiquæ naves animalium capita cum rostris præferrent, uti ex iis patet, quæ Schefferus de militia Veterum na-vali pag. 126. seq. protulit. Ex quibus & illud clarum est, non tantùm præfixas carinæ, sive infimæ navis parti cuspides, *Rostrorum* nomine venire; sed etiam illud in proræ summitate retroflexum, quô sensu vetus quidam Horatii inter-pres, *Rostra dicuntur summæ partes navium ære & ferro munitæ*, cui adstipula-tur & Cæl. Rhodiginus Lib. XXIX. Antiq. Lect. c. 7. *In ratione carentibus est propriè protome, unde in summis navium rostris quadrupedum audimus protomas deformatas, æreque circummunitas,* διὰ τὸ τῶν ἐμβολῶν χρειῶδες, *propter embolo-rum necessitatem.* Hæc cùm ita sint, jam facilis videtur conjectura, cur rostra navium dedicantes, integram proram dedicaverint; nisi enim hanc addidis-sent, quis rostra potuisset agnoscere? Quis nisi rerum callentissimus? In sum-mitate proræ propositæ, excepit ARCHÆOPHILUS, video *caput* non quidem avis aut animalis, sed alicujus *Viri:* Indeqne an *rostri* appellationem ea mereatur, valdè dubitem. Ita dictam, respondit DULODORUS, ex allatis planum est, si tamen assertum minus placet, poteris summitatem hanc ἀκροςόλιον aut κόρυμβον appellare; his enim nominibus, Græcis *summitatem proræ* voca-

vocatam, tradit & probat Scheferus p. 156. ubi & ſimile viri cujusdam Caput e affictum protulit, ſive Tutela id appellandum ſit, nam & hanc interdum in pror fuiſſe, idem p. 173. docet: ſive παράσημον arbitreris, *navis* videlicet *inſigne*, quod cum nomine navis ut plurimum conveniebat: ſive denique cum Fabretto *ad Colum Trajani* ſupervacaneum aliquod ornamentum. Acroſtolium ſummitas Proræ cogitabundus excepit ARCHÆOPHILUS. At hoc longè aliâ figurâ in Numiſmatibus proſtat. Video quò reſpicias, reſpondit DULODORUS.

APLUSTRE,

Græcis

ΑΦΛΑΣΤΟΝ,



Quod & ipſum Tibi propono, *Acroſtolion* arbitraris appellandum, idque cum Antiquariis communiter, quibus *Acroſtolium* & *Acroterium* hoc navalis ornamenti genus indiſtinctè dicitur: An autem ſatis accuratè, nunc non diſquiram. Propriè certè Ἄφλαστον & *Apluſtre* dictum, latius probat Scheferus, locô citatô. Niſi verba Authorum adjicias, inquit ARCHÆOPHILUS, qui credam? Pollux rem apertè, reſpondit DULODORUS, τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης, inquit, Ἄφλαστα καλεῖται, *ſumitates puppis, APHLASTA dicuntur.* Scholiaſtes Homeri ad Il. ο. Ἄφλαστον, inquit, τὸ λεγόμενον ἀκροστόλιον πρύμνης. *Aphlaſtum dictum eſt Acroſtolium puppis.* Acroſtolium, excepit ARCHÆOPHILUS, Quidni igitur & nos ita vocabimus? Acroſtolium, reſpondit DULODORUS, propriè Proræ erat, uti ſupra vidimus: de puppis autem ornatu, qualis propoſitus eſt, nonniſi abuſivè videtur uſurpari, uti ἄφλαστον de Prora, in illo interpretis Apollonii L. I. Arg. v. 1089. Ἀκροστόλια ἄφλαστα κατὰ τὴν πρῷραν ejuscemodi ornamenta in prora, qualia in puppi ea, quæ Ἄφλαστα dicuntur. Si de figura docere poſſis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in tuam ſententiam concedam: ſi non, patieris me cum vulgò ſentire. Figuram, reſpondit DULODORUS, docebit Euſtathius. Ἄφλαστον appellat, τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνατετάμενον εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκάμμενον, *id quod ſupra puppim in altum extenditur, ex tabulis latioribus elaboratum.* Ex quibus quis non videt, Apluſtria deſignari, quæ millenis in Numiſmatibus ſupra navium puppis in pennarum formam eminent, & in propoſito adumbrantur? Apluſtria, excepit ARCHÆOPHILUS, ego vela parva arbitrabar, aut tænias; Ita enim Julio Polluci vocantur,


conto

conto ſuper puppi erecta, & ad ventorum flatus mobilia. Ita arbitrabar & ego, reſpondit DULODORUS, ſed mutavi ſententiam; Vela enim & Tænias, expertus ſum differre & inter ſe, & ab Apluſtribus. Interpres Juvenalis, quem Cornutum arbitrantur, Apluſtre *tabulatum* vocat, ad decorandam ſuperficiem navis adpoſitum, alii dicunt *ROSTRA navis, ornamentum puppis.* Recte *tabulatum* vocat, inquit Scheferus, nam *ex tabulis* erat confectum, & *iis pugnabatur.* Lucanus Lib. III. verſ. 671.

Invenit arma furor, remum contorſit in hoſtem
Alter: at hi totum validis APLUSTRE lacertis
Avulſaſque rotant excuſſo remige ſedes.

Quod de velis parvis aut tæniis vix dixeris, de Aphlaſtis autem appoſitè, cùm & Euſtathius, ut vidimus, ἐκ κανονίων πλατέων *ex tabulis latiuſculis* ea elaborata dixerit, imò cùm & ἄφλαςον τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνατεταμένον εἰς ὕψος, *ſuper puppi in altum extenſum* definiverit. Sed hæc, & plura alia, apud laudatum Scheferum. Sequitur

VOTUM MILITIS,



In Tabella ænea literis argenteis diſtincta. Hanc apud Gruterum legi, inquit ARCHÆOPHILUS, quo teſte Smetius eam Romæ apud Gentilem Delphinium deſcripſerat, ab Archi-Epiſcopo Columnenſi donatam; ſed eô nomine mirari ſubit, eandem etiam inter Antiquitates Brandenburgicas cerni. Cùm BELLORIANIS translata eſt, reſpondit DULODORUS, mereturque vel ideò proponi, ut innoteſcat, cujus Gazæ hodie civem agat: Quanquam & Inſcriptio debeat evolvi. C. ALFIDIUS SECUNDUS eam poſuit, cujus familiæ noticiam potiſſimùm Inſcriptionibus debemus, occurrentibus apud Gruterum, præter hunc noſtrum, etiam C. ALFIDIO CALLIPPO, C. ALFIDIO TRIUMPHALI, L. ALFIDIO HERENNIANO, & tandem M. ALFIDIO CRESCENTE. Cogmentum *Triumphalis*, excepit ARCHÆOPHILUS, Militiæ præmium ſapit. Et militiæ ſtudium, reſpondit DULODORUS, cognomentum *Callippi*, quem Triumphalis Patrem ex ALFIDIA IRENE fuiſſe, inſcriptio ea teſtatur, quam non Gruterus tantùm publicavit, ſed & Boiſſardus cum figuris edidit. An autem, & quô agnationis gradu noſter cum his cohæreat, hactenus obſcurum eſt. Militem Cohortis XVII. fuiſſe, ex Tabula liquet, indeque & ratio aperta, cur *MARTI, Deo militari*, ut apud Reineſium vocatur, eam ALFIDIUS ſuſpenderit? De *Marte*, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nihil

 obſcu-

obſcurum; De *Fortuna* autem non abs ratione quæſierim, cùm Miles, qui fortunâ juvatur, Virtutis gloriam videatur amittere? Imò Miles, reſpondit DULODORUS, qui abſque Fortuna ſe credit emerſurum, oppidò fallitur. Amicum ſit, oportet, & Virtutis & Fortunæ præſidium, ſi fortitudinis gloriam captes. Id in Alexandro M. videas, de cujus Fortuna & Virtute Plutarchus luculentis Orationibus commentatus eſt. Sequitur

INSCRIPTIO
PROCURATORIS PORTUS OSTIENSIS,



Quæ rarioribus non ideò tantùm annumeratur, quòd hactenus non prodiit, ſed & ideo, quòd & incognitum *Claudiorum* cognomen, incognitumque officium contineat. Cognomen OPTATI eſt, officium PROCURATOR PORTUS OSTIENSIS. *Procuratorem Portus Anconitani*, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Gruterum legiſſe memini. Imò & *Procuratorem Oſtienſis Viæ*, ſed non *Oſtienſis Portûs.* Non, inquit DULODORUS, hoc tantùm Inſcriptionem commendat. Erui poteſt & ætas; Quis enim cum Claudium hunc Optatum Auguſti Libertum legit, non ſimul colligat, Tabulam Auguſti imperio adſcribendam? Auguſti imperium, excepit ARCHÆOPHILUS, Victoriis Glorioſum fuit, indeque Ego etiam rationem *Laureæ* & *Palmæ* mihi videor colligere. Niſi & ad priſca Vaticinia reſpicias, reſpondit DULODORUS, quæ & cauſa fuére, ut Martius Cenſorinus Portum Oſtienſem & navi & victoriâ inſignem, ſuo in Numiſmate, ſimul cum Numa & Anco portûs conditore expreſſerit, jam tum ſcilicet, ut Florus loquitur, præſagiens animo, futurum, ut totius mundi opes & commeatus, illo veluti maritimo urbis hoſpitio reciperentur. Sequitur

FOE-

M·LICINIO CRASSO
L·CALPVRNIO PISONE COS
IIII·K· MAIAS

GENTILITAS DESONCORVM EX GENTE ZOELARVM
ET GENTILITAS TRIDIAVORVM EX GENTE IDEM
ZOELARVM HOSPITIVM VETVSTVM ANTIQVOM
RENOVAVERVNT ET QVE OMNES ALIS ALIVM IN FI
DEM CLIENTEL AM QVE SVAM SVORVM QVE LIBERO
RVM POSTERORVM QVE RECEPERVNT EGERVNT
ARAVS ABIECAENI ET TVRAIVS CLOVTI DOCIVS ELAISI
AMGILLO CLOVTI BODECIVS BVRRALI FLAESVS CLVTAMI
PERABI ENVM PENTILI MAGISTRATVM ZOELARVM
ACTVM CVRVNDA
GLABRIONE ET HOMVLLO COS·V·IDVS IVLIAS
IDEM GENTILITAS DESONCORVM ET GENTILITAS
TRIDIAVORVM·IN EANDEM CLIENTELAM EADEM
FOEDERA RECEPERVNT EX GENTE AVOLGIGORVM
SEMPRONIVM·TERPETVVM ORNIACVM·ET EX GENTE
VISALIGORVM ANTONIVM AROVIVM ET EX GENTE
CABRVAGENIGORVM FLAVIVM FRONTONEM ZOELAS
EGERVNT
L· DOMITIVS·SILO·ET
L· FLAVIVS SEVERVS
ASTVRICAE

FOEDUS
FAMILIARUM QUARUNDAM ASTURICENSIUM, TABULÆ ÆNEÆ INCISUM.

Incisum huic Tabulæ Familiarum quarundam Asturicensium fœdus, vel ideò meretur legi, quia nomina id suggerit, in Historia minus obvia. *Gentem ZOELARUM* inde discimus, eamque non simplicem, sed *duarum* præcipuè *Gentilitatum*, *DESONCORUM* & *TRIDIAVORUM*, quos ne plebejos arbitreris, adduntur & *Magistratus*, quorum authoritate fœdus percussum fuit, ARAUSABII, CAENI, TURAIUSCLOUTI, DOCIUSFLAISI, AMGILOCLOUTI, BODECIUSBURRALI, ELAESUSCLUTAMI, PERABI, ENUMPENTILI. Tandem, ut & aliis gentibus in idem fœdus aditum fuisse discas, additur & actus, quô recepti memorantur ex *Gente AVOLGIGORUM*, *Sempronius Terpetuus Orniacus*: Et ex Gente *VISALIGORUM*, *Antonius Arquius*: Et ex Gente *LABRUAGENIGORUM*, *Flavius Fronto*. Tandem ne vel locum vel tempus ignores, subjicitur, ASTURICÆ, præponiturque rem actam esse M. LICINIO CRASSO L. CALPURNIO PISONE COS. IIII. ID. MAJAS. Et iterum: GLABRIONE ET HOMULLO COS. V. IDUS. JULIAS. Consules audio, excepit ARCHÆOPHILUS; Sed indicandum etiam, quibus annis Consules fuerint? Priores, respondit DULODORUS, *M. Licinius Crassus* videlicet, & *L. Calpurnius Piso*, Consules fuerunt *Anno V. C. 780*, sub Tiberio: Posteriores autem, *M. Acilius Glabrio* & *M. Valerius Homullus A. V. C. 905*. sub Antonio Pio. Si hoc ita sit, inquit ARCHÆOPHILUS, inter hos actus centum viginti quinque anni interfuerint. Rectè numeras, respondit DULODORUS, & observare Te velim, tantillô tempore quantum in Hispania res Romana creverit? In *priore* actu nomina & cognomina non nisi barbara sunt: In *posteriore* autem, licet familiarum nomina adhuc barbara maneant, cognomina tamen merè Romana leguntur; Imò & Romani, L. DOMITIUS SILO & FLAVIUS SEVERUS dicuntur *egisse*. De loco adhuc doceas velim, excepit ARCHÆOPHILUS; Licet enim *Astures* populum Hispaniæ fuisse recorder, tamen quô in Hispaniæ angulô ii consederint, fateor me non omninò perspicere. Astures, respondit DULODORUS, populus Hispaniæ Tarraconensis fuerunt, Gallæcis proximi, aurifodinis olim nobiles, quos, ut Dio memorat, Augustus domuit. Horum urbs ASTURICA, quæ hîc memoratur, & in qua fœdus hoc initum dicitur, ad fluvium Theram jacuit: Vaillantio Augusti coloniam recepisse, indeque *Augusta* fertur appellata. Cæterùm in principio hujus fœderis velim observes, differentiam *Gentis* & *Gentilitatis*; GENS enim præter alias significationes, si Festum audis, illa appellatur, quæ ex multis familiis conficitur, GENTILITAS autem familiarum propria videtur; ita enim S. Aurelius Victor de Viris Illustribus cap. 24. *GENTILITAS ejus Manlii, cognomen ejuravit, ne quis postea CAPITOLINUS vocaretur.* Differentia hæc, excepit ARCHÆOPHILUS, in fœderis altera parte minus videtur observata; ibi enim licet, qui in fœdus recepti memorantur, & ipsi ZOELÆ fuerint, tamen dicitur, eos ex diversis *Gentibus* fuisse: nisi fortassis *Zoelas* cognominatos arbitreris, postquam in Clientelam recepti sunt. Utut autem hæc sint, illud tamen displicet, quòd EX GENTE IDEM, & IDEM GENTILITAS hac in inscriptione legam; Quidni enim *ex Gente eadem & eadem Gentilitas* fuerat scribendum? Defectum, re-

ſpondit DULODORUS, videri poterit ſupplere forma literæ I. majuſcula. Si exemplo res fulciretur, regeſſit ARCHÆOPHILUS, placito acquieſcerem, ſed hactenus ne unicum obſervavi: cùmque in Hiſpania hoc fœdus initum feratur, ſuſpicio mihi naſcitur, annon tota hæc inſcriptio ſuppoſititia ſit? Plures ſanè in Hiſpania erutas hanc in claſſem relegavit Gruterus. Ea res in medio ſit, inquit DULODORUS: Mihi, quòd inter Belloriana eam invenirem, ſicco pede tranſire non licuit. Subeunt

TESSERÆ.

Ad Teſſeras, inquit ARCHÆOPHILUS, antequam pergamus, pauca velim præmittas de Generibus earum; Niſi enim his præcognitis, ad ſpeciem parvo cum fructu proceſſero. Teſſeræ, reſpondit DULODORUS, variè diſtinguuntur. Si modum conſideres, ſunt vel ὁραταὶ vel ἀκουσταὶ, vel *vocibus* vel *ſignis* expreſſæ: Si uſum, ſunt vel *ſacræ* vel *profanæ*, vel *publicæ* vel *privatæ*, vel *ludicræ* vel *ſeriæ*, vel *militares* vel *Urbicæ*, vel denique *paganicæ*; Ita enim diſtinguendas docet Holſtenius apud Reineſium in Appendice Syntagmatis Inſcriptionum, ubi ſimul &

TESSERA PAGANICA
TOLENTINENSIUM



TESSERAM·PAGA
NICAM·L·VERA
TIVS·FELICISSI
MVS·PATRONVS
PAGANIS·PAGI
TOLENTINES·HOS
TIAS·LVSTRET·TESSR
AER·EX·VOTO·L·D·D

VID·MAS·FELICIT


Quam hîc propono, pluribus dilucidatur, licet Inſcriptio minus accuratè diſpoſita,

sita, & imago muliebris nimis minutè ibi delineata sit. Nisi fallor, infit ARCHÆOPHILUS, hanc etiam apud Sponium vidi. Scio, inquit DULODORUS; Sed is verba L. VERATIUS omittit, Verba HOSTIAS LUSTR falsò PAGANI HOSTIAS LUSTRaverunt, & L. DD. *locus decreto datus*, interpretatur, additque, Solentinum *Urbem* agri Picentini fuisse, Hostias autem Lustratas *ob grassentem morbum.* An hæc aliter se habent? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS, *L. Veratius* in tabula apertè legitur: Et si contextum intuearis, non Pagani, sed Paganorum *Patronus*, non Hostias lustravit, sed *hostias lustricas* aut *lustrales*, non minus ac *tesseram* æream *Dono Dedit*, idque *ex Voto & Lubens*: Non ob grassantem morbum, sed *ex voto*, proculdubio *si viveret*, & adhuc Patronus esset, cui lustratio agrorum & limitum incumbebat. Idque non Urbicis, sed *Paganis* egit: Non Urbis, sed *Pagi Tolentinensis*, & quidem *feliciter* & justo tempore, *V.* scilicet *Idus Majas*, quò mense agrorum & novarum segetum lustrationes fieri solitas, ex Vetere Calendario Rustico Holstenius probat. Sed harum pleraque satis distinctè etiam Causæus tradidit, qui & Tabulam in reliquis integram, imaginemque justa magnitudine expressit. Ego, excepit ARCHÆOPHILUS, literas L. DD. potius *Libens Dedicavit* interpretarer, ut & LUSTR. *Lustravit*; Quis enim hostias unquam *Lustrales* appellavit? Dedicatio, respondit DULODORUS, Diis fieri solebat, non hominibus. Ita nec Hostiæ lustrabantur, sed Agri & Limites. Cæterùm ut Tesseram *Paganicam* dictam, ex sola hâc Inscriptione discimus, ita & discimus Hostias dictas *Lustricas*, seu *Lustrales*, quod idem procul dubio est, quod *Ambarvales*, qualiter Festo teste, appellantur hostiæ, quæ rei divinæ causâ circum arva ducebantur: Quod vel ideò credibile est, quia Macrobio docente, *Lustrare* significat *circuire*, ut in illo Virgil. in Bucol.

Hæc tibi semper erunt etiam solemnia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.

Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, obscurum esse non potest, quas hostias *Veratius Felicissimus*, tanquam *Patronus Pagi Tolentinensis*, *Paganis* suis donaverit; Ambarvalibus enim sacris *Suem*, *Ovem* & *Taurum* antiqui mactare solebant, indeque nomen *Suovetaurilia*, qualia apud Cel. Sponium me vidisse memini. Rem capis, respondit DULODORUS, indeque de tessera potius dispiciendum; Holstenium enim, licet Numina Paganica, exemplô *Jovis Paganici*, & *Genii Pagorum* apud Gruterum, agnoscat, indeque imaginem tabulæ impositam *Cererem* esse conjiciat, eâ tamen opinione rejectâ, potius *Veratii uxorem* aut *filiam* arbitratur, pro qua votum is susceperit. Res obscura est, inquit ARCHÆOPHILUS; Neque enim Cereris hic insignia video, neque ad humanam superbiam publico in monumento descendere ausim. Obscura, inquit DULODORUS; Si tamen, quod sentio fari licet, ad exemplum *Jovis Paganici*, Ego *Junonem Paganicam* hîc ex habitu agnoverim, velo scilicet & corona; Quid enim vetat, ut hanc Tesseram Paganis suis Veratius dedisse credatur? Numen scilicet, cujus cultu noscerentur, cujusque potentiæ Pagi sui felicitatem commendaverint? Sed sua de his, quibuscunque placeant! Subeunt

SORTES,
AN CONVIVALES? AN LUDORUM?



Quarum priorem & ipſam Cauſæus vulgavit, *Teſſeram convivalem* appellans, adductis in rei fidem Lampridio & Livio, quorum hic libro 9. *Conſul teſſeram dari jubet, ut prandeat miles.* Ille in Elagabalo: *Sortes ſanè convivales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem Camelos, alius decem muſcas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem ova pullina, ut veræ ſortes eſſent, & Fata tentarentur: Quod quidem & Ludis ſuis exhibuit, cùm & Urſos decem, & decem Glires, & decem Lactucas, & decem auri libras in ſorte habuit, primusque hunc morem Sortis inſtituit, quem nunc videmus.* Si penitius hæc inſpiciam, inquit ARCHÆOPHILUS, Elagabali exemplum ad propoſitas prætulero; Quid enim *Duo Piſciculi*, quid *Leo* deſignent, niſi Piſciculos, aut Leonem iis exhibendos, qui eos in ſorte habuerint? Cùm utique credibile non ſit, ſolius ſigni gratia ſculptos eſſe, ut eô oſtensô ad Convivium admitterentur. Rectè ſentis, excepit DULODORUS, quanquam perinde ſit, ſive *Teſſeras* has, ſive *ſortes* appelles; Teſſera enim in genere id eſt, quô ſignô aliquid noſcitur, ſive Fortunæ id ſerviat, ſive rationi. Imò niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, nec intereſt, an figuris, an literis conſignetur?

SORTES LITERIS
CONSIGNATÆ,



DE VERO FALSA NE FIANT
IVDICE FALSO

FAVSTE
VIVAS.

Inquit DULODORUS, etiam nobis præſtò ſunt, & quidem poſterior, ſi Cel. Bellorio credis, ex earum numero, quas *Præneſtinas* appellant. Præneſtinæ ſortis, inquit ARCHÆOPHILUS, meminit Lampridius in vita Alexandri Severi. Quidni autem eâdem ratione vel *Antiatina* hæc eſſe poterit, cujus mentio apud Suetonium eſt? Vel *Apennina*, cujus apud Vopiſcum in Firmo. Res incerta eſt, reſpondit DULODORUS. Monendum autem in his omnibus *Sortem* idem ſignificare, quod *Vaticinium* aut *Oraculum*, eôdem modô, quô & *Sortes Virgilianæ* innotuêre. Quicquid ſit, propoſitarum prior videtur & votum continere: FAUSTE VIVAS, ſive FAUSTE Adverbium arbitreres, ſive

five Nomen Proprium. Posterior autem monitum propinat, omnibus Dicasteriis affigendum. De vero falsa ne fiant judice falso! Sed

TESSERA & TALUS

Se sistunt, quibus Veteres in lusibus uti solitos indubium est. Etiam hanc Tesseram, inquit ARCHÆOPHILUS, apud Causæum vidi, qui Capitolinum in Ælio Vero & Ciceronem Lib. 1. De Divin. ad eum allegat. Usum hi monstrant, inquit DULODORUS, qui utique satis vulgaris est. Mihi potius observandum videtur, quod Pausanias docet, *Tesseras* scilicet *à se inventas in Fortunæ templo Palamedem dedicasse. Eoque usum excrevisse, ut artem professi sint ejus asseclæ, seque non ALEATORES, sed TESSERARIOS appellaverint*, ut apud Ammianum Marcellinum est. Hæc in genere de Tesseris, reposuit ARCHÆOPHILUS; In proposita autem ingens in medio foramen video, id cui rei servierit, libenter scirem. Res oppidò difficilis est, respondit DULODORUS, nisi fortè fraudulenti cujusdam artificium subodores; Hodiénum enim inditô Argentô vivô Tesserarum jactus sibi obnoxios reddere solent, indeque quid si simile quid & in hac statuas? obicibus videlicet utrinque objectis operiri solitum arbitratus, ut in quodcunque latus eò facilius derivari posset? Sed suum de his cuilibet judicium esto! Nobis de Talo disquirendum, quem ex descriptione Plinii noveris: *Talus rectus*, inquit, *est in articulo pedis, ventre eminens concavo, in vertebra ligatus*. De osse loquitur Author, excepit ARCHÆOPHILUS; at hic non osseus, sed æreus est. Eòque rarior, respondit DULODORUS; talem enim, qui hactenus de Alea scripserunt, ignorant. Senftlebius præter osseum illum, quem animalium bisulcorum plura, ex Solipedibus autem solus Asinus Indicus suppeditat, *talos ex cornu Doryadum* memorat, quos Antiochus Epiphanes, Athenæo teste, notis ignotisque locô muneris obtulerit: memorat *talos Siphnios* ex Casaubono: Item *eboreos* ex Lemmate Martialis in libro Apophoret. Ep. 14. & *aureos Parthorum* ex historia Demetrii; sed *æreorum* non meminit, qualem tamen etiam suprà, Romano Numismati aut Ponderi impressum vidimus. Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS; sed de usu velim instrui. Alius non erat, respondit DULODORUS, ac Tesseræ, quanquam hæc *sex*, Talus autem *quatuor lateribus tantùm* in lusu valuerit. Jaciebatur videlicet vel solus, vel cum aliis junctus, Non tamen cum pluribus, quàm cum tribus, adeò ut quatuor juncti summum jactum conficerent. Et quomodo? subjecit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen nec puncta, nec numeri, nec figuræ hic appareant? Numeros Talis non inscriptos, regessit DULODORUS, Puncta autem & figuras fuisse, ex Thoma Freigio, Turnebo, Alexandro ab Alexandro, Veterique Persei Scholiaste, asserit allegatus Senftlebius. Ad nostrum autem facit Julius Pollux L. IX. c. 7. Onomast. Τὸ δὲ σχῆμα τȣ̃ κατὰ τὸ ἀςράγελον πτώματος ἀριθμȣ̃ δόξαν εἶχεν, *ipsa casus figura & facies pro numero erat*. Hoc ut intelligas, sciendum concavum Tali latus *unitatem*, latus convexum *senarium*, reliquorum duoram laterum angustio-

rum


rum, alterum *ternarium*, alterum *quaternarium* valuiſſe; Binarius enim & quinarius, teſte eôdem in Talis non erant, reliquaque duo latera, quòd rariſſimè ea conſiſterent, non attendebantur. Ergo numeris jactus diſtinguebantur, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò & nominibus, reſpondit DULODORUS, ſed hæc noſtri inſtituti non ſunt, videri poſſunt apud Meurſium in Græcia Ludibunda, in Souterii Palamede, & allegato aliquoties Senftlebio. Sequitur

AQUILA LEGIONARIS PICTA,



Et quidem, ut obſcurum non eſt, in Calce. Si in calce, excepit ARCHÆOPHILUS, illud picturæ genus, quod vulgò in *freſco* vocant, etiam apud Veteres in uſu fuerit. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, idque cum Gloria noſtri Sæculi; tantam enim ejus artis excellentiam hodie paſſim, & hac ipſa in REGIA ELECTORALI veneramur, ut propoſitum, non minus ac AMAZONEM, quam ſupra fugientem hoc ex genere vidimus, vix rudimenta arbitreris. De Aquila Legionari, excepit ARCHÆOPHILUS, res trita eſt. Eam enim demonſtrat ferculum, cui inſiſtit. Quid autem ſequentia?


INSIGNIA MILITARIA,



Reſpondit DULODORUS, ea inſcripſit Bellorius, cui ſi aſſentiri dubites, mini-

minimùm *insignium partes* arbitraberis, eas scilicet, quibus imagines affigebantur. Signa *Aurea* erant, excepit ARCHÆOPHILUS, vel certè *argentea*; at proposita *ferrea* video. Signa aurea & argentea, respondit DULODORUS, non abnego. Loca Lipsio eam in rem citata opinionem evincunt. Ferrum autem poterit vel necessitas vel ingenium fulcire; Quid enim, si ferrum vel auro vel argento tectum fuerit? Quid si imagines aureæ aut argenteæ ferrum absconderint? quô sensu & intelliges, cur non tàm *insignia*, quàm *insignium partes* appellandas censeam, deficiente scilicet præter imagines, etiam hastâ, cui infixa ejusmodi imaginum fercula passim in nummis observantur. Succedunt

JACULORUM & SAGITTARUM CUSPIDES.



Diversorum hæ generum sunt, inquit ARCHÆOPHILUS. *Prima* duobus, *secunda* tribus, *tertia* quatuor lateribus clauditur. Quatuor laterum, respondit DULODORUS, fuerunt cuspides Pilorum, uti videre est apud Lipsium ex Appiano; qui & de hamatis sagittis Propertium, imò & de triplici hamo Statium citat. Illum de Amore:


Et manus hamatis utraque est armata sagittis.

Hunc Lib. IX.

Aspera tergeminis acies se condidit uncis.

Ut de Sagittis quadrangulis taceam, quæ nobis non adsunt. Succedit

CLAVUS TRABALIS EX PANTHEO.



Clavos trabales, inquit ARCHÆOPHILUS, Necessitati dedit Horatius L.1. Od.35.


Te semper anteit sæva Necessitas,
CLAVOS TRABALES, & cuneos manu
Gestans ahena.

An autem ærei fuerint meritò dubites; Idem enim L. 3. Od. 24. Adamantinos vocat:

Si figit ADAMANTINOS
Summis verticibus dira Necessitas
CLAVOS.


Clavi trabales, excepit DULODORUS, non tàm ex materia, quàm ex magnitudine noscuntur, Trabales enim dicuntur, quibus Trabes configebantur, quos sanè magnos fuisse oportet. Quanquam negari non possit, etiam ad firmitatem respiciendum esse, quam magnitudo infert, cujusque respectu Lyricus fortassis *adimantinos* appellavit. Notandum autem *clavo trabali figere*, teste Cicerone, etiam proverbii loco dictum esse: *ut hoc beneficii*, inquit, in Verrina, *quemadmodum dicitur, CLAVO TRABALI FIGERET.* Transeant hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, unde autem Tibi innotuit, Clavum hunc ex Pantheo desumtum? Ex Catalogo Bellorii, respondit DULODORUS, quod utique eò credibilius est, quod Trabes Epistyliorum ex ære fusæ memorantur, quas æreis clavis confixas, conveniens utique est. Sed plura de his apud Smetum.

CLAVUS
ORNATUUM EJUSDEM PANTHEI



Se sistit ex ferro, figuram literæ T. adumbrans. Litera T. excepit ARCHÆOPHILUS, inter sacras censetur, quòd crucis ea formam præferat. An eò respiciendum sit, dubito, respondit DULODORUS, quanquam Templo omnibus Diis consecrato, hic clavus servierit, id quod ejusdem Bellorii fide assero. Subit

CELTES.



Et nomen & instrumentum mihi obscurum est, infit ARCHÆOPHILUS; Instru-

Instrumentum Statuariorum est, respondit DULODORUS, qui simulacra ex Cera, Alabastro, aliisque lapidum generibus cædunt & poliunt. Græcis dicitur Ἐγκοπεὺς, quâ voce Lucianus usus est in Somnio, ubi cum lusum non insuavem dixisset, Deos sculpere, & parva quædam simulacra adornare, addit ἐγκοπέα γάρ τινά μοι δὸς, scilicet avunculus, id quod Joh. Benedictus vertit, *Celte datâ*. Celte? excepit ARCHÆOPHILUS; at nisi fallor hæc vox Latinis incognita est? Habetur, inquit DULODORUS, in versione vulgata Libri Hiob c. 19. quamvis alii non *Celte*, sed *Certè* ibi legant, quod tamen minus quadrat. Quicquid sit, instrumentum Statuariorum hoc esse, ex forma patet, figuris incidendis aptissima; neque enim opinio Molineti videtur admittenda, qui *Securim* appellat, cùm nullus aptandi manubrii locus huic faveat. Metallum, reposuit ARCHÆOPHILUS, minus videtur convenire. Instrumentum hoc ex ære est, quod duritiem lapidum nescio an superare potuerit? Uti lapides diversi sunt, regessit DULODORUS, ita diversa fuisse etiam metalla instrumentorum, iis cædendis destinatorum, facilè cesserim. Vet. Gloss. Celtem *instrumentum ferreum* dicit, proculdubio quòd durioribus lapidibus ferreum chalybe munitum servierit. Hoc autem non obstat, ut æreum vel ceris, vel terris, vel lapidibus mollioribus fuerit adhibitum. Si tamen res Tibi minus probetur, me non contradicente, molliori vocabulo γλυφεῖον *cælum* poteris & appellare & credere. Γλυφεῖα etiam Statuariorum instrumenta fuisse, ex allegato modò Luciano planum est, ubi Humanitas, *si me relinquis*, inquit, σχῆμα δουλοπρεπὲς ἀναλήψῃ, καὶ μοχλία, καὶ γλυφεῖα, καὶ κοπέας, καὶ κολαπτῆρας ἐν ταῖν χεροῖν ἕξεις, *habitum servilem assumes, Vectes, COELA, CELTES, Scalpra præ manibus habebis*. Sequitur

PUGIO,



Qualibus Cæsarem interfectum, ex Numismate Bruti docemur. Creber fuit in cædibus Pugionis usus, excepit ARCHÆOPHILUS. Apud Suetonium Nero, ut comperit se hostem judicatum, *duos pugiones*, quos secum tulerat, arripuit, tentatâque utriusque acie rursus condidit: Et Otho arripuit *duos pugiones*, & explorata utriusque acie, cùm alterum pulvino subdidisset, quievit: Circa lucem expergefactus, uno se trajecit ictu infra lævam papillam. Vitellius *pugionem* Consuli primum, deinde illô recusante, magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrexit, nulloque recipiente, quasi in æde Concordiæ positurus abiecit. Cajus ad ulciscendam Matris & Fratrum necem cum *pugione* Tiberii dormientis cubiculum ingressus est: Domitianus *pugionem* pulvillo subdiderat: Et Cæsaris interfectorum nonnulli eôdem illô, quô Cæsarem violaverant, se interemérunt. Tam vulgatum scilicet cædium instrumentum *Pugio* fuit, ut & apud eundem Suetonium, Cajus librum morti destinatorum, *Pugionis* nomine insignierit: Adeò ut mirum videatur, quî idem etiam Tribunorum insigne fuerit? Et quis hoc asserit? quæsivit DULODORUS; Tur-


 nebus,

nebus, respondit ARCHÆOPHILUS, majoribus Magistratibus gladium, minoribus pugionem datum asserens, qui *Parazonium* dicebatur. Pugionem & Parazonium Hic rem eandem facit, regessit DULODORUS, cùm tamen utriusque non parva differentia sit. Nonne & Lipsius rem eandem statuit? iteravit ARCHÆOPHILUS. *Pugionem*, inquit, Latinâ voce dixit Tacitus, alii Græcanicâ *Paramerium* aut *Parazonium*. Scio horum placita, inquit DULODORUS; sed Antiquariorum solertia prævalet. Pugio à *pungendo* dicitur, quòd eò punctim pugnetur, ut Festus ait: Et hoc non nostro tantùm, sed & Neronis & Othonis pugionibus convenit, quorum aciem exploràsse memorantur. An tale parazonium? Neutiquam! Antonio Augustino sub virtute, παραζώνιον, *latus gladius, cui acies deest*: Et sub Roma: *Gladiolus, qui cuspide caret*, describitur: Et tale omninò in Numismatibus visitur, tale & in Statuis & Toreumatibus. In Columna Trajana, excepit ARCHÆOPHILUS, militibus Romanis ejusmodi Parazonia à dextra dependere video. Id non dixerim, reposuit DULODORUS; Parazonium enim, est id genus brevioris gladii, quòd à Zona revinctum, & quidem in sinistra gestabatur, non à militibus, sed ab Imperatore, Legatis, & Tribunis, uti in eâdem Columna videre est. Ideò sanè Martiali dicitur *Militiæ decus*, & *Nomen honoris*.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma Tribunitium cingere digna latus.

Id autem gladii genus, quod milites in Columna Trajani gestant, non à Zona revinctum est, sed ab humeris dependet, & communi Gladii nomine venit, quem Peditibus breviorem, Equitibus autem longiorem fuisse, Eruditissimus Raphaël Fabrettus observat: Quanquam non negandum sit, ut tempora, ita & mores, tàm in bellicis quàm in Civilibus variàsse. Nobis sufficit Pugionis formam, & à Parazonio differentiam ostendisse, quam alias nec Rev. Harduinus observavit, Parazonium *pugionem* interpretatus, ad Numismata Πρασιέων. Subeunt

VOLSELLÆ



An Hæ antiquæ sint? infit ARCHÆOPHILUS: At hodiénum inter alia ornatioris curæ instrumenta vulgò & venduntur & usurpantur. Non omnia Priscorum frivola sunt, respondit DULODORUS, nec adeò degener est hodierni mundi genius, ut omnia eorum inventa contemnat. Exemplum memini in curru vidisse, qui manibus agitabatur. Omnes rem tanquam novam inventum mirabantur, sed mihi extemplo succurrebat, quod ex Nequitiæ Arbitro observâram: Ejusmodi videlicet currus non tantùm antiquis in usu fuisse, sed & Græcô vocabulô χειρομάξια dictos, quòd manu agerentur. Quicquid sit, Antiquis pilos evellere insuetatum non fuit. De Cæsare Suetonius c. 45. *Circa curam corporis*, inquit, *morosior erat, ut non solùm tonderetur diligenter ac raderetur, sed VELLERETUR etiam.* Hoc dubium non est, subjecit

jecit ARCHÆOPHILUS; Id autem videtur disquirendum, an propositum instrumentum ei rei servierit? Et quomodo? respondit DULODORUS, cùm adhuc ei serviat? Imò, perrexit ARCHÆOPHILUS, an idem fuerit etiam Antiquis? Quidni? regessit DULODORUS, cùm nostrum inter alias Antiquitatis reliquias Santenæ, ubi olim Castra Trajani fuére, ex sepulcro fuerit extractum? Si res ita se habeat, inquit ARCHÆOPHILUS, de antiquitate amplius dubitare non ausim. Sed quis instrumenti hujus meminit? Græcum nomen, respondit DULODORUS, τριχολαβὶς videlicet, & τριχολάβιον, *à capiendis capillis* formatum, ex Aëtio citat Henricus Stephanus; Latinum *Volsella* habet Martialis L. IX. Ep. 28.

Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque sævæ cana labra VOLSELLÆ.

Sequuntur

MANUBRIA.



Manubria agnosco, excepit ARCHÆOPHILUS, nam cava sunt, ad immittendum vel Cultrum, vel aliud quoddam instrumentum; Quid autem figuræ, quas præferunt? In altero caput *Apri* video, capiti hinc *fœminæ*, inde *viri* junctum: in altero video caput *Equi*. Caput *Equi*, regessit DULODORUS, ad Neptunum videtur pertinere; huic enim Equus sacer fuit. Nisi etiam ad Solem respicias. Quicquid sit, indubiè tamen manubrium hoc instrumenti cujusdam sacri, vel Solis vel Neptuni arbitraberis, idque eò magis, quò apertius adhuc in ore hujus Equi, annuli, quô suspendi posset, fragmentum apparet. Simile quid videas in Secespita, quam Choulius p. 289. protulit. Hoc patet, subjecit ARCHÆOPHILUS: Quid autem de *Apro*, capitibus hinc *fœminæ* illinc *viri* apposito? Aprum Calydonium mihi in mentem revoco, inquit DULODORUS; Quid enim fœmina cum Apri capite, si non Atalanta, cui Apri caput Meleager obtulit? ut apud Ovidium est L. VIII. Metam.

Protinus exuvias rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.

Ora sanè dentibus magnis insignia clarè patent, & quàm aptè ad Atalantæ formam cecinit idem?

Facies, quam dicere verè
Virgineam in puero, puerilem in Virgine posses.


 Et

Et paulò ante:

Crinis erat simplex nodum collectus in unum.

Si hæc ita sint, interrupit ARCHÆOPHILUS, caput viri, quod retrò fœminam visitur, caput *Meleagri* sit necesse est. At Meleager non fuit barbatus; Imberbis enim in Toreumatibus, & à Cl. Sponio & à Te editis, visitur, id quod cum ætate ejus perquam convenit; Constat enim ortô ex invidia post venationem bellô, fratribusque Altheæ interfectis, & ipsum Meleagrum contabuisse, adeòque imberbem etiam efferri in Toreumate inter Admiranda Statuariæ vulgato: Indeque ego potius ad Herculem & Aprum Erymanthium respicerem, sub capite fœmineo vel Dejaniram vel Omphalem intelligens. Quid ad has Aper? regessit DULODORUS. Si Atalanta minus placet, tutissimè par aliquot Conjugum Venationibus deditissimum substitues, qui manubrium hoc, & instrumentum, cui id inserviit, proculdubio honori Dianæ, venationum Deæ consecrârit. Sed hæc utcunque placeant. Succedit

ANNULUS SIGNATORIUS
P. NONII PRIMI,




Eâdem, quâ hic delineatum trado, magnitudine. An hunc possessor digito gestaverit? infit ARCHÆOPHILUS. Non dixerim, excepit DULODORUS, potius annulum commodioris usus gratia appositum credas. Usus? repetiit ARCHÆOPHILUS, & qualis ille fuerit? Annon æreum illud quadratum, cui P. NONIUS PRIMUS inscriptus est, servierit ad exprimendam eò fortius, quæ in annulo, Gemmæ locum occupat, Lyram? Id non negavero, inquit DULODORUS, sed juxta considerandum, etiam annulum ad exprimendum eò fortius *P. Nonii Primi* nomen facere, & huic præcipuè usui annulum crediderim destinatum, quanquam simul & Lyræ serviat. Nomen, perrexit ARCHÆOPHILUS, ideò tantùm arbitrabar insculptum, ut nosceretur, cujus annulus esset, sed video ordine retrogrado scriptum, adeòque haud difficulter assentior, & ipsum ad signandum usurpatum fuisse, quanquam nondum intelligam, quâ occasione? Certè literis obsignandis, vix est, ut credi debeat fuisse destinatum. Si me audias, respondit DULODORUS, *P. Nonium Primum* figulum credes, fictiliaque hoc signo signasse. Rei basis mihi est, quòd Lateres, Pateras, Urnas, Lampades Figulorum nominibus insignitas fuisse, ex Antiquitatis penu etiam nostra pateat. Res incredibilis non est, subjecit ARCHÆOPHILUS, Noniam enim Familiam Plebejam fuisse, ex Ursino constat, quanquam nostri non meminerit. Unica, reposuit DULORUS,

RUS, apud Gruterum ejus eſt memoria, idque pag. 882. n. 4. ex Urna roſis exornata, & Meſſanæ in templo Herculis reperta. Ita habet:

P. NONI PRIMI
POMPONIA ÆMA.

Rara eſt hæc inſcriptio, infit ARCHÆOPHILUS, & ritè adducitur ad rariſſimum Antiquitatis monumentum. Ejusmodi ſanè Sigilla me nullibi vidiſſe memini; At quatuor, inquit DULODORUS, in Sertorii Urſati Monumentis Patavinis exſtant p. 171. ex Muſæo Illuſtriſſimi Comitis de Lazara depromta, quanquam aliis cum inſcriptionibus. Sequuntur

CLAVES ANNULATÆ.



Has inſpicere, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi perquam gratum eſt; Lipſius enim ad Tacitum p. 801. & Gutherius de Jure Manium p. 77. de iis agunt, arbitranturque, eas olim & ſignandi & aperiendi gratiâ uſurpatas. Scio placitum, reſpondit DULODORUS, ſed niſi firmiora argumenta proferas, deſignandi officiô mihi vix perſuadebis. Quidni? excepit ARCHÆOPHILUS. Annon apud Plautum Mater Familias:

Obſignate cellas, referte annulum ad me.

Et alibi:

Iſti parcipromi, qui ſalinum ſervis obſignant
Cum ſale.

Nonne Martialis:

Nunc ſignat meus annulus lagenam?

Ad quæ omnia Lipſius: *Annulos*, inquit, *ejusmodi ſignatorios (ferreos tamen, ut appareat ſervorum fuiſſe, aut vulgarium Militum) complures erutos ipſi vidimus in Batavis, cum adjuncta clavi, ad duplicem ſcil. uſum, SIGNANDI APERIENDIQUE.* Quid clarius dici poteſt? Nollem hæc Lipſio excidiſſe, reſpondit DULODORUS; Quæſo enim ARCHÆOPHILE? An allegatis Authorum in teſtimoniis vel minima clavis eſt mentio? Annulum Materfamiliâs ad ſe referri jubet: Annulô jubet obſignari, id quod etiam in reliquis dicitur; Quid autem hoc ad Clavem? Nonne potius eos Annulos intelligas, de quibus inter Gemmas egimus? Signatorios ſcilicet illos, qui non clave, ſed figura Gemmæ inciſa inſtructi ſunt, & ad res obſignandas abs omni dubio uſurpabantur? At, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi non Clavibus ſignârunt, ad quid Annulô opus erat, côque non directè, ſed obliquè clavi annexô? Ad quid tam variæ Clavium ejusmodi inciſiones? Inciſiones, repoſuit DULODORUS,

ſera-

ſerarum varietatem evincunt: Annulus autem obliquè Clavi annexus, digito quidem ejusmodi claves geſtatas arguit, ut ſcil. ubique præſtò forent, nec facilè amitterentur: iis autem res obſignatas fuiſſe, non arguit. Plura videri poſſunt apud Smetium in Antiquitatibus Noviomagenſibus. Succedunt

APOPHERETÆ.




Cauſeus hæc Inſtrumenta protulit, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed ille non *Apopheretas*, ſed *Pateras* appellat. Idque falsò, reſpondit DULODORUS; Pateræ enim, ut ſupra docui, cum profunditate patebant, id quod ex earum uſu elucet; Erant enim (ut ipſius Cauſei verbis utar) *erant vaſa ſacrificiis deſtinata, quibus ſacerdotes vinum inter cornua victimarum ſpargebant*; At hoc quî fieret propoſitis inſtrumentis? cùm hæc plana ferè ſint, omnique profunditate careant? Si peccavit Cauſeus, levius eſt ejus peccatum, inquit ARCHÆOPHILUS; ſequitur enim Caſalium, & quantum in Antiquitate virum? qui & ipſe de Rom. Sacrificiis p. 364. *Pateras* dixit. Dixit, reſpondit DULODORUS, ſed non probavit. Mihi ſanè non Pateræ hæ videntur, ſed ea inſtrumenta, quibus in conviviis obſonia imponi, aſſidentibusque porrigi ſolebant. Id ex Iſidoro mihi videor adſtruere poſſe, qui L. XX. c. 4. de Vaſis Eſcarum: *APOHERETA*, inquit, *à Græcis à ferendo poma, vel aliud, nominata: eſt enim PLANA.* Vides, ARCHÆOPHILE, Inſtrumentum hoc planum fuiſſe, qualiter & propoſita ſunt: Vides denominatum à *ferendo poma*, vel *aliud quid:* adeò ut bellaria eô convivis oblata, haud abs re conjicias, quem uſum nec forma aſpernatur. Mihi, inquit ARCHÆOPHILUS,

Apophe-

Apophoreta videbantur Convivarum munera; Ita enim videre eſt apud Sueton. Veſp. c. XIX. & alios. Scio, reſpondit DULODORUS. Lipſius de his plura in Saturn. L. I. c. 16. Quanquam nec Iſidori placitum reticeat. Prona ſcilicet ab inſtrumento ad ipſas res translatio. Mihi nec illud tacendum videtur, quòd Iſidorus dicit: à *ferendo Poma* &c. appellatam Apopheretam; Quàm commodè enim in priore Mercurius cum Paride delineatur, quorum alter, ſecundum fabulam, pomum formæ præmium in Idam detulit, alter Veneri adjudicavit? Si in omnibus tale quid occurreret, inquit ARCHÆOPHILUS, conjecturæ aliquid tribuerem; ſed his inhærere operæ pretium non eſt; præter enim quòd fabula nota eſt, delineatam non apud Cauſæum tantùm, ſed & in Theſauro Grævii licet contemplari. In utroque perperam, ſubjecit DULODORUS, id quod conferenti facilè patebit; Præter enim quòd Cauſæi Sculptor latera inverſa nobis dedit, dedit & quædam mutila, quædam malè delineata. Ubi *Bos* apud Cauſæum, qui ad pedes Mercurii & Paridis jacet? Ubi *cingulum*, quô Paris tunicam ſub pectore ligavit? ubi *Fibula*, quâ ſuper humerum eandem ſtrinxit? ubi *velamen hiatibus diſtinctum* in brachiis? Ita in voce MIRQVRIOS, litera quarta non figura Q, ſed O, qualiter in Numiſmatibus Syracuſanorum & Crotonienſium, & Corinthiorum cernitur: Litera ultima non figura 2. ſed S. expreſſa eſt: Ut alia taceam, quæ penitius inſpicientes latere non poſſunt. Ita notandum in ſecundo, ubi tria capita affinguntur, partem poſticam eſſe, caputque in manubrio non *cornibus* inſigniri, ut Cauſæi Sculptor delineavit, ſed *auribus:* Non *canis* eſſe, ut Cauſæus putat, ſed *hinnuli:* adeòque capita hæc vel Oreadum cenſeri, vel ſanè larvas Bacchicas credendas, non verò *tria virginis ora Dianæ:* Et quid ſi *Dryades* ſint, ut arborum, ita & fructuum arboreorum præſides? Sed ſuum de his judicium cuilibet liberum eſto! Prodeunt

ARMILLÆ,



Quarum mediam etiam Nobiliſſ. Cauſæus propoſuit, ſed minus accuratè delineatam. Qua in re? excepit ARCHÆOPHILUS. In capite, reſpondit DULODORUS; *Serpentinum* enim exhibuit, quod revera *arietinum* eſt. Senſus idem videtur, regeſſit ARCHÆOPHILUS; utrinque enim ratio *ſanitatis* videri poteſt concurrere, cujus ſymbolum & *Aries* & *Serpens* fuit. Imò, excepit DULODORUS, in Ariete etiam *laus militaris* concurrere poteſt;

conſtat enim, Arietem etiam inſtrumentum bellicum fuiſſe: conſtat, Armillas non tantùm ornatui fœminarum ſerviiſſe, ſed & Militibus virtutis ergò donatas eſſe, de qua re Feſtus teſtatur. Eſt autem hæc noſtra reverâ ferrea, ſed ut argentea videretur, tenui argenti laminâ inducta, conſtatque filô unicô in octangulum formato, alterumque caput deficit. Etiam hoc apud Cauſæum aliter, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Quid autem pluribus moramur?

CATELLA



Subit, reſpondit DULODORUS, & aurea quidem, quales Mulieribus geſtatas, Plinius l. 33. c. 3. memorat. De Catenis id aſſerit author, excepit ARCHÆOPHILUS; Quis autem de Catella? Horatius, reſpondit DULODORUS, ita enim Lib. I. Ep. 17.

Nota refert meretricis acumina, ſæpè CATELLAM,
Sæpè Periſcelidem raptam ſibi flentis.

Ubi Catellam *parvulam Catenam* interpretatur Lambinus. Non autem Mulieres tantum Catellas aut Catenulas ejusmodi geſtârunt, ſed & viri, & quidem militares. Id ex Livio adſtruxeris, quo Lib. 39. authore: *Quinctius alter Prætor ſuos Equites CATELLIS ac Fibulis donavit.* Sequuntur


INAURES.



In quibus notandum, *priorem* ſuccineam ab acu aurea pendere, *poſteriorem* autem vitream eſſe, & *Illam* quidem figurâ Ampullæ pyraceæ, & ſcintillante flavedine conſpicuam: *Hanc* autem figurâ Amphorulæ candidiſſimè transparentem, incluſâ intra ventrem urnulâ cæruleâ, id quod oppidô rarum eſt. Raritatem agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS: Et ad *priorem* recordor ex Plinio L. 37. c. 2. *Succina ejus ætate in deliciis fœminarum adhuc tantùm fuiſſe.* Idem Author, reſpondit DULODORUS, capite ſequente etiam *vitiis aurium id mederi* tradidit, quod ad inaures non fruſtrà adduxero: Imò & tradidit cauſam Fabulæ Pado annexæ, quòd ſcilicet *transpadanarum agreſtes fœminæ monilium vice ſuccina geſtaverint.* Ut autem in his voluptas dominata eſt, ita in vitro inauris *poſterioris*, fragilitatis humanæ conſideratio videtur concurrere. Res aperta eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Quid enim vitro? quid & homine fragilius? Imò & meditatio mortis connotatur, perrexit DULODORUS,

RUS, connotatur & post mortem felicitatis æternæ gloria; Quid enim aliud Urnula? Quid aliud urnula coloris Cærulei? Succedunt

BULLÆ,



De quibus cùm jam suprà abundè dictum sit, hîc quod accedere posset, non haberem, nisi Causæus in priore cordiformi *Phallum* agnovisset, quod tamen in Bulla secus est. *Clavis* videtur, excepit ARCHÆOPHILUS, ex earum genere, quibus per attractionem hodiénum utimur. Rem destituere malim, respondit DULODORUS, quàm incertâ conjecturâ definire. Illud ex nostris patet, Bullas non tantùm Cordiformes & Rotundas, sed & Ellipticas in usu fuisse, placetque in tertia Pallas, observante Causæo, Ingeniorum Præses, de qua Ovidius L. 3. Fastorum:

Pallada nunc pueri teneræque orate puellæ,
Qui benè placârit Pallada, doctus erit.

Sequuntur

PHALLI.

Quos denuò cum prævia licentiæ petitione expono: quanquam id forsan necessarium non foret; Si enim Livia Viros nudos, ut statuas intuita est, multò magis exsanguia ejusmodi Generationis instrumenta, mens purior eâ contemplabitur intentione, quâ nos producimus, quâque Theophilus Præsul Alexandrinus, Socrate teste, Priapos per medium forum asportari jussit, ut scilicet Gentium mysteria ignominiæ exponerentur. Me non offendunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Memini etiam in Sacris *Baal-Peor* memori, qui si Andreæ Bayero in additamentis ad Seldenum de Diis Syris credimus, aliud nihil fuit, quàm ejusmodi Mutinus. Illud in propositis singulare est, quòd quidam *alati*, quidam autem *duplices* prodeant. Alatos, respondit DULODORUS, etiam apud Causæum videas, qui integrâ Dissertatione & Phallorum tractationem excusavit, & formam explicavit. *Alas* is ex Kirchero ad velocem facultatis generatricis potentiam reducit, eò quòd Eusebio L. II. Præp. Ev. c. I. teste, membra genitalia apud Veteres ideò præcipuè culta fuerint, quoniam ad generationem necessaria sint, & per ea species animalium conserventur & propagentur. Ad alas, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi in mentem venit Hesychius, cui Φάλλη ἡ πετωμένη ψυχὴ *anima volans* dicitur, Φάλλη sanè & Φάλλος affinitatem suam etiam sonô produnt: Et ex Aristotele liquet, animam in semine & conceptu, si non actu, tamen potentiâ esse. Ex eôdem, reposuit DULODORUS, etiam duplicem seminis naturam esse dixeris, *aëream* scil. & *aqueam*; Constat enim *ex Spiritu*, sive aëre calido, & *Aqua*, ut Author loquitur: Et cum spiritus naturâ volatilis sit, utique mirum non est, alas phallo appositas cernere. Inventum, inquit ARCHÆOPHILUS, ex intimis, ut

 video

video, Philosophiæ penetralibus desumtum est; Vereor autem, ne libidinosa fœminarum, an meretricum? ignorantia rem aliò detorqueat, alatos ejusmodi phallos ob transitoriam functionem detestata, duplices autem, si per naturam liceret, omnibus votis sibi conciliatura. Jocaris ARCHÆOPHILE, excepit DULODORUS. Non quid ignorantiæ & libidini placeat, sed quid veteres intellexerint, nobis est quærendum. Duplex phallus proculdubio potentiam Naturæ, ubique generationi aptam significat, sive Physicè rem explices, sive Theologicè: ideò scilicet phallum, ut supra ex Eusebio dictum est, Divinis honoribus affecére, quòd generationi serviret. In sacris Bacchi, subjecit ARCHÆOPHILUS, phallos prælatos, imò & Baccho erectos memini. De Græcis id testatur Lucianus de Dea Syria, ubi & ipsum Bacchum ante Templum ejus Deæ duos Phallos posuisse, & Græcos factum imitantes, ipsi Baccho tales erexisse memorat: Testatur Athenæus L. V. ubi in Pompa Bacchica Ptolemæi Phallum aureum cubitorum centum & viginti circumductum scribit. Ægyptiorum quidem fœminæ loco Phallorum, si Herodoto credimus, statuas cubitales cum nutantibus mentulis circumferebant, id quod Græci imitantes, Lucianô teste, & ipsi viros exiguos, magna virilia habentes, *Neurospasta* vocârunt, & in festis Dionysii circumportârunt; Sed Phallos hi non omiserunt. Imò ab iis etiam Italia religionem videtur traxisse. In mentem venit, quod Cœl. Rhodiginus ex Varrone narrat: In Italiæ compitis Liberi Patris festa celebrantes, Liberi membrum, per dies festos magna celebritate, plostellis per agros prius, mox & in urbem circumvectâsse, cui inspicientibus omnibus, matrem familiâs honestissimam, coronam necesse erat imponere. Hoc nihil mirum, inquit DULODORUS, cùm Augustino memorante, Romæ Mutini, aut Priapi, fascino Matronæ novæque nuptæ inequitarent. Si rationem quæras, cur Baccho Phalli fuerint erecti? eadem proculdubiò erit, quæ & nominis Liberi, quòd scilicet mares in coëundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur; nisi potius historia illa placeat, quam Arnobius protulit. Peregregia scilicet! subjecit ARCHÆOPHILUS, sed ad rem. Propositos ego in templis erectos non crediderim, id enim parvitas prohibet. Quosdam catenulis video revinctos. Aliis annulus est, quô à catena suspenderentur: an quòd mulieres? an quòd viri eos gestarent? Quicquid credas, regessit DULODORUS, nec ratio nec authoritas deerit. Pro fœminis est Causæus: *Priapus*, inquit, *genius mulierum habebatur, siquidem ejus virilia præcipuè colebant fœminæ ad fœcunditatem sibi procurandam, phallaque tum ex ære tum ex auro & argento DE COLLO SUSPENDEBANT, & alia in annulis expressa gerebant, quæ passim in Musæis observantur.* Pro viris Arnobius Lib. V. ubi Cypriæ Veneris initia sumentes, certas stipes memorat inferre ut meretrici, referre autem *phallos*, propitii Numinis signa. Idem etiam apud Firmicum legas. Alii pueris arbitrabantur res ejusmodi turpiculas à collo fuisse suspensas, & quidem contra fascinationes, id quod ex allegato suprà Cælio Rhodigino firmari potest, qui Phallum etiam *Fascinum*, ideò dictum arbitratur, quòd fascinationes averruncaret: imò & ex Varrone L. VI. de L. L. quem Smetius allegat his verbis: *Pueris*, inquit, *res quædam turpiculæ à collo suspendebantur, ne quid obsit bonæ scævæ causæ.* Diversos video, perrexit ARCHÆOPHILUS. Quidam rigido nervo extenduntur, quidam autem languente jacent: indeque hos ad averruncandas fascinationes tantùm, illos autem etiam ad generationis spem & fiduciam retulerim. Quicquid autem sit, à phallo gestando φαλλοφόρȣς memini dictos. Si Athenæum audias, respondit DULODORUS, Phallophorus dictus

dictus est, & qui Phallum canebat, & qui Phallum gestabat, uterque autem in *Phallogogia* seu *Periphallia*, quibus vocabulis Phallorum pompa denotabatur; An autem is *Phallophorus* dictus sit, qui Phallum ejusmodi parvum à collo suspensum gestavit, absque Veterum authoritate non affirmarem. Duo adhuc, excepit ARCHÆOPHILUS, in propositis video, Manum & Lunam. Et Manum quidem interdum complicatam, prominente inter duos digitos proximos pollice. An ex Martiale rem dilucidare licebit, qui L. VI. Ep. 70.

Ostendit DIGITUM, sed IMPUDICUM
Alconti, Dasioque, Symmachoque?

Apud Martialem, inquit DULODORUS, per *digitum impudicum* non pollex inter duos proximos prominens & exsertus, sed medius protensus intelligitur, id quod Alexander ab Alexandro ex Juvenali demonstrat, actionem eam Græcis σκιμαλίζαι dictam afferens. Videri potest & Menagius ad Diogenem Laërtium. Multò aliter autem explicanda Manus in Phallis; uti enim ipsum membrum amuleti locô est, ita proculdubiò ejusdem locô erit etiam manus, cum pollice inter digitos trajecto. Notum est, digitorum complicationem magicam Herculis partum impediisse; Quidni igitur complicatio in morem virilis membri, generationem promoveret? Quidni manus, quæ Minervæ sacra erat, ut supra vidimus, partum felicem, liberosque sapientes & fortes promitteret? Si de Luna quæras, jamdudum respondit Causæus, ideò scilicet affictam, quod Macrobio teste, mortalium ea corporum & author sit & conditrix, adeò ut nonnulla corpora sub luminis ejus accessu augeantur, & hoc decrescente minuantur. Sed hæc de Phallis sufficiant; neque enim de medio Priapo hîc dicere convenit, cùm ex superioribus is pateat, hîc autem extra ordinem ideò pingatur, quia serius redemtus justô locô exhiberi non potuit. Sequuntur

FIBULÆ.

De Fibulis, inquit ARCHÆOPHILUS, ut alios taceam, luculenter disseruit Rhodius in Differt. de Acia. Nobis *vestiaria* tantùm curæ est, respondit DULODORUS, quam vel *gemmatam*, vel *auream*, vel *argenteam*, vel *æream*, vel denique *ferream* fuisse, luculentô idoneorum Authorum testimoniô is idem demonstrat. Gemmea nobis deest. *Aurea* una tantùm, una & *Argentea* se sistit. *Æreæ* magnô numerô præstò sunt. De omnibus ex ordine agendum. Primas sibi vindicat


FIBULA AUREA.



An hæc antiqua est? excepit ARCHÆOPHILUS; At hodiénum tales in usu sunt. Id non negabo, respondit DULODORUS; non enim omnia Veterum inventa periére. Fibulam autem hanc antiquam esse, inde constat, quòd in Castris Trajani, ex sepulcro fuerit eruta. Sed nec figura priscæ fibulæ

refragatur. Unô annulô & acu, quæ lora, atque alia annulo immiſſa, transfigendo connectebat, eam conſtitiſſe, Joh. Smetius teſtatur: Et hoc quàm appoſitè ad propoſitam? licet, ut in ſequentibus videbimus, pleræque non tàm circulares, quàm ſemicirculares fuerint. Circularis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſimul & perfectionem quandam connotare videtur, conſtat enim, circulum figurarum perfectiſſimam eſſe. Ritè ſentis, inquit DULODORUS, & in noſtra id eò tutius ſtatueris, quò elegantius circulus major circulis minoribus, interjectu cordium diſtinctis, componitur; Quid enim his ſignificaverit Artifex, ſi non, Corda virtutibus concatenata, perfectæ amicitiæ orbem conſtituere?


FIBULA ARGENTEA



Semicircularis, acum ductilem habet. Ductilem? regeſſit ARCHÆOPHILUS: Et quâ ratione? Eâ, repoſuit DULODORUS, quòd in commiſſura, in gyros ducatur: id quod in hac *ſexies* fit, cum in aliis, ut infra patebit, *plurics.* Idque non ornatûs tantùm gratiâ, ſed etiam ad ſtringendam acum, ne canaliculô ſuô inſerta, facilè excidat. Canaliculum in ſegmento inferiori video, inquit ARCHÆOPHILUS, & intelligo, acum, quæ nunc laxata eſt, ut ei inſeratur, renitentibus in commiſſura gyris premi debere, itaque inſertam canaliculum ſtricturam, firmiterque ei inhæſuram; Illud autem dubium eſt, an Fibula hæc veſtes transfigendo adſtrinxerit? an quæ opinio quorundam fuit, veſtes adſtringendo non ttansfixerit? Utrumque, reſpondit DULODORUS; alterum enim veſtis conſervatio, alterum acuum cuſpis ſuadere videtur. Ad quid acuum cuſpis, ſi veſtes non transfixerint? & quorſum veſtes transfixerint, ſi easdem factis foraminibus quibusdam, aſſutisque vinculis acui inſerere, & ita fibulâ adſtringere potuere? Succedunt

FIBU-

FIBULÆ ÆREÆ CUM ACU DUCTILI.




Prima *quatuor*, ſecunda *ſex*, tertia *octo*, quarta *quatuordecim*, quinta *ſedecim* in gyros convolvitur, ſexta *duplici* gyrorum *ordine* inſignis eſt, ad commiſſuram *quatuor*, & in medio acûs *tribus* conſpicua, id quod fibulæ raritatem egregiè juvat. Viridi ærugine video obductas, infit ARCHÆOPHILUS, id quod vetuſtatis indubia teſſera eſt. Tales, reſpondit DULODORUS, & ſequentium pleræque ſunt. Illud autem hîc notandum, fibulas has ex earum numero eſſe, quas ſimplices, ſive *puras* dixére, quòd ſimpliciſſimæ, & ſine omni ornatu eſſent, aliter ac *Raſiles*, cujusmodi meminit Ovidius L. VIII. Metamorph.

RASILIS huic ſummam mordebat FIBULA veſtem.

Subeunt

FIBU-

FIBULÆ ÆREÆ CUM ACU PENDULA.








Acum pendulam vocant, quæ non *gyris* in commissura, sed *claviculô* connectitur. In prima peculiare est, quòd ultra claviculum apices extendat. Duplex hæc fibula videtur, excepit ARCHÆOPHILUS; ut enim ipsa Fibula acu vestem subnectit, ita & apices hi ultra claviculum excurrentes, eâdem operâ laciniam quandam mordendo elevare possunt. An hic usus fuerit dubito, regessit DULODORUS. Potius apices hos gyrorum vices subire statuerim; Acum enim adstrictam & ipsi impediunt, ne ex caniculo resilire possit. Cæterùm etiam hæc Fibula viridi ærugine obducta est, non minus ac *secunda*, in qua illud observandum, quòd segmentum inferius, quod canaliculum continet, *interrasum* sit. Interrasum? inquit ARCHÆOPHILUS, & quô modô? Eô, respondit DULODORUS, quô Lactantius ad v. 658. L. VII. Thebaidos Papinianæ: *Ad luxuriam*, inquit, *retulit pulchritudinem, fibulæ; erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo INTERRASAS appellant.* An hoc ornatûs tantùm gratiâ? excepit ARCHÆOPHILUS, an & certi usûs? Ornatûs, reposuit DULODORUS; neque enim eadem hujus rei ratio, quæ in tertio foraminum, quæ canaliculo affixa cernimus; Hæc enim firmandæ acui serviunt, si strictæ claviculi imponantur, id quod in pendulis necesse est, quoties in commissura nulla lamella, nullus hamus aut retinaculum firmioris adstrictionis causâ obnititur. Etiam hæc fibula, perrexit ARCHÆOPHILUS,

inter

inter arcum & ſegmentum inferius ornatûs gratiâ *interraſa* videtur. Sed quid in ſegmento ſuperiore tres globi, qui ſimili modo etiam in quarta, quinta, & ſexta viſuntur? Nonne ſimilem figuram Celeberrimus Chifletius *Graphium* arbitratur, nodos illos affictos exiſtimans, ut commodius manu ſcribentis teneatur? Contra Chifletium non pugnabo, excepit DULODORUS; Si enim acus, ut ille exiſtimat, per inferius ſegmentum protrudi poſſit, nec in ſuperiore per commiſſuram annexa ſit, utique *Graphium* ritè ſtatuit; In propoſitis autem res ſecus eſt. In omnibus acus in ſuperiore ſegmento annexa eſt, & in claviculo volvitur, apicemque in canaliculo ſtringit, planè qualiter *Fibulæ*, non autem qualiter *Graphium*. De ſexta notandum, cæruleo eam pigmento obductam eſſe: Notandum ad *tertiam*, *quartam* & *quintam*, plures ejus figuræ in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico proſtare, quarum quædam auratæ fuére. Sed ſubeunt

FIBULÆ
INTERRASÆ ET INCRUSTATÆ.

Interraſarum jam aliquoties mentio facta eſt; Sed in illis Fibulæ pars tantùm interraſa fuit, cùm propoſitarum *prima* tota interraſa ſit, *ſecunda* & *tertia* interraſæ & incruſtatæ, *quarta*, *quinta*, & *ſexta* incruſtatæ tantùm. Mira Antiquorum curioſitas! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Varias interraſæ figuras, varios incruſtatæ colores præferunt. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, in *ſecunda* & *tertia* Umbo medius albô, viridi, & rubro variatur, *quarta* ſolo albo & viridi, *quinta* denuò albo, viridi, & rubro, *ſexta* denique ſolô cæruleô, ad quam omninò dicendum, adeò duram incruſtatio-

(Iii) nem

nem eſſe, ut incauti lapidem Lazuli credere poſſint. Imò & illud notavero, inquit ARCHÆOPHILUS, *ſecundam, tertiam, quartam* & *quintam* HUMERARIAS eſſe, Chlamydibus videlicet connectendis; Ea enim in Statuis *orbiculares* potiſſimùm viſuntur. Imò & alibi, regeſſit DULODORUS, exempli gratiâ in pectore, uti inter Gemmas vidimus, ubi de ſuffibulo agebatur. Ita & Virgilius:

Lato quam circumplectitur auro
Baltheus, & TERETI ſubnectit FIBULA GEMMA.

Quod de Pharetra dictum, ex Poematis ſerie patet. Coronidis loco

FIBULÆ ICONICÆ




Prodeunt. Prima *Equi*, ſecunda & tertia *Equitum*, quarta *Columbæ*, quinta *Piſcis*, ſexta *Securis* imaginem exhibet. Quæ columbam adumbrat, excepit ARCHÆOPHILUS, proculdubio ad Venerem ſpectat, cui ea ſacra fertur. Etiam ad ſinceritatem, repoſuit DULODORUS, reſpici poteſt, ſecundum illud Servatoris: *Eſtote ſimplices ut Columbæ!* Sed incerta in his conjectura eſt; Quanquam credibile ſit, qui Equum & Equites vel effigiavit vel geſtavit, eum & Equorum amantem, & artis Equeſtris peritum fuiſſe: Qui Piſcem, eum piſcationis: Qui Columbam, eum Columbarum ſtudiô ductum: Ita quid prohibet, ut ſecurim Fabri cujusdam lignarii fibulam fuiſſe aſſeramus? Argento obductas video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quod equidem cum Equitum dignitate convenire poteſt, an autem conveniat cum dignitate Piſcatoris, aut Fabri Lignarii? de eo ego dubitem. Nihil eſt, quod dubites, regeſſit DULODO-

LODORUS. Licet in prioribus ſæculis quædam Dignitatis etiam in veſtitu diverſitas fuerit, luxu tamen poſterioribus creſcente, ea diverſitas evanuit: Et ut reliquorum ornatuum, ita & Fibulæ uſus promiſcuus, & communis factus eſt. Adeò ut Plebeji non argentatas tantùm, ſed & argenteas, & aureas interdum geſtarent: Eôdem modô, quô hodiernô adhuc die non ex veſtitu dignitas noſcitur, ſed ex Divitiis & luxu veſtitus etiam plebejis intumeſcit. Sed hæc aliûs loci ſunt. Sequuntur

LUCERNÆ.

LUCERNAS BRANDENBURGICAS, excepit ARCHÆOPHILUS, luculento ſuo *de Lucernis Veterum* tractatui intulit & vulgavit Eruditiſſimus Licetus. *Una* Satyri caput monſtroſum refert; *Alia* Pullos auſpiciorum: *Alia* rurſus virum nudum cum muliere colludentem. Scio, inquit DULODORUS; Sed incuria, an injuria? neſcio cujus, Gazæ Brandenburgicæ has Lucernas vel non intulit, vel illatas ſubtraxit. Clivis ſervabatur ea ſupellex, ſed diſtracta eſt, cum JOHANNES MAURITIUS, *Celſiſſimus Naſſoviæ Princeps*, Ducatûs Clivenſis Gubernator, Amphitheatrum, quod hodiénum propè Clivos, in loco *Bergenthal* dicto, viſitur, ejusmodi deliciis exornaret. Effugére tamen interitum quædam, quas Providentia FRIDERICI WILHELMI M. Berolinum tranſtulit, FRIDERICUS III. autem novis ſubinde acceſſionibus, & nuperrimè luculentâ illâ Bellorianâ locupletavit. Illas inter, eſt

LUCERNA ÆNEA
VIRUM PENULATUM REFERENS.




Quam & ipſam Licetus dedit, Imaginem exiſtimans, viri ex ultimo Septentrione, aut Biarmi, aut Finmarchii, aut Scricfinii, quòd iis in locis, noctibus plures menſes durantibus, homines in tenebris ad evitanda offendicula Lucernas præferre neceſſe habeant, idque agant rudi tubô ad inguina demiſsô, ut propius illuſtrent ea, quibus offendi poſſent pedes, manus autem & brachia contineant


intra penulam, ne frigore adurantur. Hæc ego memini, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, an autem ratio ſatisfaciat, fateor me hactenus dubitaſſe; Quis enim rei author eſt? Quis homines Septentrionales rudi tubô ad inguina demiſsô Lucernas præferre teſtatur? Si quis ita Lucernam præferat, utique ea, quæ propè ſunt, non colluſtrabit, tubô ipsô hæc inumbrante: Imò nec ea, quæ diſtant, corporis gradientis impetu vehementiore, quàm ut vel flammula per rigidum circumfuſi aëris frigus, vel etiam oleum in tubo depreſſiore, absque vel interitu vel jactura, ejus inſultus ſuſtinere poſſit. Haud abſurdè philoſophare, regeſſit DULODORUS; Etiam mihi res ſuſpecta viſa eſt, indeque potius ad eruditam Antiquorum libidinem reſpexerim, quâ obſcænis ejusmodi ſimulacris luſiſſe, etiam ex aliis eorum monumentis noſcuntur. Vidiſtine Lucernam illam hominis gibboſi, cum enormi faſcino, duas tibias inflante, apud eundem Licetum p. 1026? Vidi, iteravit ARCHÆOPHILUS, & quidem cum interpretatione Phyſica, quòd ex contento ſpiritu genitalia impleri ſoleant. Poterit quidem Neuroſpaſtam præfigurare, reſpondit DULODORUS, de quo Herodotus L. II. c. 48. & Lucianus de Dea Syria; Sed aſſumo opinionem Liceti, & ſimile quid etiam ad propoſitam locum habere cenſeo; Ut enim tubus hic lucere non poteſt, niſi oleo impletus, & ellychnio inſtructus: ita nec genitalia Veneri litare, niſi vitali ſuccô: Et Tune abs ratione foramen, per quod oleum infundebatur, in vertice capitis arbitraberis effictum? Nonne eô ipsô deſignatur, ſemen, quod per virilia effunditur, cerebri humiditate ali, id quod ex calvitie palam eſt, cujus præcipua cauſa vel Ariſtoteli libido memoratur, πρὶν ἀφροδισιάζειν ȣ̓ γίνεται φαλακρὸς ȣ̓δείς, inquit Lib. V. c. 3. de Generat. Animal. Addit & cauſam: αἴτιον τȣ̃ πάθȣς ἔνδεια ὑγρότητος θερμῆς, τοιȣ̃τον δὲ μάλιςα τῶν ὑγρῶν τὸ λιπαρὸν: *Cauſa bujus affectus* (calvitiei) *inopia calidi eſt, qualis præcipuè eſt humor pinguis.* Veritati hæc conſentanea ſunt, perrexit ARCHÆOPHILUS, quid autem Penula, quâ virum hunc indutum video. Senibus, repoſuit DULODORUS, ſi Priapo ſacrificare velint, frigus vitandum, caloremque nativum fovendum monet. Neque enim abs re vir hic & barbatus eſt, & calvo capite inſignitur. Senilis vel adumbratur ſtultitia, vel inſtruitur libido, quanquam aliâs

Turpe Senex miles, turpe ſenilis amor.


LUCERNÆ
BILYCHNIS ET TRILYCHNIS.
LIT. A. & B.

Succedunt, quales & ipſas apud Licetum videas. Fictiles ſunt, indeque elegantem cum homine analogiam Authori viſæ ſunt ſuppeditare. Anima hominis ignea eſt, & in corpore ſplendet, ut ignis in Lucerna: In corpore, inquam, quod primæva creatione ex luto fictum eſt, non minus ac noſtræ Lucernæ. Si Monolychnis hîc eſſet, interrupit ARCHÆOPHILUS, qualiter plures in Cimeliarchio Electorali, res utique procederet, una enim hominis Anima eſt. Quid autem Bilychnis? quid Trilychnis? An tot animæ ſunt in homine? Sunt, inquit DULODORUS; non enim ratione tantùm pollet, ſed & ſentit: unde Philoſophis *anima ſenſitiva*, quæ cum Animantibus communis eſt: & *rationalis*, quæ homini propria. Quid ſi duas has ſub fictili bilychni intelligamus? Et iterum, homo non tantum ratione præditus eſt, & ſentit, ſed & vege-



B



A


C


E


CIVLIMCFF.


F


D

vegetatur corpore, quæ *anima vegetativa* Philoſophis audit, & etiam in Arboribus & Plantis reperitur. Quid ſi hanc prioribus conjunxerit Lucernæ Trilychnis author? Allegoricæ ſanè huic interpretationi non modicè famulatur placitum eorum, qui Plutarchô teſte, de occultè vivendo, *animam lumen ſuapte naturâ* ſtatuerunt. Hæc quidem ingenioſè, regeſſit ARCHÆOPHILUS, an autem reverâ eò reſpexerint Antiqui, dubitem. Quidni pro lubitu has Lucernas modò bilychnes, modò trilychnes, modò plurium etiam lychnorum effinxerint, prout reverà Pentelychnis inter *Brandenburgicas* apud Licetum occurrit, qui & ἐνδεκάλυχνον ſe vidiſſe teſtatur, ad quas tamen abire neceſſe non eſt.

LUCERNA
HEPTALYCHNIS
LIT. C.

Succedit. An & hæc ad animam referatur? Quidni? reſpondit DULODORUS, præſertim ſi inſtructam intuearis *ſeptem artibus* quas mens Humana utique in ſe, tanquam totidem Lampades, accendit, quibusque deinceps caliginoſas naturæ corruptæ tenebras illuſtrat. Notari meretur hac in Lucerna nomen figuli, C. JULIUS. C. F. F. quem *Cajum Julium Caji Filium Felicem* interpretor, licet forſitan & *Fronto*, & *Fabianus*, & *Facilis*, & *Fauſtus*, & aliter cognominari potuerit, plura enim ejusmodi cognomina JULIORUM apud Gruterum leguntur. Imò nec reſiſtam, ſi nullo hunc cognomine cenſeas, ſed ultimum F. ad opus referas, ita legendo: C. JULIUS CAJI FILIUS FECIT. Sequitur

LUCERNA
CAPITIS HUMANI.
LIT. D.

Monolychnis, infraque collum ex confinio pectoris tubum emittens, capite ad infundendum oleum aperto. Hanc Lucernam, infit ARCHÆOPHILUS, apud Licetum non vidi; licet enim quasdam cum capitibus exhibeat, ſemper tamen vel Barba vel Os vicem lychni ſubit, quod hîc ſecus eſt. Præter raritatem, excepit DULODORUS, obſcura non eſt; Eandem enim cum ſuperioribus interpretationem recipit. Sed video Te Myſtica aſpernari, ideò aliam ſubjicio, antiqui moris teſtem, de quo in Re veſtiaria agere ſolent.

LUCERNA
PEDEM SOLEATUM REFERENS.
LIT. E.

Soleatum? excepit ARCHÆOPHILUS. Quidni *calceatum* dicis? Annon calcei Romani hâc figurâ hodiénum in Statuis obſervantur? Differunt *calceus* ſtrictè ſic dictus, & *Solea*, reſpondit DULODORUS. Calcei totum pedem tegebant, de Soleis autem A. Gellius. L. XIII. c. 21. *Omnia fermè*, inquit, *id genus, quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta ſunt SOLEAS dixerunt, nonnunquam voce Græca CREPIDULAS*; Sed hæc & plura alia Balduinus perſequitur, in *Calceo antiquo*, & Nigronus *de Caliga*. Appoſitè de Caliga, ſubjecit ARCHÆOPHILUS,

ſimilem enim Lucernam apud Licetum vidi, additis in pedis planta clavis; Sed author ille non *Soleam*, ſed *Caligam militarem* interpretatur. Caligæ, regeſſit DULODORUS, Solearum ſpecies fuerunt: Et fateor, etiam ſine clavis Caligas fuiſſe; tales enim in Columna Trajani & Arcu Conſtantini occurrere, laudatus Nigronus obſervat. Mihi tamen genus ponere, vel ideò viſum eſt, quòd non tàm forma, quàm uſus caligam reſtringat, in Lucerna etiam noſtra nihil occurrat militi proprium; Sed omnia talia, quæ etiam extra militiam, & in Urbe locum habere poterant. Extra militiam & in Urbe, repetit ARCHÆOPHILUS; At probroſum hoc fuiſſe, vel ex Cicerone patet, Act. 4. in Verrem, de quo per irriſionem *ſtetit SOLEATUS PRÆTOR Populi Romani cum pallio purpureo Tunicaque Talari.* Scio, inquit DULODORUS, ſed notandum, in publicum prodire *ſoleatum*, aliquid dedecoris traxiſſe, cùm autem intra ædes verſarentur, aut in Triclinia aut Spectacula commearent, Soleatos eſſe moris erat. Et quid taceo fœminas, quarum tamen potiſſimùm hoc geſtamen fuit? uti latius videri poteſt apud laud. Balduinum Quicquid ſit, illud in noſtro rarum eſt, quod habenæ teretes, quibus ſolea revincta eſt, per omnes pedis digitos tranſeant, imò quod nec apud Nigronum, nec apud Nobiliſſimum à Sandrart, qui plures ſoleatos pedes ex Statuis delineavit, ne unicus quidem cum Lucerna noſtra conveniat. Agnoſco rei pretium, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed nondum video rationem, cur pedis ſoleati figurâ priſcus Artifex Lucernam formaverit? Annon & hic pedis motus olei damnum luminisque interitum adduxerit? Si rem ita Veteribus uſurpatam ſtatuerem, reſpondit DULODORUS, ritè mihi objiceres, quod ſupra Liceto; Sed mihi ratio non hiſtorica, ſed vel Phyſica, vel Moralis, & quidni etiam Theologica? ſubeſſe videtur. Si Naturam reſpicias, utique lumine opus eſt, ne pedem offendas: Si vitam Civilem, utique opus eſt ratione, ne contra honeſtatem agas: Et quid de Theologia dicam, cum Regius Propheta appoſitè ad propoſitum Pſalm 119. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* An eòdem, quæſivit ARCHÆOPHILUS, etiam ſpectat

LUCERNA ÆNEA
CUM
LUNA,
LIT. F.

Quales vobis tres adeſſe video? Luna, regeſſit DULODORUS, Divinitatis indicium videtur, cujus templo ea dicata erat. Ita Aquila Lucernæ Jovis affixa eſt, apud Licetum p. 898. qui & ipſe Lucernam Lunâ inſignitam p. 915. vulgavit. Licetus, perrexit ARCHÆOPHILUS, non ad Divinitatem, ſed ad Nobilitatem reſpexit, eò quod Nobiles Romani, ut ex Plutarcho conſtat, Lunulas in calceis geſtaverint. Scio, excepit DULODORUS, & ſi aſſentiaris, non refragabor; Quanquam nec ratio mea diſpliceat; Quid enim prohibet, ut in templo Dianæ has Lucernas arſiſſe dicamus? niſi fortè & hic allegoricam rationem ſubeſſe ſtatuas, ſecundum Plutarchum, qui animas hominum poſt mortem in Lunam reſolvi, de facie in Orbe Lunæ tradidit. Eandem ſanè rationem etiam

LUCER-


pag 439
G
I
H
K
M
L

LUCERNA
JOVIS TONANTIS FICTILIS.
Lit. G.

Recipere poterit, cùm & huic Luna immineat. Lucernam Jovis tonantis, inquit ARCHÆOPHILUS, qualem hic exhibes cum effigie umbilicotenus expressâ, fulmine ad humerum lævum, & aquila κεραυνοφόρῳ, alisque expansis in pectore, apud Licetum p. 210. vidi, & utut Aquilam *Jovis certum nuncium, lætumque armigerum*, uti Apulejo vocatur, adeòque & ipsum Jovem agnoscam, mirari tamen subit, quid *duplex fulmen* sibi velit? alterum ad Jovis lævam, alterum sub pedibus aquilæ? Si recorderis, inquit DULODORUS, diversa fulmina Physicis statui, nihil omninò miraberis, Jupiter sanè non unum tantùm, sed ut Virgil. Lib. VIII. canit:

Plurima cœlo
Dejicit in terras.

Sed varias fulminum distinctiones vide sis apud Rosin. de auguriis. Mihi ad Jovem & Lunam respicere volupe est; neque enim conjunctio vana videtur. Rem teneo, inquit ARCHÆOPHILUS. Ad animam respicis, quæ ut lumen est, ita sub Jove fulguratore ritè intelligitur, adeòque in Lunam transiens etiam hic credi poterit adumbrata. Poterit, subjecit DULODORUS, sed poterit etiam Solis & Lunæ potestas intelligi, cùm Jupiter cum Sole idem censeatur, eademque Luna cum Junone: adeò ut in illius potestate anni, in hujus autem menses fuerint, docente Plutarcho in Quæstionib Romanis. Sed hæc utut se habeant, Solem & Lunam tamen à Jove & Junone distinctos exhibet

LUCERNA
DEORUM UNIVERSI PRÆSIDUM FICTILIS.
Lit. H.

Jupiter hîc inter *Minervam* & *Junonem* sedet: Juxta hos *duo Venti* visuntur: in medio *Diana* bigis, *Sol* autem quadrigis vehuntur: in basi *Fluvius* cum urna jacet. Jovem, inquit ARCHÆOPHILUS, inter Minervam & Junonem sedentem etiam in Numismatibus recordor; Non sedentem tantùm, respondit DULODORUS, imò & stantem, uti videre est apud Oiselium, qui & Romæ tales fuisse, ex Victore probat, ordinisque rationem præter alios & ex Macrobio adfert, quô docente medium aëra *Jovem*, imum aëra cum terra *Junonem*, summum autem ætheris cacumen *Minervam* dixere: adeò ut inde etiam pateat, cur Venti utrinque in nostra Lucerna additi sint? Ventis aëra moveri, inquit ARCHÆOPHILUS, dubium non est, quòd autem Solis & Lunæ cursibus superiores sint, cum Natura nescio an conveniat? Si rem probe intuearis, respondit DULODORUS, Naturæ non obstabunt; Luna enim bigas suas in occasum jam egit, Sol autem quadrigis ab Oceano demum surgit: Ita Diluculi hîc adumbratur tempus, quô nec Sol nec Luna hemisperii superioris in vertice dominantur. Dominatur autem aër, dominantur Venti, quos proinde Sole & Luna superiores cernere, inconveniens non est. Sub quadrigis Solis, inquit ARCHÆOPHILUS, foramen video, oleo proculdubio infundendo; An non autem & Orbi Terrarum adumbrando? rotundum enim est, &

Volu-

Volucres Piroeis, Eous, & Æthon,
SOLIS EQUI, quartusque phlegon hinnitibus auras
Implentes,

Id conſcenſuri videntur. Si arbitreris, inquit DULODORUS, ſubjectum cùm urna ſimulacrum fluvium infernalem credideris: Si non, quod ſane veriſimilius eſt, Oceani ſimulacrum erit, eòdem modô delineatum, quô & ſuprà inter Gemmas vidimus. Oceanus ſcilicet Terræ ſinubus diffuſus, & imminens utrique Aër & Æther, Rerum Univerſitatem conſtituunt, indeque cum Diis ſuis præſidibus hac in Lucerna præfigurantur, ſive privati usûs ea fuerit, ſive in Templis uſurpata, quæ Romæ fuiſſe, præter Victorem, etiam ex Donato conſtat. Senſum myſticum latere arbitrabar, inquit ARCHÆOPHILUS, qualis & in ſuperioribus. Si hunc requiras, reſpondit DULODORUS, poteris ad ſpiritum Univerſi reſpicere, de quo Virgilius: *Spiritus intus alit.* Poteris ad Mentem Divinam, de qua idem: *Mens agitat molem.* Tandem & ad Ignes ſubterraneos, quibus terram ſcatere, vel montes ignivomi teſtantur, id quod apud Kircherum videre eſt, in Mundo Subterraneo; Omnia enim ad Univerſum ita ſe habent, ut oleum & lumen oleo ſuſtentatum ad Lucernam. Sed ultra tendimus.

LUCERNA
SERAPIDIS PENTALYCHNIS
EX
ALABASTRO.
LIT. I.

Se ſiſtit, ut magnitudine, ita & elegantiâ & raritate memoranda. Serapidem agnoſco, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem quinque Lychni? An quinque hominis ſenſus indicant? Imò quintuplicem Serapidis divinitatem, reſpondit DULODORUS; Idem enim horum ſenſus videtur eſſe, qui Numiſmatis Antonini Pii apud Seguinum, Oiſelium, & alios, in quo Serapis non tantùm propriô ſuô inſigni, ſed & radiis, & Cornu Arietino, & Tridente, & Serpente decoratur: videlicet ut indicetur, eum & Serapidem, & Solem, & Jovem Ammonem, & Neptunum, & Æſculapium eſſe. Ratio placet, inquit ARCHÆOPHILUS; Ut enim Lucerna ex quinque tubis Lumen emittebat, ita & Serapis quintuplicis divinitatis poteſtatem proculdubiò videbatur exercere. Ita artifici viſum eſt, reſpondit DULODORUS, non minus ac ei, qui allegatum Numiſma procudit. Notandum autem Eum, ſecundum alios, interdum latius imperium extendiſſe, uti videre eſt apud Diodorum & Martianum Capellam: Interdum & anguſtius coërcuiſſe, id quod ſequentia teſtantur, quæ inter,

LUCERNA
SERAPIDIS INTER DIOSCUROS
FICTILIS
LIT. K.

Locum non poſtremum obtinet. Serapis inter Dioſcuros? excepit ARCHÆOPHILUS. Quid Hi ad Illum? Nonne Jovis filii ſunt? Sunt, inquit DULO-

DULODORUS, ſed Jupiter idem fuit, qui Serapis, uti modò vidimus. Serapis, inquit ARCHÆOPHILUS, Ægyptium numen fuit, Dioſcuri autem Jovis Græci memorantur. Fateor, reſpondit DULODORUS, ſed & Dioſcuri in Ægyptum tranſiére, uti ex Scholiaſte Pindari & Pauſania notavimus. Sed hîc non tàm ad Dioſcurorum vel patriam vel honores, quàm ad munia reſpexerim. Equos ducunt, excepit ARCHÆOPHILUS, ut & in Numiſmate Maxentii, ubi Imperatoris filios ſub iis intellexiſti. Hic aliud ſtatuendum, repoſuit DULODORUS; non enim Imperator, ſed Serapis iis jungitur, & quidem non ómnem, ſed unicam tantùm divinitatis ſuæ poteſtatem jactans, quod & cauſa eſſe poteſt, cur unicô tubô Lucerna hæc inſtructa ſit. Unicam poteſtatem? meditabundus excepit ARCHÆOPHILUS. Quænam autem illa eſt? Quam Plutarchus habet, reſpondit DULODORUS, Serapidem inter cætera & *Oceanum* aſſerens creditum. At niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, Sphinx ei appoſita aliud ſuadet. Nullô modô, reſpondit DULODORUS; Sphingum enim quadrigis, etiam Iſidem per aquora vectam, intueri licet in Nummo Juliani apud Patinum, qui quidem ſe rem non intelligere, candide fatetur; Sed Sphinges nihil aliud ſignificant, quàm ineffabilem illam, profundamque & implexam ſapientiam, quâ Serapidis & Iſidis aliorumque Deorum Myſteria conſtabant, quâque ſimul à profanorum intellectu arcebantur: Quâ ratione & templis Sphinges præpoſitas fuiſſe, idem Plutarchus de Iſide & Oſiride docet. Sphinges Ægyptiorum, repoſuit ARCHÆOPHILUS, *ſine alis* fuêre, quales & ſupra vidimus, at hæc *alata* eſt. Temporum ratio, reſpondit DULODORUS, quod jam ſuprà monui, rem facilè excuſabit; Eorum enim hæc videntur, quibus Ægyptiorum Numina, non in Græciam tantùm, ſed & ipſam Romam migraverant. Quis tunc miraretur Græcam Sphingem Serapidi junctam? Serapidi, inquam, qui cum Oſiride, adeòque cum Oceano cenſebatur idem? Sub Oſiride enim Naturam humidam intelligi, negari non poteſt. Hæc facilè admiſerim, perrexit ARCHÆOPHILUS, quid autem Dioſcuri, & quidem ut Homero vocantur,

Ταχέων ἐπιβήτορες ἵππων,

Huc faciant, nondum video. Videbis, inquit DULODORUS, ſi Maris clementiam & tranquillitatem ab his dependere creditam, ex Theocrito, aliisque, recorderis. Inde Horatius:

Simul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor:
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax, ſic Dii voluere, Ponto
Unda recumbit.

Quod de Equis moves, vanum eſt; Quis enim *Neptunum Hippium* ignorat? Quis Equorum & Navium, quoad uſum, analogiam? Sed audi Lucianum in Dialog. Προσέτακται αὐτοῖν ὑπηρετεῖν τῷ Ποσειδῶνι, καὶ καθιππεύειν δεῖ τὸ πέλαγος, καὶ ἂν τοὺς ναύτας χειμαζομένους ἴδωσιν, ἐπικαθίσαντες ἐπὶ τὸ πλοῖον σώζειν τοὺς ἐμπλέοντας. *Illis injunctum eſt, ut Neptuno miniſtrent, & pelagus OBEQUITENT, & ſicubi nautas tempeſtate periclitantes aſpexerint, navigio inſidentes, incolumes navigantes præſtent.* Sed ſubit

LUCERNA
SERAPIDIS, ET HELIOTROPII? BILYCHNIS ET FICTILIS.
LIT. L.

Bilychnis, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen Solis tantùm rationem hic obtineat Serapis; Heliotropium enim hunc non obſcurè arguit. Non diffiteor, reſpondit DULODORUS, ſed recordari te velim, Solem duplex lumen ſpargere, *unum* ex ſe diurnum, *alterum* ex Luna refractum, & nocturnum; nam & hoc Solis eſſe, quis ignorat? Hæc ſi ita ſint, reſpondit ARCHÆOPHILUS, eadem hîc ratio erit, quæ & Apollinis Didymæi, ut apud Macrobium legitur, quòd geminam ſpeciem ſui Numinis præbeat, illuminando, formandoque Lunam. Eadem, reſpondit DULODORUS. De Heliotropio vel nomen docet. Sed notis non inhæreo. Succedit

LUCERNA
SERAPIDIS ET BACCHI FICTILIS.
LIT. M.

In quâ & ipsâ obſcurum nihil eſt; Serapidem enim etiam cum Baccho eundem fuiſſe, ex Diodoro conſtat. Τὸν δὲ Ὄσιριν οἱ μὲν Σάραπιν, οἱ δὲ Διόνυσον &c. νενομίκασι. *Osirim autem modò Serapim, modò Dionyſum &c. eſſe putant.* His ego, inquit ARCHÆOPHILUS, quod opponam non habeo, mirari autem ſubit, cur mox hoc, mox aliud: mox unum, mox plura Numina ſub Serapide lateant? Ratio, reſpondit DULODORUS, in Diverſitate poſſeſſorum videtur conſiſtere; Quidni enim propoſitam credatur Vinitor quidam vel dedicaſſe, vel certe uſurpâſſe, ut propitium ſuæ vindemiæ Deum haberet, ſive *Serapis* is, ſive *Dionyſus*, vel *Bacchus* vocaretur? Quidni, quam ſuprà cum Serapide & Dioſcuris vidimus, Nauta quidam, ut proſperam ſibi navigationem conciliaret? Ita Solem adumbrans & bilychnis cuidam Agricolæ poteſt adjudicari, cujus maxima ſpes in tempeſtivo Solis & Lunæ ſplendore conſiſtit, id quod clarius adhuc ex ſequentibus patebit; Quid enim aliud

LUCERNA
CUM GRYPHO SOLIS, BILYCHNIS ET AEREA,
LIT. N.

Hanc Lucernam, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Cauſæus habet. Ita eſt, reſpondit DULODORUS; ſed is rotam ſub Grypho *octo* radiorum pinxit, quæ tantum *ſex* eſt; Caudam Gryphi, ut & poſteriorem columnam integras fecit, quæ tamen fractæ ſunt, ut taceam Gryphum ad Orientem verſum, qui ad Occidentem ſpectat. Non hoc me torquet, excepit ARCHÆOPHILUS; Sed id quòd Gryphum cum rota Soli indubiè addicat, cùm tamen ex nummis Smyrnæorum, ut ſuprà vidimus, eundem conſtet & Nemeſi fuiſſe dicatum. Quidni igitur Nemeſi hanc Lucernam vir dicem? Præſertim cùm *duæ* hoc nomine fuerint, uti ex iisdem Nummis diſcimus, id quod non tantùm ad *duas Columnas*, ſed & ad *duos Lychnos* egregie facere videtur. Nemeſi, reſpondit DULODORUS, Gryphum cum rota adjunctum, non

aliâ

pag. 442





aliâ ratione crediderim, quàm quòd vindicta cum temporis decursu venire soleat; Temporis autem decursus, à decursu Solis dependeat. His positis, jam patet à Sole Nemeses Gryphum mutuasse adeòque *huic*, ut tempora metienti, primariò dari, *illis* autem non nisi secundariò: adeòque, ubi nulla horum est mentio, utique Solis potius habendam rationem, cujus & Colnmnæ testes sunt, sive Herculis eas arbitreris sive Solis. Herculis Columnæ notæ sunt, inquit ARCHÆOPHILUS: Quid autem huc faciant, non video. Ut adumbretur, respondit DULODORUS, etiam ultra eas Solem progredi: Quanquam, ut verum fatear, non tàm ad Herculem hîc, quàm ad ipsum Solem respiciendum arbitrer. At, inquit ARCHÆOPHILUS, quis Soli columnas tribuit? Ovidius, respondit DULODORUS; Hoc enim canente,

Regia Solis erat sublimibus alta Columnis.

Regia Solis Cœlum est, cujus quatuor regiones quid si totidem columnis adumbrentur? Et in proposita Lucerna, quid si duabus columnis Oriens & Occidens? Horum sanè illuminatio, & duplici Lychno videri poterit præfigurata. Ratio, reposuit ARCHÆOPHILUS, utut fortè futilis non sit, mihi tamen potior videtur, quæ sub Columnis his Tropicos intelligit; *sex* enim radii *sex* Signa indigitare possunt, quæ Sol ab uno ad alium permeare solet, ita & quinque in medio foramina quinque Zonas, quas ille illustrat. Quinque foramina, respondit DULODORUS, sculptor Causæi fecit, in Lucerna autem tantùm quatuor sunt; Sed de his sua cuique opinio placeat. Subit

LUCERNA
APOLLINIS DELPHICI BILYCHNIS.
LIT. O.

Cur *bilychnis* sit Apollinis Lucerna, ex hactenus dictis patet; Eundem enim Apollinem cum Sole, qui mundum Lumine, & diurno illustrat, & nocturno vegetat, etiam hîc esse, adstans Gryphus utique indubiè demonstrat. Indubiè? excepit ARCHÆOPHILUS; At præter principatum Solis, etiam præsentiendi vis in censum venit, eamque rationem consecrationis Natalis Comes adducit, & hîc admittendam quidni suadeant Delphini in Manubrio? Delphini, reposuit DULODORUS, duo sunt, adeòque & Apollinem & Dianam concernere videntur, utrumque enim *Delphinii* cognomine honoratum, Lilius Gyraldus docet: Eôque positô utique pro duplici Solis Lumine adhuc ratio militat. Adde quòd ut Gryphus aëris & terræ principatum adumbrat, ita Delphini ad principatum in mari respicere possint. Idem sanè Cithara indicare videtur, universalis Harmoniæ symbolum, quam Sol utrôque suô Lumine, & in aëre, & in terrâ, & in mari, & constituit & conservat. Hâc ratione, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Solem respexerit & sequens

LUCERNA
APOLLINIS CITHAROEDI
INTRA
SERTUM UVIS GRAVIDUM, MONOLYCHNIS ET FICTILIS;
LIT. P.

Quid enim uvæ designent? nisi Bacchum cum Sole, adeòque & Apolline eundem?

dem? Simplicius, inquit DULODORUS, ad vinum respexeris, cujus potu Musici delectari solent. Inde sanè Bacchum secuti sunt & Apollo & Musæ, uti Diodorus author est: Scilicet quod de Æschylo tradunt, *eum potum suas scripsisse Comœdias*, illud haud absurde attuleris etiam ad Citharœdum hujus Lucernæ, sive Apollo is sit, sive alius. Fulciunt opinionem impositæ Citharæ *Personæ* aut *Larvæ*, quæ ad Poësin Comicam rem reducunt, quam Baccho sacram fuisse, præter alios & ex Plutarcho constat. Sed de his alibi. Si ad Solem respicias, Eum exhibet sequens

LUCERNA SOLIS
MONOMYΞΟΣ & FICTILIS.
LIT. Q.

Nihil hîc est obscurum, inquit ARCHÆOPHILUS; Solem enim radii produnt, & quis Lucernæ convenientior? Fateor, inquit DULODORUS; Ut enim Lucerna mortalibus, ita Sol, ut Homerus in hymno loquitur:

Φαίνει θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.
Mortalibus & immortalibus Diis lucet.

Gratiosus hic est Solis vultus, inquit ARCHÆOPHILUS, & radii etiam in fictili amœnâ quâdam sublimitate emicant, ut taceam Laciniam à collo dependentem, quæ & ipsa cultûs, tantâ Majestate non indigni, indicium est. Poëta, respondit DULODORUS, ad omnia hæc dictò locô egregiè:

Λαμπραὶ δ' ἀκτῖνες ἀπ' αὐτȣ͂
Αἴγληεν ςίλβȣσι, παρὰ κροτάφων τε παρειαὶ
Λαμπραὶ ἀπὸ κρατὸς χαρίεν κατέχȣσι πρόσωπον
Τηλαυγές. καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος
Λεπτȣργὲς πνοιῇ ἀνέμων.

Clari radii ab ipso
Splendore emicant, ad tempora autem genæ
Claræ è capite gratiosum tenent os
Lucidum. Pulchra autem circa corpus fulget vestis
Tenuiter contexta flatu ventorum.

Quæ utique ad rem apposite, licet aliâs vulgarem. Sed eundem Solis habitum etiam

LUCERNA
SOLIS & LUNÆ,
& ipsa
MONOMYΞΟΣ & FICTILIS,
LIT. R.

Exhibet, non facie quidem directâ, sed ad Dianam Luciferam, sive Lunam conversâ. Utrumque video, inquit ARCHÆOPHILUS; Cùm autem Luna & Diana duo sint, miror unicum tantùm Lucernæ Lychnum esse? Ratio, respondit DULODORUS, bilychnibus cum solò Apolline sive Sole, videtur contraria, reipsâ autem eadem subest; Ut enim ibi Solem duplici lumine, *Diurno* & *Nocturno*, lucere diximus, ita & hîc Lunam nonnisi Lumine Solis lucere, eâdemque proinde face, quæ & ipsa tantùm unica est, orbem illustrare, haud obscurè designatur. De Sole & Lunâ loqueris, inquit ARCHÆO-

CHÆOPHILUS; At ego etiam ſtellam video, & quidem utriusque inter verticem mediam: An ideò, quòd Sol etiam reliquis ſideribus ſuum lumen communicet? Id quod ipſe Sol apud Nonnium in Dionyſiacis teſtatur: Δέγμενοι ἀμφοτέρωθεν ἐμὴν ἑτερόσσυτον αἴγλην. De Planetis Sol loquitur, reſpondit DULODORUS, non de omnibus ſtellis, id quod Author indicis tradit: Imò nec dicit *lumine Solis Planetas lucere*, ſed *eô illuſtrari*. Mihi potiùs ad Solem etiam hæc ipſa Stella pertinere videtur, eumque deſignare, ut Luna Lunam. Hoc ſupervacaneum videtur, excepit ARCHÆOPHILUS; Solem enim radii abundè demonſtrant. Id inficias non eo, reſpondit DULODORUS; Sed ſtella, Soli radiato etiam in aliis appoſita, rem demonſtrat inſolitam non eſſe. Exemplo ſit Numiſma Elagabali, apud Oiſel. T.38, n.6, De laurea adhuc diſpicere libet, excepit ARCHÆOPHILUS; Intra hanc enim & Solem & Lunam video, cùm tamen ea ſoli Apollini, & quidem Vati debeatur, non Solis Aurigæ, non Lunæ. Non aliud hîc notaverim, reſpondit DULODORUS, quàm quod Eruditiſſimus de Wilde ad Numm. 101. Laurum ſcilicet Soli ſacratum, *quòd in ea ſemina ignis lateant, hederæque adfricata*, perinde ut ſilici Chalybs ſolet, *ignem emittat*, ex Bonavent. Vulcanio ad Callimachi hymn. Apoll. Ita & Dianæ, quæ cum Luna eadem cenſetur, Laurum ſacram, non tantùm Numiſma Pergæorum, quod ſupra vidimus, ſed & cognomen *Daphnææ* teſtatur, quod cum Apolline commune habet. Sequitur

LUCERNA
DIANÆ EPHESIÆ,
MONOMYΞΟΣ & ÆREA,
LIT. S.

Quam, ut Inſcriptio teſtatur, MILETOPOLI, urbe inter Cyzicum & Bithyniam ad amnem Rhindacum ſitâ, EUTYCHUS ALEXANDER dedicavit, idem ſcilicet, qui in Nummo Commodi apud Erizzum *Miletopolitarum Strategus* deſcribitur. Si hæc ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, utique Lucernæ hujus ætas in aprico jacet. Quid autem Diana Epheſia ad Miletopolitas? Quid ad Dianam Epheſiam Luna? Nonnè ſupra demonſtrâſti, totius Naturæ Numen eam creditam? Non de *Polymammia* hîc ſermo eſt, reſpondit DULODORUS, ſed de *Venatrice*, quæ non minus ac Polymammia in pluribus Epheſiorum nummis proſtat, eademque cum Luna, ex Lunula fronti impoſitâ, indubiè noſcitur. Non Epheſi tantùm, ſed & in tota Aſia, imò totô Terrarum Orbe hanc cultam fuiſſe, ſi Numiſmata deeſſent, vox Demetrii in Actis Apoſtolorum c. 19. v. 27. ſeqq. abundè doceret. Sed vulgata hæc ſunt, non minus ac

LUCERNA
DIANÆ VENATRICIS
MONOMYΞΟΣ & FICTILIS.
LIT. T.

Dianæ Tu hanc? inquit ARCHÆOPHILUS; At nulla in vertice eminet Lunula. Quidni potius cum Liceto ſentimus, qui Nympham arbitratur? Si Nympham Dianæ armigeram reſpicias, reſpondit DULODORUS, qualiter Ovidio vocatur, non reſiſtam; *Arcus* enim, quem ſiniſtrâ præfert, & *Pharetra*, ex

ex qua ſagittam extrahit, Deæ militiam indubiè arguunt: Quamquam juxta non videam, cur jure non potiore Dianam ipſam agnoſcamus; Neque enim Hæc Lunulâ ſuâ ſemper inſignitur, quod videri poteſt apud Oiſelium, ut innumera alia hic prætermittam. Sequitur

LUCERNA
PALLADI VICTRICI DICATA
ΔΙΜΥΞΟΣ & ÆREA.
LIT. V.

Res ex Inſcriptione patet, inquit ARCHÆOPHILUS, quanquam & ipſum Palladis ſimulacrum ſuffragetur. Simulacrum, reſpondit DULODORUS, ſi Inſcriptio deeſſet, potius Minervam Paciferam argueret; Non enim haſtam, ſed Ramum præfert, uti & in Numiſmatibus Commodi & Albini MINERVA PACIFERA inſcriptis. Fortaſſis, excepit ARCHÆOPHILUS, ramus in his Oleaſtri fuerit, quæ Pacem denotat, id quod de Pallade Victrice non dixeris; Victrici enim potius Ramus lauri deberetur. Utram ſtatuas, inquit DULODORUS, perinde eſt; Uti enim in Numiſmate Getæ Minerva pacifera non ramum, ſed victoriolam præfert, ita & in noſtra Lucerna Pallas non Lauri, ſed Oleæ ramum credi poteſt oſtentare: ut indicetur ſcilicet, Bella Pacis causâ profligenda, adeòque Deos victoriarum auſpices, eſſe & auſpices pacis. Id in Pallade ſive Minerva eò facilius admiſeris, quò planius eſt, Oleam producendo non victoriam tantùm, ſed & quietum deinceps Athenarum præſidium eam obtinuiſſe, unde poſteà & Olea non Pacis tantùm, ſed & victoriæ inſigne fuit, non tantùm in Panathenæis, ſed & Olympicis: adeò ut duo hæc, & ratio eſſe poſſint, cur duplici Lychno hæc Lucerna arſerit. Si ita ſentias, inquit ARCHÆOPHILUS, fortaſſe nec illud prætereundem, quòd inter duas columnas hæc Pallas proſtet. Non inter duas columnas tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed ſub imminente Columnis arcu, eôdem modô, quô & GENIUS SENATÛS in Nummis, quô ſchemate proinde Templum adumbratur. Notandum adhuc à ramo ferendo, Minervam θαλλοφόρον dictam eſſe. Sed ultra pergimus. Prodit

LUCERNA
MINERVÆ OLEUM PREMENTIS,
MONOMYΞΟΣ & FICTILIS.
LIT. X.

Appoſitum Lucernæ ſchema, infit ARCHÆOPHILUS, Oleæ inventrix, Oleo ardenti; Sed heus! DULODORE, an Minerva oleum invenit? *Oleæ* quidem *inventrix*, Virgilio vocatur, ſed hoc de arbore intelligendum, quæ proinde *ejus frons* Lucano audit, eôdem effatô, quô & Ovidius canit:

Mirata eſt oleas ſæpè Minerva ſuas.

Quid autem hæc ad arboris uſum? Quid ad olei expreſſionem? Nonne Oleum, Pliniô teſte, Ariſtæus invenit? De arboris uſu, reſpondit DULODORUS, Oleique proinde expreſſione, quæ hic adumbratur, luculentus teſtis eſt Diodorus Siculus L. V. Biblioth. En verba! Αθηνᾶ δὲ προσάπτȣσι τήν τε τῶν Ἐλαιῶν ἡμέρωσιν καὶ Φυτείαν παραδȣ̃ναι τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὴν τȣ̃ καρπȣ̃ τȣ́τȣ κατεργασίαν, πρὸ γαρ τȣ̃ γενέσθαι τὴν θεὸν ταύτην ὑπάρξαι μὲν τὸ γένος τȣ̃το τῶν δένδρον μὲν τῆς ἄλλης ἀγρίας


V
PALLADI
VICTRICI.


X
C.ATILVEST.


Y


Z

ἀγρίας ὕλης, τὴν μέντοι γ' ἐπιμέλειαν ταύτης ȣ̓κ εἶναι, καὶ τὴν ἐμπειρίαν τὴν ἔτι καὶ νῦν γινομένην περὶ τȣ́των. *Minerva Olivarum culturam & plantationem, OLEIQUE EXPRESSIONEM tradidit. Nam ante hujus Deæ ortum fuit quidem hoc genus arboris, cæteris ſylveſtribus immixtum; ſed cultus, quô nunc adſicitur, & uſus nondum erant.* Hæc Diodorus, & ad propoſitum quàm aptè? Quod de Ariſtæo adducis, rem non ferit: Quis enim neſcit, apud antiquos interdum idem meritum duobus tribui? ita Oleæ inventionem, quam tu cum Poëtis Palladi relinquis, Alios Mercurio tribuiſſe, idem Diodorus nos docet; Quanquam fortè, quòd Ariſtæus Athenienſis fuit, idem hîc ſtatuendum ſit, quod de ſtructura Argûs, navis Argonautarum, quam alii Minervæ, alii Argo tribuunt, idque ideò, quod Argus Minervæ impulſu & conſilio eam perfecerit. Cæterùm, quòd Oleum attinet, id Palladi tàm proprium eſt, ut & ejus nomine veniat; Ita enim apud Ovidium Ep. 19. Hero ad Leandrum:

Fingere jam pingui Pallade membra putas?

Quod de Oleo intelligendum, quô Veteres ſe ungebant, clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit. At aliud hinc dubium naſcitur, inquit ARCHÆOPHILUS. Oleô olivis expreſsô veteres ungi ſolitos, fateor; Quid autem hoc ad Lucernas? cùm apertè apud Horatium hæ ſeparentur, Lib. 1. Sat. 6. ſub finem:

Ungor Olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta Lucernis.

Locus pro me facit, reſpondit DULODORUS; Veteres enim utrinque, & in Lucernis, & in unctione, olivô uſos, haud obſcurè ſignificat; Sed illud dicit, quô in Lucernis uterentur, immundius fuiſſe. Simile exemplum memorat Crates Thebanus ex Tele Libro περὶ συγκρίσεως πλȣ́τȣ καὶ πενίας in Commentario Lambini ad dictum Horatii Locum, ubi τῷ γλοιῷ *olei ſordibus* & *amurca* ſe unxiſſe dicitur. Sed de his abundè. Subit

LUCERNA BACCHI,
MONOLYCHNIS & ÆREA.
LIT. Y.

Bacchi Lucernam hanc eſſe, excepit ARCHÆOPHILUS, ex folio racemi conſtat, quod vices manubrii ſubit; Utrum autem Bacchi templo ſervierit, an conviviis fuerit adhibita, id mihi dubium eſt. Utrumvis ſtatue, reſpondit DULODORUS, non errabis. In templis Deorum ſuſpenſas Lucernas, pluribus exemplis docet Celeb. Cauſæus in Muſæo Rom. Conviviis adhibitas, conſtat ex Horatio, qui Od. 27. L. 1. *Vinum & Lucernas* non conjunxit tantùm, ſed & pro *conviviis* poſuit: Et Od. 8. L. 3. Mecænatem ad hilaritatem conviviorum hortaturus ita canit:

Sume Mecænas CYATHOS amici
Soſpitis centum, & vigiles LUCERNAS
Profer in lucem,

Simili ſenſu, quô & Ode 21. ejuſdem Libri, ad Amphoram:

Te Liber, &, ſi læta aderit, Venus,
Segnesque nodum ſolvere Gratiæ;
Vivæque producent LUCERNÆ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Plura congerere tædet. Sequitur

LUCER-

LUCERNA NEPTUNI
MONOLYCHNIS & ÆREA.
Lit Z.

Neptuno hanc tribuis, inquit ARCHÆOPHILUS; proculdubio ob caput Equinum, eodem modo, quô & Causæus aliam, Equi forma laboratam, quam proinde de *Neptuno Hippio* interpretatus est; Sed quæso, DULODORE; Annon potius Solem Equus respiciat? nam & huic sacrum esse, negari non potest? De Lucerna Causæi, respondit DULODORUS, suum cuique sit judicium; Nostram autem non Soli, sed Neptuno tribuendam, adjecta in medio Concha evincit. Concha, excepit ARCHÆOPHILUS, ad Venerem pertinet. Imò, respondit DULODORUS, si Veneri jungatur, non autem si jungatur Equo; Utrimque enim significatur Oceanus, Neptuni Regnum: Quô posito utique Neptuni ratio hîc potior erit,

Cui prima frementem
Fudit Equum magno Tellus percussa tridente.

Sequitur

LUCERNA MERCURII
INTRA SERTUM PAMPINEUM
MONOLYCHNIS ET FICTILIS.
Lit. AA.

Monolychnis hæc est, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen non Mercurium tantum, sed & symbolum Bacchi præferat. Symbolum Bacchi, respondit DULODORUS, non tàm ad Bacchum hîc pertinet, quàm ad ipsum Mercurium, qui secundum Nonnium in Dionysiacis, *Bacchum recens natum excepit, & ad Nymphas detulit*, uti videre est apud Sponium in Miscellaneis: secundum Orpheum autem *Bacchi & Veneris filius fuit*, imò & Mercurius *Bacchus* dictus est, in hymnis:

Ἑρμῆ βάκχε χοροῖο Διονύσοιο γένεθλον
Καὶ Παφίης κούρης ἑλικοβλεφάρου Ἀφροδίτης.
Mercuri Bacche, Chari Dionysii genus,
Et Paphiæ puellæ, curva supercilia habentis Veneris.

Quibus positis, utique palàm est, Sertum Pampineum & uvas, quibus Mercurius hic includitur, ad ipsum Mercurium pertinere, proindeque non duorum, sed unius hîc Numinis rationem esse, cui & unius Lucernæ tubus conveniat. Hircum Mercurio adstantem video, inquit ARCHÆOPHILUS; An ideò quòd is racemis infestus sit, secundum illud:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Si hircus esset, respondit DULODORUS, Penelope lucem affundere posset, quam in Hircum mutatus Mercurius generasse dicitur; sed Ego hic non tàm *Hircum* video, quàm *Arietem*, qui Mercurio sacer fuit, non minus ac Gallus, qui ab altero latere adstat. Innotuit proculdubio Mercurius Κριοφόρος *arietem gestans*, apud Pausaniam: Et Aries juxta Mercurium stans, apud eundem, ubi & rei ratio ex Homero traditur, quòd Mercurius Greges tueri & augere præ cæteris existimetur. De Gallo res vulgata est.


LUCER


AA


BB


CC


DD


EE


FF


GG

LUCERNA
VICTORIÆ ORBIS TERRARUM, MONOLYCHNIS & FICTILIS,
Lit. BB.

Prodit. An hæc sub Augusto facta? infit ARCHÆOPHILUS; talis enim Victoria, licet non directa, in ejus Nummis occurrit, & similem jam suprà contemplati sumus. De tempore, respondit DULODORUS, nihil determino; constat enim idem Victoriæ schema etiam in Vespasiani, aliorumque nummis occurrere. De eo abundè in superioribus est dictum. Ad alia pergimus. Subeunt

LUCERNÆ
PANOS
MONOLYCHNES & FICTILES.
Lit. CC. DD.

In priore, inquit ARCHÆOPHILUS, Larvam video. Sed quæ Pana referat, respondit DULODORUS, qui in secunda indubius est ex *pedo* & *fistula*, *facie* utrinque *caprina*, *auribus erectis*, *cornibus hirtis*, *barba hispidâ* plane ad descriptionem Silii Punicorum L. XIII.

Parva erumpunt rubicundâ cornua fronte
Stant aures summoque cadit barba hispida mento.

Pan, excepit ARCHÆOPHILUS, si Etymon consideres, Numen Universi arguit; Cùm autem Numen Universi innumeris modis operetur, mirum utique est, Lucernæ monolychni impositum esse. Unus est mundus, respondit DULODORUS, unumque si rectè censeas, Mundi Numen. Ut igitur ex unô Lucerna tubo lucem undique diffundit, ita & ex uno Numine cuncta profluunt, cuncta perstant. At, inquit ARCHÆOPHILUS, simulacro Panos non Numen tantùm, sed & Naturam, seu Mundum ipsum Veteres intellexerunt; ideò enim Nebride ornârunt, ut stellarum varietas indicaretur: ideò partem inferiorem hirsutam, ac pilosam, hircinamque fecerunt, quòd terræ asperitati ea conveniat. Adde & Pedum, inquit DULODORUS, & Fistulam, quorum illud anni in se recurrentis, hæc autem Harmoniæ cœlestis symbolum est, in quâ septem Sphæræ & septem discrimina vocum sunt. Quid autem hoc contra meam sententiam? Annon ut in Lucerna Corpus Tubo jungitur, neque tamen duas Lucernas facit; ita & Mundi symbola jungi poterunt Numini, Mundum gubernanti & illustranti? Scilicet Universi Fons, & Mundi ἡγεμονικὸν, sive Divina Ratio simul cum Mundo creato: non autem mundus creatus absque Numine Creatore sub hoc Panos simulacro intelligitur, proindeque rectissimè unicô tantùm Tubô, sed qui Lucernæ suæ cohæret, ejusque etiam corpus animat & illustrat, credi poterit adumbrari, non minus ac mundus hic animatur Numine. Cæterum quòd pedes Hircinos Pani Veteres tribuêre, non ea fortasse sola ratio est, quòd Terra sit aspera; In censum enim venit & animalis natura, cui & membrum erectum suffragatur. An quòd pecudum ἐπίσκοπος? inquit ARCHÆOPHILUS, pecorumque Deus, secundum Ovidium?

Pana Deum Veteres pecudis coluisse feruntur
Arcades: Arcadiis plurimus ille jugis.

Imò ob copiam ſpermaticam Naturæ, reſpondit DULODORUS; Laſcivum enim & libidinoſum hunc Deum dixêre, ideòque & Nymphas inſequi & formoſos pueros. Horreſco fœditatem, exclamavit ARCHÆOPHILUS. Tantâne ſpurcitie divinæ particula auræ contaminet Deum? Sed quid hoc? Annon utrem vini Pan hic geſtat? Utrem vini, reſpondit DULODORUS, credi poteſt geſtare, ut conſortium Bacchi intelligas; Oſiridem enim, qui cum Baccho idem eſt, ſuæ expeditioni Pana aſſociaſſe, ex Diodoro patet. Indeque Orpheus Βακχεύτα *Bacchatorem* vocat, & Bacchum eô etiam infante delectatum teſtatur Homerus. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an uter vini non convenientior fuerit Sileno? talem enim niſi fallor geſtat in Nummis familiæ Martiæ? Silenus, reſpondit DULODORUS, in Antiquitatum reliquiis pedibus caprinis pingi non ſolet, licet Pauſanias Satyrorum ſeniores Silenos dictos aſſerat, Satyri autem eòdem modô pingi ſoleant, quô & Pan: Quâ ratione ſi hunc Silenum credas, equidem acriter non repugno, quanquam Panis ratio mihi potior videatur, non propter Pedum tantùm, ſed & propter Fiſtulam:

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit,

Ut Virgilius loquitur. Ne ſic quidem res indubia eſt, repoſuit ARCHÆOPHILUS; Pani enim Pinus ſacra fuit, at hâc in Lucernâ folia & fructus video, à pinu immane quantum abeuntia. Folia quæ vides, reſpondit DULODORUS, Pampini videntur, eandemque cum Utre vini recipiunt interpretationem. Fructus rotundi ſunt, qualia poma, quæ tamen ut admittam, longiore petiolo prohibeor. Quicquid ſit, Deo Univerſi annon ritè jungitur quodcunque plantarum & fructuum genus? Orpheo ſanè in Hymno vocatur

Παντοφυὴς, γενέτωρ πάντων καὶ κάρπιμος παῖαν.
Omnia generans, omnium creator, & fructuoſus Pan.

Subit

LUCERNA
VINDEMIÆ
MONOLYCHNIS & FICTILIS.
LIT. EE.

Boves video, inquit ARCHÆOPHILUS, à plauſtro religatos; Plauſtrum enim vehiculum duarum rotarum eſſe, quibus onera deferuntur, Iſidorus ait. Notandum, inquit DULODORUS, rotas non radiis firmari, ſed integris tabulis conſtare, quales *Tympana* dictas, Scheferus obſervat ex Virgilio Georg. II.

Hinc radios trivêre rotis, hinc TYMPANA plauſtris.

Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed juxta ſuccurrit & Probi ſententia ad eundem Georg. I. v. 163. *Imperiti*, inquit, *plauſtra PLOSTRA appellant; Sunt enim vehicula, quorum rotæ non ſunt radiatæ, ſed tympana cohærentia Axi, & juncta cantho ferreo: Axis autem cum rota volvitur, &c.* Hæc verba ſententiæ de Plauſtro, hac in Lucerna expreſſo, partim ſuffragantur, partim etiam contrariantur. Suffragantur eò, *quòd tympana plauſtri, radiis careant*; ſed contrariantur, quòd ait, *Tympana axi cohærere, axemque cantho ferreo junctum cum rotâ volvi.* Ut omnia, reſpondit DULODORUS, ita & res vehicularis

à rudi-

à rudibus principiis ad majorem cum tempore perfectionem crevit. Id cùm non observaret Scheferus, tympana cum axe rotundo à Pignorio & Pæto non rectè delineata credidit, cùm tamen eôdem modò non in proposita tantùm Lucerna, sed & sæpius in Columna Antonini talia occurrant: Adeò ut inde pateat, ab initio quidem axem *quadratum* fuisse, & cum tympano cohæsisse, & simul circum actum esse: postea autem *rotundum* factum, & immobilem, ut Tympanum circa eum volveretur. Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, plaustri descriptio, quàm Probus dedit, adæquata non est. Imò nec ea, quam Isidorus habet, respondit DULODORUS; Plaustra enim in rotis *duabus* non substitisse, sed progressu temporis *quatuor* etiam iis junctas fuisse, ex iis constat, quæ in dicta Columna Antonini visuntur. Quatuor rotarum, respondit ARCHÆOPHILUS, in proposito ratio nulla est. Potius quæsierim, quis Plaustri in vindemia usus? neque enim nisi ramum ex eô protuberantem video. Plaustris, respondit DULODORUS, Vina convehi solere, obscurum non est. Ramus, quem vides, non è plaustro, sed è dolio plaustro imposito prominet, eòdem institutô, quó Aurigæ Vina recens pressa vecturi hodiénum utuntur, sive in signum liquoris, sive ut ebullitio impediatur. Utut autem hæc Vindemiam aperte nondum arguant, arguunt tamen *Vinitores* & *Quali uvis* utrinque *onusti*. Vinitorem uvas portantem, inquit ARCHÆOPHILUS, ferè qualiter propositarum posterior cernitur, memini me apud Gorlæum in Gemmis vidisse. Qualos autem, quos tu vocas, nescio an alicubi legerim. Cælius Rhodiginus, respondit DULODORUS, *Qualos exceptorios* JCtis dictos ait, quibus Uvæ comportentur; & *Qualos vindemiatorios* legas apud Ulpianum L. Instrum. D. de Instruct. & Instr. leg. Sufficienter hæc instruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ autem Vindemiæ cum Lucerna affinitas, ut ejus in hâc adumbretur schema? Eadem, respondit DULODORUS, quæ Vini cum Oleo; nam utrumque & calefacit & lætificat, vinum si bibatur, oleum si incendatur. Hinc oleum *caloriferum* apud Gellium, Vinum *Calidum* apud Ovidium vocatur. Utrinque ignis ratio concurrit, cujus originem docebit

LUCERNA PROMETHEI
MONOLYCHNIS & FICTILIS.
Lit. FF.

Hunc enim figuram in eo expressam referre, ex igne patet, quem manu præfert, eò scilicet, quòd ignem Cœlô oblatum mortalibus intulerit, unde Horatius:

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Hæc nota sint, inquit ARCHÆOPHILUS, sed non indubia; nisi enim fallor, ignis inventum, quod Hi Prometheo adscribunt, id ad Phoroneum retulisse Argivos, Pausanias author est. Recordor, inquit DULODORUS, sed Promethei ratio potior videtur, non fama tantùm, sed & re; Aliud enim est ignis inventum alicui tribuere, aliud ignem cœlitùs raptum inferre, id quod fabula Promethei docet, non historia Phoronei, quodque agens Prometheus etiam in proposita Lucerna visitur, cui commode assistit Apollonius Atheniensis apud Philostratum de Vitis Sophistarum, Prometheum πυρφόρον *igniferum* appellans. Aliud mihi in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS,

πυρφόρον quendam, aut igniferum, nisi fallor, in nummo Cypriorum cernimus, apud Goltzium. Is Veneris sacerdos Harduino creditur, vel ideò non abs ratione, quod aræ Veneris Paphiæ sanguinem affundere vetitum esse, altariaque precibus & *igne purô* adoleri, Tacitus memorat. Quid igitur si & hîc talis sacerdos effingatur? adeòque Lucerna Veneris sit, non Promethei? Si res indubia foret, respondit DULODORUS, fortassis assurgerem; cùm autem multis nominibus infirma, non arbitror ab asserto meo recedendum. Sacerdotem quidem *Cinaradam* memorat Tacitus, sed ignem manu præferre columnæ acclinem, non memorat: Altaria, dicit, igne purô adoleri, non sacerdotis dextrâ ignem præferri. Quòd si eum ritum Cyprii adumbrare voluissent, potius aram, quam sacerdotem igniferum expressissent. Quid autem, inquit ARCHÆOPHILUS, ea figura videbitur, si non sacerdos sit? Ipsum Prometheum arbitror, respondit DULODORUS; Eum enim ignis in manu evidenter arguit. Bona verba quæso! inquit ARCHÆOPHILUS. Quid Prometheo cum Venere aut Cypriis? Id, respondit DULODORUS, quod cum Assyriis. Cinyras, qui postea in Cyprum concessit, & Tacito teste Veneris Paphiæ templum sacravit, Apollodoro referente Assyriorum Rex fuit: Et Assyriis Prometheum primum Astronomiam indicasse, & rationem fulminum deprehendisse, indeque ignem cœlestem Jovi abstulisse creditum, aliorum sententia tradidit. Adde quòd Cyprus Syriæ pars fuisse, indeque fluctibus abrupta, Plinio memoretur, quòdque Prometheus, teste ipsô apud Æschylum, sacrorum, quorum templum index est, rationes invenerit, adeòque ignem, quô purô altaria Paphi adolebantur, non abs ratione videri possit in Cypriorum Numismate præferrè: Nisi & illud in medium proferas, quod Menander finxit, *Prometheum Mulieres protulisse, igne gravius malum*, ut ei quidem videtur; Quanquam potius ad ignem amoris videatur respiciendum, quô Venus, & per eam Mulieres, tantùm non omnes, corda virorum adurere solent. Hæc utut sint, inquit ARCHÆOPHILUS, fortassis tamen assentirer, si figura nuda foret; talem enim homines fingentem, talem & Caucaso alligatum in Admirandis Bellorii: imò & ignem præferentem in proposita Lucerna cernimus; In Numismate autem palliatus est, planè ut sacerdos, non ut Prometheus. Imò verò ut Deus, respondit DULODORUS; Ita enim & Jupiter, & Bacchus, & alii: Adeò ut Promethei hanc statuam esse, eò minus dubium sit. An Deus fuit Prometheus? excepit ARCHÆOPHILUS. Fuit, respondit DULODORUS, idque Sophocle teste, cui πυρφόρος θεὸς, Τιτὰν Προμηθεύς vocatur. Ejus aram certè cum Vulcano & Pallade in Academia fuisse, Pausanias author est, & nota sunt Promethea, festum Prometheo sacratum, quô Lampadiferorum cursus celebrabantur, uti Meursius de Festis Græcorum docet. Coronidis loco sit

LUCERNA
ACHILLIS HECTOREM TRAHENTIS, MONOLYCHNIS & FICTILIS.
LIT. GG.

De Achille, excepit ARCHÆOPHILUS, Hectorem circa muros Iliacos trahente, luculenter disseruit Fabrettus ad Tab. Iliacam, quæ sanè cum Lucerna hâc egregie convenit; utrinque enim non totus Hector, sed ejus tantùm caput ponè currum raptatur, secus ac in marmore Aracælitano. A Marmore Aracælitano.

cælitano, reſpondit DULODORUS, Lucerna noſtra eò differt, quod Priamum ex muro proſpicientem, imberbem ea finxit, qui tamen hîc largè barbatus eſt, qualiter aliquoties, & in allegata Tabula Iliaca. Cæterùm & Achillis jaculum notandum, quod utrinque hamatum eſt, quale & in Nummo Elagabali obſerves, Equeſtrem Adventum adumbrante. Non jaculum, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed Haſtam Achillis, & quidem æream, Phaſelide in templo Minervæ aſſervatam, memorat Pauſanias. Pauſanias, inquit DULODORUS, δόρυ habet, quod non *haſtam* tantùm, ſed & *jaculum* ſignificat, eò quòd Antiquitûs haſtis jacularentur, unde non ſemel apud Homerum ἀκόντισεν δȣρὶ *jaculatus eſt haſtâ.* Omninò autem fatendum, Marmor Aracælitanum etiam in hoc à Lucerna noſtra differre; Achillem enim cum Hectore congredientem haſtâ ſimplici, & non hamatâ, inſtruxit, eidemque, Hectorem circum muros raptanti, non Haſtam aut jaculum, ſed gladium affinxit, quæ hîc aliter viſuntur. Ad haſtam, inquit ARCHÆOPHILUS, ſuccurrit Philoſtratus, qui μελίαν *fraxinum* appellat, eamque longam, rectam & validam, cuſpide adamantinâ, & utrinque orichalco obductam memorat in Heroicis, ubi ſimul & de Equis Achillis, *Lampo* & *Xantho*, ait: Eos Theſſalos, & pernicitate mirabiles, ſpecieque illuſtres fuiſſe. De Equis, reſpondit DULODORUS, libet & Homerum audire, qui illos Xanthum & Balium vocat:

> Ξάνθε τε καὶ Βαλίε, τηλεκλυτὰ τέκνα Ποδάργης.
> *XANTHE & BALIE inclyti pulli Podarges.*

Et jam ante L. Π. v. 149.

> Ξάνθον καὶ Βαλίον τῶ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην
> Τȣ̀ς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυία Ποδάργη.
> *XANTHUM & BALIUM, qui duo ſimiliter vento volebant.*
> *Hos peperit Zephyro vento Harpyia Podarge.*

Sed quid multa? Integram Achillis armaturam videſis Iliad. T. v. 368. ſeqq. ubi inter alia & Thoracem circa pectora induiſſe, clypeum magnum firmumque cepiſſe, caſſidemque gravem, pulchrèque criſtatam ſibi impoſuiſſe, haſtam denique patriam, gravem, magnam & firmam, quamque ſolus vibrare ſciverit, memoratur ſumſiſſe. Omnia hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, in Lucerna noſtra patent; Quid autem circa minutias occupamur? Quidni potius ſeriem hiſtoriæ profers, in Lucerna adumbratæ? Rem à Fabretto præſtitam, reſpondit DULODORUS, ab initio dixiſti, eandemque & Ego tetigi, in Bello & excidio Trojano. Quoniam tamen ita videtur, audi eundem Poëtarum Principem Il. X. v. 395. ſeqq. Achilles, inquit,

> Ἕκτορα δῖον ἀεικέα μήδετο ἔργα
> Αμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε,
> Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέȣς δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας,
> Ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε. κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασεν
> Ἐς δίφρον δ' ἀναβὰς, ἀνά τε κλυτὰ τεύχε' ἀείρας
> Μάςιξεν ῥ' ἐλάαν, τὼ δ' ȣ̓κ ἀκοντε πετέσθην.

In Hectorem divum indigna molitus opera,
Amborum ponè pedum perforavit nervos,
Ad talum usque à calcaneo : bovinaque appendit lora.
Ex curru autem ligavit, caputque trahi ſivit.
In currum autem aſcendens, ſupraque inclyta arma elevans,
Flagellabat, ut impelleret. Hi autem non inviti volabant.

De Hectore & Achille hæc inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, non autem de Mœnibus & Priamo. De Mœnibus, reſpondit DULODORUS, ab Homero diſſentit Lucerna, ſubſcribitque Virgilio, quô canente Æn. I. v. 48. Achilles

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

Cum quo facit & Euripides in Andromache, & Q. Smyrnæus, & Hyginus Fab. CVI. Quod Priamum attinet, rurſus Homeri verba ſubſcribo, non de Patre tantùm Hectoris, ſed & de Matre teſtantia :

ἡ δέ νυ μήτηρ
Τίλλε κόμην —— παιδ' ἐσιδῦσα.
Ὤμοξεν δ' ἐλεεινὰ πατὴρ φίλος, &c.

Mater autem
Evellebat comam —— filium inſpiciens
Ploravit etiam miſerè Pater dilectus, &c.

Lucernas ſepoſituro DULODORO, interceſſit ARCHÆOPHILUS, & figuras, inquit, contemplati ſumus, quæ ſuperiorem planiciem decorant, ſed video etiam in baſi quaſdam inſcriptiones. Ita ſub literis P. & T. exſtat BASAVGV, ſub litera Q. legitur ELOLDIA. ſub litera X. radiat C. ATIL. VEST. Figilum hæc nomina eſſe, reſpondit DULODORUS, non minus ac FORTIS, FESTUS, VEGETUS, COMMUNIS, & alia, quæ diverſis hujus Gazæ Electoralis in Lucernis & vaſculis occurrunt, vulgò creditur, à qua opinione non video cur abire debeam, licet vocabulorum interdum ſignificatio etiam aliò detorqueri poſſit. De his autem hactenus. Subeant

INFU-


INFUMIBULA, AN INFUNDIBULA?



Infumibuli, inquit ARCHÆOPHILUS, quod ſciam, nullibi eſt mentio. Infundibulum quidem innotuit, & hujus figuram propoſita ferè imitantur. Infundibula, reſpondit DULODORUS, longiore adhuc in apice tubulo muniuntur, ut eô in vas grandius immiſsô infundibulum ſimari poſſit, quæ mihi ratio eſt, ut *infumibula* potiùs, quàm *infundibula* hæc ſtatuam: Licet in reliquis infundibula & infumibula, non tàm formâ, quàm uſu differant; Si enim liquorem per ea in aliud quoddam vaſculum fundas, rectè *infundibula* dixeris: ſi autem vaporem aſcendentem per ea cogas, & coarctatum vel ore vel auribus haurias, potius *infumibula* appellaveris, voce ſcilicet rei magis conveniente, quod genus hauriendi fumi Græci ὑποκαπνισμὸν vocabant, Apud Plinium, inquit ARCHÆOPHILUS, l.24. c.15. ejus mentio eſt, ubi tamen non *infumibulum*, ſed vel *infundibulum*, vel *infurnibulum* legitur. Imò & *Infumibulum*, reſpondit DULODORUS; Ita enim quibusdam legi, Robertus Stephanus in Theſ. Ling. Lat. notat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, annon *Fumarium*, aut *Vaporarium* melius diceretur? Fumarii aut Vaporarii, reſpondit DULODORUS, alia eſt ſignificatio: Quanquam Hadrianus Junius *Infumi-*

fumibulum cum *Fumario* confundat. Aliud adhuc in mentem venit, inquit ARCHÆOPHILUS, annon *Camos* hos arbitrer, quibus calculi in cadum mittebantur, uti Caſaubonus ad Athenæum notat? Non dixerim; reſpondit DULODORUS, Anguſtia enim calculos videtur reſpuere. In *ſecundo* & *tertio* Inſcriptiones notandæ, quarum altera IMPERATORIS CÆSARIS PUBLII HELVII PERTINACIS AUGUSTI P. M. altera IMPERATORIS MARCI AURELII ANTONINI PII FELICIS AUGUSTI GERMANICI hæc, ſive *infumibula*, ſive *infundibula*, fuiſſe arguunt, quod tamen non eò intelligendum, ac ſi ipſi Imperatores his uſi fuiſſent, cùm metalli vilitate potius ad Aulæ miniſteria rejiciantur. Succedit

CYATHUS.




Hoc eſt illud Vaſculum, inquit ARCHÆOPHILUS, quod Nobiliſſimu[s] Cauſæus *Simpulum* dixit; Rem tenes, reſpondit DULODORUS, & videtur Cauſæus appellationem ab ipſo Bellorio mutuaſſe, qui in Catalogo ſuo: *Sim[*-*] polo col manico longo per le libationi* id deſcripſerat, ſecutusque eſt & ſculpto[r] Theſauri Antiquit. Rom. quem Ill. GræVius congeſſit. Simpulum, excepi[t]

ARCHÆ

ARCHÆOPHILUS, à *sumendo* dictum esse, quòd eo minutatim sumerent, supra ex Varrone memorasti, quæ descriptio quin proposito conveniat, dubitari ne potest quidem. Varronis placitum attuli, inquit DULODORUS; sed juxta docui, id usui contrariari. Simpulo enim Sacerdotes minutatim non sumebant, sed fundebant. At, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi sumsissent, fundere non poterant. Quidni? respondit DULODORUS, si, quod funderent, ipsis daretur? An nescis, id Camilli officium fuisse, ut Sacerdoti præministrarent? Clarissimè id videas in Marmore apud Sponium, in Miscell. p. 310. ubi Camillus ex Gutto in Sacerdotis Pateram, liquorem fundit, eum scilicet, quem postea Sacerdos aræ aut victimæ superfusurus erat. Patera & Simpulum, inquit ARCHÆOPHILUS, immane quantum differunt. Usu sacro, respondit DULODORUS, non differunt; utroque enim Sacerdotes aris adstantes in Centenis Numismatibus contemplamur, & cujus rei gratia? si non, ut ministratum sibi à Camillo liquorem funderent? adeò verum est, quod dixi, simpulum *à sumendo* dici non posse. Si à sumendo, excepit ARCHÆOPHILUS, simpulum dictum non est, quæ igitur vocis ejus origo? Scaliger eam suppeditat, respondit DULODORUS, simpulum is diminutivum esse dicit à *simpone*, quod fit à Græco σίφων, ac significat *vasculum cum tenui fistula, vel augusto collo, ad pitissandum vinum.* Hæc sane descriptio simpulo, non in Nummis tantùm, sed & in Marmoribus expresso, constanter convenit, & tale omninò pingit, quale etiam suprà sacerdos prætulit, ubique scilicet cum tenui ejusmodi fistula aut collo affictо. Fistulam non observavi, regessit ARCHÆOPHILUS, non observavi angustum collum. Annon, inquit DULODORUS, in anteriore parte simpulum in angustum & acutum canaliculum vidisti coarctari, ut per eum liquor minutatim effundi posset? Vidi, inquit ARCHÆOPHILUS. Id est, respondit DULODORUS, quod Scaliger fistulam aut collum nuncupavit, quodque in proposito vase abest, adeòque simpulum hoc esse, apertè negat. At manubrium, inquit ARCHÆOPHILUS, cum simpulo convenit. Nihil minus, respondit DULODORUS, quo enim in simpulo tantâ longitudine prominet? & cujus ad aram id usus foret? cùm in simpulo tantum sufficiat, quantum Sacerdotis manum adæquat? Annon potius vel hinc colligas, vasculum hoc ad hauriendum ex vase majore & profundiore liquorem, destinatum fuisse? adeòque si ad figuram respicias, *haustrum* appellari debere? Haustra, inquit ARCHÆOPHILUS, Vitruvio sunt *Rotarum cadi*, aut *modioli* potius, teste Nonio, unde & Glossæ, *Haustrum*, *Rota hauritoria* & *Girgillus*, græcè ἀντλίον diceres, & ἄντλημα. Quid autem hoc ad propositum? Haustrum, respondit DULODORUS, etiam fuit Cyathi genus, quô vinum hauriebant, ἀρύταινα, ἀρυςὴρ, ἀρύςιχος, ἔφηβος Athenæo: & Polluci οἰνήρυσις, κύαθος, ut Junius in Nomenclatore notat. Haustrum hîc & Cyathi genus agnoscis, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen ab initio *Cyathum* absolutè dixeris. Hæc quomodo cohærent? Quidni simpliciter & hîc *Cyathum* appellas? Id ideo, respondit DULODORUS, ut ostendam, duplicis usûs hoc vasculum fuisse, olei scilicet ex vase majore extrahendi, & olei certâ mensurâ distribuendi. Prius ex figura patet, non longiusculô tantùm manubriô, sed & eô ita in summitate retortô, ut vasi majori appendi possit: ita corpori suo adglutinato, ut æquâ lance id pendeat, nec quicquam liquoris ultrà superficiem effundatur. Probè hoc observas, inquit ARCHÆOPHILUS, & si de mensura satisfacias, jam non gravabor in tuam sententiam transire. Mensuram, respondit DULODORUS,

duæ lineæ in ſummitate manubrii appoſitæ indicant; *duas* enim *uncias* hæ indicant, quot Cyathum explere Suidas tradit. Κύαθος, inquit, ἀντλητήριον μέτρον ὑγρȣ̃ ȣ̓γγιῶν II. *CYATHUS menſura, quâ res liquidas haurimus, unciarum duarum.* Ubi nota, etiam ἀντλητήριον dici. De Menſura ſuffragatur & Heſychius: κύαθος δέχεται ὑγρȣ̃ τινὸς ȣ̓γγίας δύο. *Cyathus capit liquoris cujusdam uncias duas.* Sequitur


SEXTARIUS CASTRENSIS.



Congium hunc appellarem, excepit ARCHÆOPHILUS, idque cum Bellorio, qui nomen hoc, ut audio, & ipſe probavit. Ita Bellorius etiam in Catalogo, reſpondit DULODORUS; Sed dabis veniam, quòd ab ejus opinione recedam. Congius *ſex Sextarios* capiebat, adeòque menſura erat hâc longè major. Si Congius *ſex Sextarios* capiebat, excepit ARCHÆOPHILUS, fortaſſe nomen *Sextarius* inde ſortitus eſt, *quòd ſextam Congii partem caperet.* Id ex Iſidoro diſcas, ſubjecit DULODORUS: *Congius*, inquit, *SEX metitur SEXTARIIS, à quo & SEXTARII nomen dederunt.* Hæc bene, inquit ARCHÆOPHILUS; At quomodo probabis, hunc Sextarium eſſe? Ex capacitate, reſpondit DULODORUS, exactè enim, nam ipſe experimentum ſumſi, *viginti Cyathis* impletur. Viginti Cyathos Sextarium con-

conſtituere, regeſſit ARCHÆOPHILUS, nullibi legi. *Uncias* fortaſſe volebas dicere, quas & ratio ſuadet, & Authores probant; Si enim verum eſt (de quo Congii inſcriptio, quæ paſſim jam vulgata proſtat, dubitare non ſinit) Congium *Pondo decem* capere: verum etiam, *ſextam* Congii *partem Sextarium* conſtituere, utique Sextarius Uncias plures quàm viginti capere non poterit; Libra enim duodecim uncias, adeòque Congius, ſive X. Libræ, 120. uncias continent, quarum ſexta pars, Sextarius ſcilicet, *Uncias viginti* ſortitur. Et hoc eſt, quod Galenus habet: Παρὰ τοῖς Ρωμαίοις ὁ Ξέςης ἔχει μίαν λίτραν καὶ ἡμίσειαν καὶ ἕκτον. ὡς εἶναι τὰς πάσας ὀγγίας κ. *Apud Romanos SEXTARIUS Libram unam & dimidiam atque ſextam ipſius partem capit, ut UNCIÆ univerſæ ſint VIGINTI.* Sed plura de his Georg. Agricola de Menſuris Romanorum. Quid reſpondes, DULODORE? Id quod res eſt, reſpondit ILLE; Neque enim vel in diverſitate Sextariorum effugium quæram, quòd, vel ipſo Galeno teſte, Sextarius Græcorum Romano æqualis non fuerit, aliusque aliâ Sextarii menſurâ uſus fuerit; Neque illud adducam, quod Cel. Sponius in Miſcell. Erud. antiquitatis ex ſchedis Bagarii ad opinionem Dioſcoridis protulit, heminam ſcil. vel Cotylam 20. uncias capere, ubi fortaſſis errorem præſumeres, pro 20. *decem* reponendum judicando, id quod ratio poſtulat; Sed idem ex Pithæo Cyathos novem *Heminam*, duas Heminas *Sextarium* ait conſtituere, quod quidem huc aliquô modô facere poſſet; Sed ego, ut dixi, his ſubterfugiis non innitar. Potius illud obſerves velim, me vaſculum hoc non ſimpliciter *Sextarium*, ſed *SEXTARIUM CASTRENSEM* inſcripſiſſe; Hic enim non ſimplex, ſed *duplex Sextarius Urbicus* erat, continebatque non viginti uncias, ſed *viginti Cyathos*, ſive uncias quadraginta, quot propoſitum capere, menſurando expertus ſum. Clarè id docet allegatus Agricola: *Græci, inquit, ſeu Attici Sextarii, capacitatem libro ſequenti declarabo. Nunc is, quo milites in caſtris ſunt uſi, qui ob id dicitur CASTRENSIS, eſt explicandus. Capit verò DUOS SEXTARIOS URBICOS, ſive ITALICOS, quâ de audiamus Divum Hieronymum ſic ſcribentem in Ezechielem: Sextam enim partem menſuræ Hebraicæ, quæ appellatur HIN, jubetur per ſingulos dies bibere. Porrò HIN DUOS* ΧΟΑΣ *ATTICOS facit, quos nos appellare poſſumus DUOS SEXTARIOS ITALICOS. Ita ut HIN menſura ſit Judaici Sextarii, NOSTRIQUE CASTRENSIS, cujus ſexta pars facit tertiam partem Sextarii Italici. Ex quibus verbis quis non intelligit, Sextarium Caſtrenſem duos Italicos ſed urbicos capere?* Succedit

QUARTARIUS,



Quem inde accepimus dictum, quòd *quartam Sextarii partem* caperet. An Urbici? excepit ARCHÆOPHILUS. Non alius, respondit DULODORUS. Probat ex testimonio Volusii Metiani Agricola, *duos Quartarios in Heminam, duas Heminas in Sextarium* numerantis. Sextarius, excepit ARCHÆOPHILUS, ut modò vidimus, viginti uncias capiebat: Quartarius igitur tantùm uncias quinque ceperit necesse est. Mensuram exegi, respondit DULODORUS, & justam inveni. *Duos Cyathos & dimidium* continet, qui, Cyathô, ut vidimus, duas uncias sibi vendicante, apertè *quinque Uncias* constituunt. Parva hæc Mensura est, inquit ARCHÆOPHILUS. Sed tamen in usu fuit, respondit DULODORUS. Meminit Livius Lib. V. *Manlius*, inquit, *primum ob virtutem laudatus donatusque, non ab Tribunis solum militum, sed consensu etiam militari, cui universi selibras farris, & QUARTARIOS VINI ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt, rem dictu parvam, cæterùm inopia fecerat eam argumentum ingens charitatis, cùm se quisque victu suô defraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret.* Succedit

POCU-

POCULUM FICTILE.



An etiam fictilibus Veteres bibebant? interrogavit ARCHÆOPHILUS; Omninò, respondit DULODORUS. Si rei originem quæras, eam ecce in Propertio L. I.

FICTILIA Antiquus primum sibi fecit Agrestis
POCULA, de facili composuitque luto.

Ex plebis fæce hi erant, excepit ARCHÆOPHILUS, & sanè, etiam ipsa Poculorum ejusmodi materia rei contemtum arguit, indeque non abs ratione fictilibus usi Athenæo ex Ctesia memorantur, quos Reges Persarum ignominiosè despicerent. Sequentibus temporibus, respondit DULODORUS, etiam Reges fictilibus usi sunt. Non Agathoclem adducam, qui originis suæ in memoriam, fictilibus cœnâsse memoratur; sed Masanissam Regem Libyæ, qui cœnam fictilibus instruxisse, apud eundem Athenæum ex Ptolemæo refertur, idque more Romanô. Ad ætatem Macedonum, morem eum durâsse, idem ex Juba author est, nisi & ultra; nam Plinius Patinæ Vitellii faciundæ fornacem in Campis exædificatam tradit, eòque luxuriam pervenisse, ut etiam fictilia pluris constiterint, quàm Murrhina. Id de iis fortassis asserueris, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ cum odoribus, terræ commistis fiebant, qualia fuére Pocula fictilia ex Copto, & Ollulæ Rhodiacæ, de quibus idem Athenæus, uti supra vidimus. Imò etiam alia in pretio fuére, regessit DULODORUS,

id quod non aliô Tubicine certius discas, quâm eôdem Pliniô L. XXXV. c. 12. *Major*, inquit, *pars hominum, terrenis utitur vasis. Samia etiamnum in Esculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Aretium in Italia: & Calicum tantum Surrentum, Asta, Pollentia; in Hispania Saguntum: in Asia Pergamum. Habent & Tralles opera sua, & Mutina in Italia, quoniam & sic Gentes nobilitantur.* Si vel ex terris, excepit ARCHÆOPHILUS, vel ex figuris ejusmodi fictilia, suæ quodque ortui, vindicari possent, res otiosa non foret. Posse, si non in omnibus, respondit DULODORUS, saltem in quibusdam, non negavero; differunt enim & terris, & incrustaturis, & formis. Terrarum nobis rubicundæ & candidæ præstò sunt, incrustaturæ rubræ, ferrugineæ, albæ, aleæqne. Adde quòd in quibusdam adjecta sunt Figulorum nomina. Sed mihi his vel inquirendis, vel dijudicandis otium non suppetit. Ad propositum redeo. Id ex terra rubra, cum nigra incrustatura, literisque & ornamentis albis confectum est, qualiter & sequentia,



Quæ inscriptione, imò & figurâ, priori respondent; Ut enim illa SITIO, sic in his BIBE & PIE legitur. Non aliter hæc, perrexit ARCHÆOPHILUS, ac si trium Compotatorum *primus* potum posceret, *secundus* porrigeret, *tertius* antem modum bibendi præscriberet. Ritè, inquit DULODORUS; ἐκμανῶς enim, ut apud Athenæum legitur, sive *insanè* bibendum non est, sed ad sitim restinguendam, quem modum si supergrediaris, facilè cum Chærilo Poëta apud eundem exclamabis:

Magnas opes ego in manibus habeo, calicis undique fracti testam,
Convivarum hominum naufragium, qualia multa
Bacchi R. procella sæviens immaniter dissipata ejecit.

Sequitur

FIDE-

FIDELIA,



Aut qualecunque fictilium vasorum genus hoc sit; neque enim me satis nosse, ingenuè fateor. Amphora Diota videtur, respondit ARCHÆOPHILUS; convenit enim cum iis, quas in Chiorum Nummis contemplati sumus. Chiorum

rum Amphora, inquit DULODORUS, vino ferviebat, propofitum autem fictile vino fervire non potuit, nam fundo caret. *Fideliam* nominare placuit, quod hæc non liquida tantùm ceperit, uti ex Perfio patet:





Tumet alba fidelia vino.

Sed & ficcis fervierit, id quod ex Columella adftruxeris, L. XII. c. 38. *Duo,* inquit, *funt genera Myrti, quorum alterum eft nigrum, alterum album. Nigri generis baccæ, cum funt maturæ, leguntur, & femina earum eximuntur, atque ipfæ fine fiminibus in Sole ficcantur, & in FICTILI FIDELIA ficco loco reponuntur.* Sed quid multa? cum Samium hoc vas, *ad ufus plurimos fuiffe*, Nonius Marcellus afferat. Certè five flores ficcos affervare, five aquâ recreare placeret, utrinque fictile hoc commodiffimum videtur Et quomodo aqua recreare? excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen in fundo perforatum fit, adeòque aquam continere non poffit? Aquam, regeffit DULODORUS, Pelvi cuidam, aut Catino, aut Pateræ arbitror infufam, in eamque Fideliam hanc cum floribus immiffam, aquam per fundi oftium recepiffe. Quid hoc neceffe erat, denuò, regeffit ARCHÆOPHILUS? cùm tamen, fi fundus claufus fuiffet, aqua commodius per orificium fuperius potuiffet infundi? Duplici hoc commoditate factum arbitror, refpondit DULODORUS, *primò* fcilicet, fi per orificium fuperius aqua funderetur, vel flores humectare neceffe fuiffet, vel eosdem eximere: *Deinde*, in cavitatis obfcuro nefciri potuiffet, quantum aquæ fuiffet infufum. Horum utrumque pervio hoc fundo fecus fit; Aqua enim, quantâ altitudine in pelvi vifitur, tanta etiam in ipfa fidelia recepta intelligitur, nec erit neceffe vel flores eximere, vel humore vitiare. Non difplicet ratio, fubjecit ARCHÆOPHILUS, & jam Fideliam floribus fervandis, hanc nihil vereor ftatuere, præfertim cùm pictum utrinque caput fœminæ intuear, quam ritè fortaffis *Floræ* dixerim, reliquaque florum foliis videantur adornata. Sed his relictis ad picturæ modum refpicere placet, qui in figlinis licet rarior fit, hôc locô tamen dilucidandum Te fupra pollicitum recordor. Meminit Plinius, refpondit DULODORUS, *Agrippa*, inquit, L. XXXVI. c. 25. *in Thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus ENCAUSTO PINXIT.* Quid autem *encaufto pingere* fit, explicat idem Lib. XXXV. c. 11. *Ceris*, inquit, *pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non conftat. Quidam Ariftidis inventum putant, poftea confummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetuftiores Encaufticæ picturæ exftitere, ut Polygnoti & Nicanoris & Arcefilai Pariorum. Lyfippus quoque Æginæ picturæ fuæ infcripfit* ἐνέκαυσεν, *quod profectò non feciffet, nifi ENCAUSTICA inventâ. Pamphilus quoque Apellis Præceptor non pinxiffe tantùm ENCAUSTICA, fed etiam docuiffe traditur Paufiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem.* Hæc Plinius, cujus affertum ad fideliam noftram quidni applicemus, cùm hæc terram ex flavo rubicundam oftendat, nigrisque coloribus diftinguatur? Subeunt

PHIALÆ LACRYMARUM VITREÆ.


Plura funt, quæ ex prifcis mortuorum monumentis eruuntur, vaforum genera; Non materiâ tantùm diftinguuntur, fed & formâ. Hæc ut ufum demonftrat, ita illa præcipuè dignitatem; Phialas vitreas vides, modulò, quô hic exhibemus, eodem. Has quid arbitraberis, fi non illas, quas lacrymis repletas fimul cum cineribus mortuorum condere folebant? Ejusmodi Phialas, inquit AR-
CHÆO-


pag 144









pag. 465



CHÆOPHILUS, in Sepulchris passim inveniri scio. Imò nec dubitem, ad excipiendas lacrymas adhibitas fuisse; Parvitas enim, & conveniens oculo orificium, rem abundè demonstrant: Imò nec ratio deest, *cur plerumque vitreæ sint?* Ut scilicet lachrymarum mensura eò facilius nosceretur. An autem lacrymæ ejusmodi Phialis exceptæ, in phialis fuerint sepultæ? an ossibus superfusæ, & Phialæ vacuæ in testimonium fuerint conditæ? id sanè à Te doceri vellem. Quæstionem moves, respondit DULODORUS, quæ non ad Phialas lacrymatorias tantùm, sed etiam ad Pateras, Urceos, Pocula, aliaque in sepulchris reperiri solita vasa pertinet. Sed de his in sequentibus. Quod ad Phialas lacrymatorias attinet, non equidem negavero, lacrymis ossa respergi solita fuisse, id enim apertè satis Inscriptio apud Gruterum p. 692. num. 10. Ubi filium mater

LACRIMIS ET OPOBALSAMO UDUM

Sepulcro condidisse memoratur; Sed etiam lacrymas in Phialis cum cineribus condi solitas, ex iisdem inscriptionibus palam est; In his enim non tantùm CUM LACRIMIS. P. & TUMULUM LACRIMIS PLENUM DEDIT, quæ loquendi formulæ adhuc ambiguæ esse possent; sed etiam LACRIMAS POSUIT, quod omnem ambiguitatem excludit. Scilicet ut alios liquores, ita & lacrymas, vel in funere affundere, vel post funus mortuis solatio futuras, simul cum cineribus tumulo inferre solebant, id quod ex sequentibus docebimur. Succedunt enim

VASA VITREA
LIQUORIBUS VEL FUNDENDIS VEL CONDENDIS USURPATA.

Liquores erant *Aqua*, *Vinum*, *Lac*, *Sanguis*, *Oleum*, *Opobalsamum*. De Lacte, Vino & Oleo, super ardentes Victimas fundi solito, ex Virgilio, Ovidio, Statio, aliisque probat ad Cenotaphia Pisana Eruditissimus Cardinalis Norisius. Imò & Kirchmannus, reposuit ARCHÆOPHILUS, ubi & Aquam *Arferiam* dictam, Liquoresque, quòd funderentur, χοὰς. Sed hoc ipsum, nisi fallor, refragatur opinioni de Liquoribus in Vasibus simul cum Cinere, ut ita dicam, sepultis. At non refragatur, regessit DULODORUS, imò potius opinionem eam expressè fulcit, apud Virgilium Æneas:

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte,
Sanguinis & sacri Pateras.

Non enim *Inferiæ* dictæ sunt ab *Inferis*, uti Servius arbitratur, sed ab *inferendo*, uti Turnebus L. IV. Adv. c. 22. *Quòd Sepulchris inferrentur*, id quod non aliunde clarius elucet, quàm ex L. ult. ff. de Auro & Argento leg. ubi mulier decedens ita scripsit: *Funerari me arbitrio viri mei volo, & INFERRI mihi, quæcunque sepulturæ causa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & Viriolas ex Smaragdis.* Locus ad rem facit, inquit ARCHÆOPHILUS; neque enim credibile est, Margaritas & Smaragdos eam victimis superjici, sed potius simul cum defuncta sepeliri voluisse; Sed quæ rei ratio? Rationem, respondit DULODORUS, aperit Lucianus. *Persuasum est*, inquit, *Umbras ab inferis reduces, cœnare quidem utcunque licet, circa nidorem volitando, bibere autem è favis mulsum.* De Liquoribus, excepit ARCHÆOPHILUS, non autem de ornamentis Author loquitur. Eadem ratio est, inquit DULO-

DORUS; Ut enim animæ defunctorum, five umbræ, illis credebantur vivere, ita his credebantur delectari, non minus ac in vita: Et hinc eſt, quòd non *ornamenta* tantùm, non tantùm *Ollæ*, *Urnæ*, *Pateræ*, *Pocula*, ſed etiam *varia artium inſtrumenta* paſſim ex Sepulchris eruantur. Neceſſitatis hoc officium videtur, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non minus ac *Naulum*; Ut enim hoc ideò mortuis appoſitum eſt, ut Charonti mercedem ſolvere poſſent, & ita ſine mora in Campos Elyſios transveherentur; ita *Inſtrumenta Artium*, ut ſe ſuſtentare: *Pateræ Urceæ* &c. ut commodè agere: *Ornamenta*, ut coram Dite cultiores apparere poſſent. Res eodem cadit, excepit DULODORUS. Nos ad propoſitum revertimur. Vaſa propoſita diverſis liquoribus ſerviiſſe ex diverſitate formarum apparet. Primi ordinis medium eximio candore lucidum, collo longiuſculo & corpore diſtento fulgidum, ſi parvum eſſet, lacrymale arbitrarer; Cùm autem eam magnitudinem præferat, quam delineatam oſtendo, ſanè vel Oleo, vel Vino, vel Lacti deſtinatum arbitrarer, ut & reliqua, quæ ei utrinque à latere adſtant, vitro viridiore conſpicua, & inferioris ordinis medium, quod *lactis cymbium* neſcio an adeò abſurdè diceres. Et ipſum candore nitet, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem media duo, exiguitate ſua nec lacti, nec vino, nec ſanguini ſufficientia, multò minus aquæ? Opobalſamo ſerviiſſe crediderim, retorſit DULODORUS, nam & hoc in defunctorum honorem adhibitum, ex allata ſuprà Inſcriptione patet, niſi aliud quoddam odoris genus ſubſtituas, ſecundum Auſonium in Epitaph. Carm. XXXVI.

Sparge mero Cineres, & ODORO perlue NARDO,
Hoſpes, & adde roſis BALSAMA puniceis.

URNÆ

Prodeunt, pleræque ut materiâ & magnitudine, ita & raritate memorandæ. An *Oſſuaria* dicis? inquit ARCHÆOPHILUS, an vero *Cineraria*? Utraque, reſpondit DULODORUS, neque enim diſtinctio Gutherii ſatis arridet: Quaſi verò non in iisdem & *Cineres*, & *oſſa* fuerint compoſita? Clarè id Scholiaſt. Homeri Iliad. Δ. Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, τὰ σώματα ȣ̓κ ἔθαπτον ἐπὶ γὴν εἰ μὴ πρότερον ἔκαυσαν, εἶθ' ȣ̆τως τὴν τέφραν σὺν τοῖς ὀςέοις ἐχώννυον ἐν ἀγγείῳ τινὶ ἀποθέμενοι. Sed ipſas intueamur! Procedit

URNA

URNA
MARMOREA
SPURINNIAE FILIAE ELEUTHERIDIS.



Urnas *aureas*, inquit ARCHÆOPHILUS, legimus apud Homerum, Moschum, Plutarchum, alios. De Urna *argentea* eſt locus Ammiani Marcell. in Lib. XVIII. De *ænea* reſtatur Virgilius; Quis autem de *Marmorea?* Xiphilinus, reſpondit DULODORUS, is enim *oſſa Severi in Urnam factam ex lapide PORPHYRETICO*, quæ marmoris ſpecies eſt, *conjecta, Romamque perlata, & in Antoniniano repoſita* memorat: Et quis neſcit, apud Gruterum etiam *ſarcophagi marmorei* non ſemel mentionem eſſe? Sed hoc me tam anxium non habet, quàm habet Inſcriptio; Urnas enim quemlibet, reſpondente ſuis vel facultatibus vel votis ex materia ſibi paraſſe, facilè adducor ut credam; Quis autem de SPURINNIA F. ELEUTHERIDIS nos doceat, cujus hâc urnâ cineres & oſſa ſervata fuiſſe inſcriptio teſtatur? Dubito, inquit ARCHÆOPHILUS, an *Spurinnam* fœminam ſtatuam, quanquam abſentia prænominis id videatur ſuadere, an maſculum? Notiſſimum enim *Spurinnæ* pro maſculo nomen, & in

Historia & in Inscriptionibus tantùm non persuadet. Non *Spurinna* hîc legimus, inquit DULODORUS, sed *Spurinnia*, quod fœminæ nomen esse, nemo opinor negabit; Quænam autem fuerint, aut quando vixerint, & *Spurinnia* filia, & *Eleutheris* ejus mater, non facilè dixerim. Succedit

URNA
MARMOREA QUADRATA HELII AFFINIANI, PUBLICI AUGURUM,

Quam SEXTIA PSYCHE Conjugi bene merenti dicasse, ex inscriptione noscitur. An hi notiores sunt? inquit ARCHÆOPHILUS. Sunt, respondit DULODORUS, idque ex inscriptione Gruteriana, quæ p. 1087. num. 7. talis legitur:

DIIS. MANIBUS. SACRUM.
VIVENIÆ L. F. HELIADI.
VIXIT. ANNIS. XVI MENSIB. VI.
FECER. HELIUS. AFFINIANUS. PUBLICU.
AUGURUM CUM SEX. PSYCHE CONJUGE.
FILIÆ PIENTISSIMÆ.


Unde Gruterus hæc hauserit? excepit ARCHÆOPHILUS. Ex Boissardo, respondit DULODORUS, qui parte VI. p. 51. integrum lapidem dedit, eadem ferè figura, qua & noster hic visitur, nisi quòd in Tympano, ubi in nostro Corona est, is aquilam præferat: & sub ea, ubi in nostro uterque, & Affinianus & Sextia Psyche, super aram dextras jungunt, apud Boissardum stemma Puellæ sit, cui duo Cupidines allucent. Duo Cupidines, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam hîc visuntur, unde facilè crediderim, aram, suprà quam Affinianus & Psyche dextras jungunt, ad fœdus conjugale respicere; Quid autem Cupidines hi manibus ferunt? Uvas, respondit DULODORUS, qualem & suprà Cupido habuit. Uvam ibi ad maturitatem ætatis referendam ex Horatio ostendimus, cùmque in proposito Cupidines utrisque manibus uvas præferant, prona conjectura est, nubiles utriusque annos, cum conjugium inirent, hôc schemate indigitari, id quod planius etiam patet ex ætate filiæ, quæ annô XVI. mens. VI. mortua est, ætate digniore quâ à Cupidinibus face nuptiali lustraretur, quàm quâ mortis spiculis configeretur. Quicquid sit, ex filiæ ætate, elucet & ætas parentum, qui licet in marmore filo pleniore exhibeantur, minimum tamen ætate maturâ convenere, & annos octodecim in conjugio vixerunt. Qui enim aliter filiæ, sedecim annorum & sex mensium defunctæ, potuissent parentare? Sed & illud ex Inscriptione patet, fuisse scilicet concordes hos conjuges, Liberosque suos amasse; ideo enim dextras jungunt: ideò filiæ monumentum posuit uterque: Ideò & *Marito* superstes *uxor* Cinerarium, idque cum elogio, *benemerenti*. Cupidines, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor, globis insistunt, & sub globis sunt Sphinges tripodibus insi-

pag. 468



insistentes. Quid hi sibi volunt? Sphinges, respondit DULODORUS, Minervæ, Tripodes Apollinis sunt. Apollinis, inquam, Auguriorum præsidis, id quod vel ex Numismate Vitellii patet. Auguriorum, quibus enodandis recondita sanè sapientia requiritur, qualis sub Minerva, qualis & sub Sphinge latet: adeò ut jam mirum non sit, quòd urnæ Affiniani, utpote *Augurum Publici* hæc symbola sint affica. Quòd autem sub globo, cui Cupidines insistunt, ea occurrant, id fortassis causæ fuerit, ut indigitetur, dum terris Affinianus superesset, amorem durasse; post mortem, licet Amor evanuerit, tamen gloriam auguriorum mansuram: De *Auguribus*, excepit ARCHÆOPHILUS, plura passim, & vulgaria: Secus autem de *Publicis Augurum*. Si de his docere placeret, haud opinor abs re faceres. Sext. Pomp. Festus id agat! respondit DULODORUS. Ita ille: *Publici Augures*, inquit, *eodem jure cum cæteris Auguribus non erant; Nam cum essent Augures numero plures, PUBLICI majestate cæteros anteibant. Origo vetusta, ideòque obscura: illud manifestum, ductu sortis deligi solitos, qui AUGURES PUBLICI P. R. QUIRITIUM in Auguralibus dicerentur.* Hæc Festus. Et notari meretur, ut hîc *Publicus Augurum*, vel quod idem est, *Publicus Augur* dicitur, ita in aliis Inscriptionibus *Publicum Pontificum*, & *Publicum Fratrum Arvalium* vocari, apud Gruterum. De his acquiesco, inquit ARCHÆOPHILUS. De figura hujus urnæ adhuc mirari subit; Simillima enim videtur columnis illis, quas Sicyonii sepulcris imposuisse ex Pausania docemur. Ita ille l. 2. Αυτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι· τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσι, λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα κίονας ἐφιστᾶσι, καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. Benè hoc observas, respondit DULODORUS, nec fortasse futile erit, si ex similitudine Templorum, quæ sancta sunt, & sanctitatem Urnæ nostræ colligas: Scilicet ne Cineres eâ tecti profanis ludibriô forent. Utut autem *forma* hujus urnæ exterior *quadrata* sit, interior tamen in *rotunditatem ellypticam excavata*, ossa & cineres capiebat: imò & sub majore cavitate descendit adhuc minor, quam urnis lacrymatoriis destinatam crediderim, de quibus supra. Prodit

URNA VITREA.



Urnæ vitreæ, excepit ARCHÆOPHILUS, neſcio an Authorum quisquam meminerit? Quod Authores neglexére, regeſſit DULODORUS, experientia docet; Oſſuarium vitreum, quadratum, oblongum, à Nicolao Boucherat Ciſtertienſi Abbate ſe accepiſſe, Gutherius memorat. Et liceat hîc optimi, dum viveret, Senis, HERMANNI EWICHII, vigilantiſſimi olim apud Santenſes Paſtoris, & deliciarum noſtrarum indagatoris ſanè perquam ſeduli, mentionem interſpergere; Is in Collectionibus ſuis Antiquariis, quas Electoralis Cimeliotheca aſſervat, inter aliam ſupellectilem, etiam *Urnam Vitream* ex pictura & deſcriptione *Jordanis van de Wayen* his verbis memorat: *Hoc vitreum vas in ſylva propè Gevelſtorp, in Ducatu Juliæ, Anno 1605. particulatim effoſſum, continens Oſſa, Cineres, Urnulas duas, & Nummum.* Vides ARCHÆOPHILE, Teſtem oculatum Urnam vitream memorare, non liquores, ſed *Oſſa:* nec hæc ſola, imò & *Cineres*, & *Urnulas*, & *Nummum* continentem, adeòque, quod Scriptores omiſére, experientiâ teſte probari, *fuiſſe* ſcilicet *Oſſuaria vitrea:* Imò *fuiſſe eadem*, *& Oſſuaria & Cineraria*, quòd & Oſſa & Cineres in iis componerentur. Idem, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam *Urnæ fictiles* probant. Plures producere poſſem, reſpondit DULODORUS, & quidem

tales,

tales, quales nuper propè Berolinum effossæ sunt, dum Palatii Luceburgici fundamenta jacerentur. Omnes sanè ossibus adhuc repletæ sunt. Ossibus dico; nam hæc notiora sunt, quàm Cineres, quos proinde vel vetustate consumtos, vel arenæ interventu dissipatos crederem. Sed rarior est

URNA FICTILIS DUPLEX,



Santenæ inventa. Hæc in medio distincta est, procul dubiò, ut Cineres duorum caperet, nec tamen confunderet. An duorum Cineres, excepit ARCHÆOPHILUS, unâ componebantur Urnâ? Interdum, respondit DULODORUS, & ferè eorum, quos vel fides, vel amor, etiam in vita junxerat. Exemplum suppeditant Pyramus & Thisbe, de quibus Ovidius:

Quodque rogis superest, UNA requiescit in URNA.

Sed Urna, ut finis est rerum, ita & erit nostræ confabulationis. DEO TER OPTIMO MAXIMO sit Laus, Honor, & Gloria! quòd Operi ad Colophonem perducendo nobis concesserit & vitam & vires. Omnipotens hic & Cœlestium & Terrestrium Arbiter *Serenissimum & Potentissimum Electorem nostrum* FRIDERICUM TERTIUM, *Heroëm Augustum*, cum tota ELECTORALI FAMILIA in seros annos incolumem servet! Felicitate perpetuâ cumulet! Gloria inextinguibili coronet! Idem Deus MINISTROS TANTI PRINCIPIS SANCTIORES, fidissimos Cœli Brennonici Atlantes, divina Oracula, ævo Nestoreo donet! Robore Herculeo fulciat! Fortunâ perenni extollat! Vivant Universi Gloriæ Electoralis Salutisque publicæ Parastatæ!

Flore-


Floreant Ditiones & Subditi, quoscunque Aquila Sceptrigera potentiſſimis ſuis alis & defendit & recreat!

Sic priſca in terris rurſus renovabitur ætas,
Sic etiam nobis aurea ſæcla fluent.

Acclamo votis, excepit ARCHÆOPHILUS, & Tibi, humaniſſime DULODORE, pro præſtita hactenus opera, mihi longè gratiſſima, ſimul gratias rependo, quas debeo, maximas: Illud tamen obteſtatus, ut & impoſterum, quæ Cimeliarchio Electorali accedent, ſimili ſolertia explices, noticiæque Literatorum typis & cælo vulgari, & permittas & digneris. Faciam, regeſſit ILLE, quod res & meritum ſuadebunt: Interim TIBI quoque cum gratia aſſurgo, quòd contemplationi tam jucundæ & anſam dederis, & huc usque adeſſe volueris. Faxit DEUS, ut etiam impoſterum Tibi ex voto cedat, quicquid ad illuſtranda Antiquitatis monumenta conaberis! His dictis ſuſceptæ contemplationi finem impoſuére, jamque digreſſuri erant, cùm fauſtus ad aures nuncius advolavit, FRIDERICUM ELECTOREM, REGEM PRUSSIÆ futurum, feſtumque Coronationis Regiomonti celebrandum, millenis vocibus ingeminans. Obſtupuit ARCHÆOPHILUS, & *Digna* TANTO PRINCIPE *Fata!* exclamavit. Ibo, & divinum ſpectaculum applauſu devoto proſequar! Et Ego, reſpondit DULODORUS, vel noſtros labores HEROI conſecrabo. Læti igitur domum properârunt, paucosque, amicô prorſus & amœnô contuberniô inſumtos poſt dies, quibus & Diſſertationem *de Nummis Cretenſium ſerpentiferis* luſtrarunt, ILLE Pruſſiam verſus iter inſtituit, HIC autem Antiquitatis Gazas reſumſit, floſculosque carpendo digniores, qualiacunque munuſcula, maximæ certè lætitiæ, humillimæque ſubmiſſionis ſuæ indicia, ſtudiosè collegit, & in ADVENTUM REGIUM, decenter & compoſuit & adornavit.



INDEX



INDEX
NOMINUM ET RERUM.



Ampho-

INDEX.

B.

Beroë

C.

 Con-

Cyprus

E.

Fata

F.

Gor-

I.

K.

L.

INDEX.

Prussia

Q.

R.

Septu-

T.

INDEX.

W.

X.

Z.



Sculpturæ Majores Solutæ, adſcriptis quæcunque paginis inſerendæ.

ERRATA.

P. 6. l. 8. lege *videatur* l. 16. *diſcoloribus.* p. 10. l. 13. *πυργολὸς.* p. 14. l. 2. *Ariarathes IX.* p. 17. l. 28. *profluentemque.* p. 24. l. 16. *clariſſimæ.* p. 25. l. 11. *inficiandum.* p. 30. l. 9. *unciale eſt, reſp. DUL. quale ex* p. 32. l. 38. *filii ex.* p. 38. l. 22. *Locrorum.* p. 47. l. 4. *averſæ.* p. 50. l. 39. ἰδίαις. p. 52. l. 17. *Aenianes.* l. 36. *Ænianibus.* p. 53. l. 22. *Ænianes.* p. 54. l. 27. Maronitæ. l. 28. Nobiles. p. 67. l. antipenult. ΦΙΛΗΣ. p. 76. l. 1. del. *Urbium.* p. 77. l. 1. Familiarum. l. 8. del. *eundem ſanè.* l. ult. add. *Familia.* p. 78. l. 1. del. *Urbium.* p. 79. l. 1. Familiarum. p. 80. dele, *Urbium.* l. 26. *cerni.* p. 82. l. 43. *Sexto.* p. 89. l. 34. *laudata.* p. 101. l. 5. Judaicum. p. 107. l. 14. *impoſitas.* p. 110. l. 23. Agnius. p. 133. l. 16. ΣΤΡΙΑΣ. p. 150. l. 23. *poſuit.* p. 160. l. ult. *illuſtres.* p. 161. l. 30. & p. 168. l. 28. *Textus Rom.* p. 169. l. 20. *Maximianum.* p. 181. l. penult. *Conſtantio.* p. 204. l. penult. *fragilibus.* p. 206. l. 34. *hác.* p. 209. l. 21. & 32. *arbuſculam.* p. 217. l. 12. *ſuperaturum.* p. 220. l. 8. *Lucianus.* p. 267. l. 44. *appenſum.* p. 29. l. 21. *Volſcinienſes.* p. 296. l. 30. Ejusque *mammam.* p. 314. l. ult. *cælum.* p. 351. l. 19. *tantum.* p. 356. ſeq. Simpul. p. 379. l. 17. *cremata.* p. 382. l. 8. *Simpuvium.* p. 383. l. 12. Septunolena. p. 418. l. 14. *Adamantinos.* Quæ præter hæc occurrunt, Lectoris æquitati permittuntur. In ſculpturis ubi erratum ſit, ex Commentario noſcetur, cui proinde inhærendum, indeque Sculptorem corrigendum, non minus hic edicimus.

